ANNO XXVII. - N. 1

Die 1 Ianuarii 1913

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

CURA ET STUDIO PRESBYTEROR. CONGREGATIONIS MISSIONIS

DIRECTIO ET ADMINISTRATIO: Via della Missione, 2 - ROMA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

Pro Italia, Lib. 10 — Pro exteris regionibus, Lib. 11.

Pro unoquoque numero, Lib. 1.

Fili hominis, pone cor tuum et [illegible] auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te, de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

EZECHIEL, 44, 5

Tantum refert [illegible], quae Ecclesia de sacra Liturgia decernit, probe cognoscantur [illegible] observentur, quanti ut sancta sancte tractentur, et fidelium pietas sacrorum maiestate augeatur.

Br. Leonis Pp. XIII, 10 Maii 18[illegible].



Apud Administrationem Ephemerides Liturgicae

ROMAE — Via della Missione, 2

OMINA

Cunctis Venerabilibus EPHEMERIDUM nostrarum Consociatis atque Lectoribus omnia quae eis esse in votis possent, bona, fausta, feliciora pro anni adventantis tempore precamur.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIAE UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1914

Pascha occurrente die 12 Aprilis

TABULA TEMPORARIA

Aureus Numerus	15	Indictio Romana	11
Epacta	III	Littera Martyrologii	c
Cyclus Solaris	19	Dom. post Epiphaniam	4
Littera Dominicalis	D	Dom. post Pentecosten	25

FESTA MOBILIA

Dom. Septuagesimae	8 Febr.	Dom. Pentecostes	31 Maii
Dies Cinerum	25 »	Fest. SS. Trinitatis	7 Iun.
Pascha Resurrect.	12 Apr.	Com. Sol. Ss. Corp. Chr.	11 »
Ascensio Domini	21 Maii	Dom. I. Adventus	29 Nov.

QUATUOR ANNI TEMPORA

In Vere	4. 6. 7. Mart.	In Autumno	16. 18. 19 Sept.
In Aestate	3. 5. 6. Iun.	In Hieme	16. 18. 19 Dec.

NUPTIARUM SOLEMNIA

Nuptiae solemniter celebrari possunt a die 7 Ianuarii ad 24 Februarii; et a die 20 Aprilis ad 28 Novembris, semper inclusive.

ADNOTATIONES

MAXIME NECESSARIAE AD KALENDARII INTELLIGENTIAM.

I. Quando in hoc Kalendario non indicatur unde sumendum sit Officium, illud sic ordinatur: Ad MATUTINUM, Invitatorium et Hymnus sumuntur de Communi, nisi propria habeantur; Antiphonae, Psalmi et Versus de feria currenti; Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente, nisi aliter notetur; Lectiones II. et III. Nocturni cum Responsoriis trium Nocturnorum de Communi, nisi propria habeantur: Ad LAUDES et VESPERAS omnia dicuntur de feria currenti usque ad Capitulum, Capitulum vero et reliqua sumuntur de Communi, nisi propria habeantur: Ad PRIMAM omnia dicuntur de feria currenti ut in Psalterio et in Ordinario, excepta Lectione brevi, pro qua legitur Capitulum Nonae: ad TERTIAM, SEXTAM et NONAM omnia dicuntur de feria currenti, ut in Psalterio et in Ordinario usque ad Capitulum, Capitulum vero et reliqua sumuntur de Communi, nisi propria habeantur.

II. Quando vero indicatur Officium sumendum esse aut de Communi, aut de Proprio, ad Laudes et Horas usurpandi sunt Psalmi de Dominica, nisi aliter notetur.

III. Completorium dicitur quotidie de feria currenti, nisi aliter in propriis locis notetur.

IV. Psalmi, qui in Psalterio ponuntur secundo loco in Matutino feriae IV, et in Laudibus tum Dominicalibus, tum ferialibus, leguntur tantum, quando in Kalendario adnotatur.

V. Preces, sive communes, sive feriales, nec non Suffragium ad Laudes et Vesperas et Symbolum *Quicumque* ad Primam, dicuntur tantum quando adnotatur.

VI. In Missa dicitur semper *Gloria* et Praefatio communis, nisi aliter notetur.

IANUARIUS.

✠ 1. Fer. V. *Alb.* **CIRCUMCISIO DOMINI,** *dupl. 2, cl.* - Omn. pr. - In Miss. Cr. Praef. et *Communic.* de Nativ. - In Vesp. com. seq. - Compl. de Dom.

2. Fer. VI. *Rub.* **Octava S. Stephani Protom.** *dupl.* - Omn. ut in festo et pr. - Com. Octavae S. Ioannis et Ss. Inno-

cent. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de Nativ. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Oct. Ss. Innocentium - Compl. de Dom.

3. Sabb. *Alb.* Octava **S. Ioannis Ap. et Ev.** *dupl.* - Omn. ut in festo et pr. - Com. Oct. Ss. Innocentium in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. com. seq. - Compl. de Dom.

✠ 4. Dom. (vacat) *Rub.* **Octava Ss. Innocentium Mm.** *dupl.* - Omn. ut in festo et pr. - In 8. ℟. addit. *Gloria Patri* et omisso 9. ℟. dicit. *Te Deum* - Miss. ut in festo, Grad. cum 2. *Alleluia* et ℣. seq. omisso Tractu. Cr. Praef. Nativ. et in fine *Ite, missa est.* - Vesp. (*Alb.*) de seq. (ut in 1. Vesp. Circumcis. Capit. de Laud. ℣. Ant. ad *Magnif.* et or. pr.) com. praec. et S. Telesphori P. M. - Compl. de Dom.

5. Fer. II. *Alb.* **Vigilia Epiphaniae,** *semid.* - Omn. ut in festo Circumcis. et pr. - Com. S. Telesphori in Laud. et Miss. 3. or. *Deus, qui salutis,* Praef. Nativ. - Vesp. de seq. sine com. - Compl. de Dom. - Doxol. pr. per tot. Oct.

✠ 6. Fer. III. *Alb.* **EPIPHANIA DOMINI,** *dupl. 1. cum Oct. privil.* - Omn. pr. - Ad Prim. ℣. ℟. br. pr. per tot. Oct. In Miss. Cr. Praef. et *Communic.* pr. per tot. Oct. - Vesp. de festo. - Compl. de Dom.

7. Fer. IV. *Alb.* **De II die infr. Oct.** *semid.* - Omn. ut in festo et pr. - Lect. 1. Noct. *de Epist. ad Rom.* - In Miss. 2. or. *Deus, qui salutis,* 3. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de Oct. - Compl. de Dom.

8. Fer. V. *Alb.* **De III die infr. Oct.** *semid.* - Omn. ut fer. IV praec.

9. Fer. VI. *Alb.* **De IV die infr. Oct.** *semid.* - Omn. ut fer. IV praec.

10. Sabb. *Alb.* **De V die infr. Oct.** *semid.* - Omn. ut fer. IV praec. - Vesp. de Dom. (Ant. et Pss. ut in 1. Vesp. festi rel. pr.) com. Oct. (Ant. *Omnes de Saba,* ℣. *Adorate Deum*) et S. Hygini P. M. - Compl. de Dom.

✠ 11. Dom. infr. Oct. *Alb.* De ea, *semid.* - Omn. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. *Inc. Ep. 1. ad Cor.* - Com. Oct. et S. Hygini in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. com. Oct. (Ant. *Tribus miraculis,* ℣. *Omnes de Saba*) - Compl. de Dom.

12. Fer. II. *Alb.* **De VI die infr. Oct.** *semid.* - Omn. ut fer. IV praec. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Vesp. de seq. ut in 1. Vesp. festi or. pr. - Compl. de Dom.

13. Fer. III. *Alb.* **Octava Epiphaniae,** *dupl. mai.* - Omn. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Miss. pr. Cr. - In Vesp. com. seq. et S. Felicis Pr. M. - Compl. de Dom.

14. Fer. IV. *Alb.* **S. Hilarii Ep. C. D.** *dupl.* - Lect. 9. et com. S. Felicis in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. et S. Mauri Abb.

15. Fer. V. *Alb.* **S. Pauli primi Eremitae C.** *dupl.* - Lect. 9. et com. S. Mauri in Laud. et Miss. - In Vesp. com. seq.

16. Fer. VI. *Rub.* **S. Marcelli I P. M.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Deus, qui salutis*, 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

17. Sabb. *Alb.* **S. Antonii Abb.** *dupl.* - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. praec., Dom., Cathedrae S. Petri et S. Pauli Ap. - Compl. de Dom. - Doxol. pr.

✠ 18. Dom. II. p. Epiph. *Alb.* **SS. NOMINIS IESU,** *dupl. 1. cl.* - Omn. pr. - Lect. 9. Hom. Dom. - Com. Dom., Cathedrae S. Petri, S. Pauli Ap. et S. Priscae V. M. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de Nativ. Ev. Dom. in fine. - In Miss. sol. omitt. com. S. Priscae. - In Vesp. com. seq., Dom., Cathedrae S. Petri, S. Pauli Ap. ac Ss. Marii et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

19. Fer. II. *Rub.* **S. Canuti Reg. M.** *semid. ad libit.* - Lectt. 1. Noct. *Inc. Ep. 2. ad Cor.* - Lect. 9. Ss. Mm. - Ad Laud. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *Deus, qui salutis* (cuius Secreta variat. in *Tua Domine*). - Vesp. de seq. com. praec.

20. Fer. III. *Rub.* **Ss. Fabiani P. et Sebastiani Mm.** *dupl.* - Vesp. de seq. (de Comm. et pr.) com. praec.

21. Fer. IV. *Rub.* **S. Agnetis V. M.** *dupl.* - Omn. de Comm. et pr. - Ad Hor. Ant. et Pss. de fer. rel. pr. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq.

22. Fer. V. *Rub.* **Ss. Vincentii et Anastasii Mm.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Deus, qui salutis*, 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com. praec. S. Emerentianae V. M. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

23. Fer. VI. *Alb.* **S. Raymundi de Pennafort C.** *semid.* - Lect. 9. S. Emerentianae. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. S. Emerentianae, 3. *Deus, qui salutis.* - Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

24. Sabb. *Rub.* **S. Timothei Ep. M.** *dupl.* - Vesp. (*Vir.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. Conversionis S. Pauli Ap. et S. Petri Ap.

✠ 25. Dom. III p. Epiph. *Vir.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. Convers. S. Pauli Ap. et S. Petri Ap. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. - Compl. de Dom.

26. Fer. II. *Rub.* **S. Polycarpi Ep. M.** *dupl.* - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com, praec.

27. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannis Chrysostomi C. D.** *dupl.* - In Vesp. com. seq.

28. Fer. IV. *Rub.* **S. Agnetis secundo,** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. Ant. Pss. et ℣. (omiss. 1. et 2.) de feria. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. (e 3. Noct. diei festi) - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. et pr. - In Miss. 2. or. *Fidelium,* 3. *Deus, qui salutis.* - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

29. Fer. V. *Alb.* **S. Francisci Salesii Ep. C. D.** *dupl.* - In Vesp. com. seq.

30. Fer. VI. *Rub.* **S. Martinae V. M.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Deus, qui salutis,* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

31. Sabb. *Alb.* **S. Petri Nolasco C.** *dupl.* - Vesp. (*Vir.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. et S. Ignatii Ep. M.

FEBRUARIUS.

✠ 1. Dom. IV. p. Epiph. *Vir.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Lectt. 1. Noct. 1. *Incip. Epist. ad Philippens.* (de Dom. curr.) 2. *Incip. Ep. ad Coloss.* (de fer. 3. seq.) 3. *Incip. Ep. 1. ad Thessalonic.* (de fer. 5. seq.) Com. S. Ignatii in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. et S. Ignatii. - Compl. de Dom. - Doxol. pr.

† 2. Fer. II. *Alb.* **PURIFICATIO B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - Omn. pr. - In Miss. Cr. Praef. Nativ. - In Vesp. com. S. Blasii Ep. M. - Compl. de Dom.

3. Fer. III. *Vir.* DE EA - Off. feriale ut in Psalt. - Tres lectt. legunt. de Hom. Dom. 5. p. Epiph. cum ℟℟. de fer. curr. sine *Te Deum.* - Ad Laud. Ant. ad *Bened.* et or. Dom. com. S. Blasii et Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. pr. de Dom. 5. p. Epiph. sine Gl. 2. or. *Fidelium,* 3. S. Blasii sine Cr. Praef. comm. et in fine *Bened. D.no.* - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

4. Fer. IV. *Alb.* **S. Andreae Corsini Ep. C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. 1. *Inc. Ep. 1. ad Timoth.* (de Dom. 5. p. Epiph.) 2. et 3. *Inc. Ep. 2. ad Timoth.* (de fer. 3. p. Dom. 5.) - Vesp. (*Rub.*) a cap. de seq. com. praec.

5. Fer. V. *Rub.* **S. Agathae V. M.** *dupl.* - Omn. de Comm. et pr. - Ad Hor. Ant. et Pss. de fer. rel. pr. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. et S. Dorotheae V. M.

6. Fer. VI. *Alb.* **S. Titi Ep. C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Inc. Ep. ad Titum* (de fer. 5. p. Dom. 5.). - Lect. 9. S. Dorotheae. - Com. S. Dorotheae in Laud. et Miss. - Vesp. a cap. de seq. com. praec.

7. Sabb. *Alb.* **S. Romualdi Abb.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Inc. Ep. ad Philem.* (de Sabb. p. Dom. 5.) - Vesp. (*Viol.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com praec. et S. Ioannis de Matha C.

✠ 8. **DOM. SEPTUAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* DE EA, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. com. S. Ioannis de Matha. - In Miss. sine Gl. 2. or. S. Ioannis de Matha, Cr. Praef. Trinit. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Ioannis de Matha et S. Apolloniae V. M. - Compl. de Dom.

9. Fer. II. *Alb.* **S. Cyrilli Alexandrini Ep. C. D.** *dupl.* - Lect. 9. S. Apolloniae. - Com. S. Apolloniae in Laud. et Miss. - Vesp. a cap. de seq. com. praec.

10. Fer. III. *Alb.* **S. Scholasticae V.** *dupl.* - Vesp. de seq. (pr.) com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. pr.

11. Fer. IV. *Alb.* **Apparitio B. M. V. Immaculatae** *dupl. mai.* - Omn. pr. - In Miss. Cr. Praef. B. M. V. (*Et te in Conc. Imm.*) - In Vesp. (pr.) com. seq. - Compl. de Dom.

12. Fer. V. *Alb.* **Ss. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V.** *dupl.* - In Vesp. nulla com.

13. Fer. IV. *Viol.* DE EA. - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom.

praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. ad libit. - In Vesp. (*Alb.*) Ant. et Pss. de fer. Capit. et rel. de seq. (pr. loc.) com. S. Valentini Pr. M. et Suffr. - Ad Compl. Prec. - Doxol. pr.

14. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. Ant. Pss. et ℣. (omiss. 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr. com. S. Valentini et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. Prec.) Capit. et rel. pr. - Miss. pr. 2. or. S. Valentini, 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. (*Et te in veneratione*) - Vesp. (*Viol.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. Ss. Faustini et Iovitae Mm. et Suff. - Ad Compl. Prec.

✠ 15. **DOM. SEXAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. com. Ss. Faustini et Iovitae ac Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. Ss. Faustini et Iovitae, 3. *A cunctis,* Cr. Praef. Trinit. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

16. Fer. II. *Viol.* De ea. - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suff. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Fidelium,* 3. *A cunctis.* - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

17. Fer. III. *Viol.* De ea. - Omn. ut heri, sed in Miss. 2. or. *A cunctis,* 3. ad libit. - In Vesp. (*Rub.*) Ant. et Pss. de fer. Capit. et rel. de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

18. Fer. IV. *Rub.* **S. Simeonis Ep. M.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. Ant. Pss. et ℣. (omiss. 1. et 2.) de fer. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum. ℟℟. de Comm. (e 3. Noct.) - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *A cunctis,* 3. ad libit. - Vesp. (*Viol.*) de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

19. Fer. V. *Viol.* De ea. - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. ad libit. - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

20. Fer. VI. *Viol.* De ea. - Omnia ut heri. - In Vesp. (*Alb.*) Ant. et Pss. de fer. Capit. et rel. de seq. (pr. loc.) et Suffr. - Ad Compl. Prec. - Doxol. pr.

21. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. Prec.) Capit. et rel pr. - Miss. pr. 2. or. de Sp. S. 3. *Eccl.* vel pro Pp. Praef. B. M. V. (*Et te in veneratione*) - Vesp. (*Viol.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. Cathedrae S. Petri Ap. et S. Pauli Ap. - Ad Compl. Prec.

✠ 22. **DOM. QUINQUAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. com. Cathedrae S. Petri ac S. Pauli - In Miss. sine Gl. 2. or. Cathedrae S. Petri 3. S. Pauli Cr. Praef. Trinit. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) com. seq., Cathedrae S. Petri ac S. Pauli. - Compl. de Dom.

23. Fer. II. **Vigilia S. Mathiae Ap.** *Alb.* **S. Petri Damiani Ep. C. D.** *dupl.* - Lect. 9. Hom. Vigil. - Com. Vigil. in Laud. et Miss. Cr. Ev. Vigil. in fine. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (de Comm. et pr.) com. praec. - Compl. de Dom.

† 24. Fer. III. *Rub.* **S. MATHIAE AP.** *dupl. 2. cl.* - Omn. de Comm. et pr. - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. nulla com. - Compl. de Dom.

25. Fer. IV. **CINERUM** *Viol* De ea. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens,* Praef. Quadrag. (quae dicit. quotid. usque ad Dom. Passionis, etiam in Missis festivis, nisi aliter notetur) - In Vesp. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

26. Fer. V. *Viol.* De ea. - Omnia ut Feria IV. praec.

27. Fer. VI. *Viol.* De ea. - Omnia ut Fer. IV. praec.

28. Sabb. *Viol.* De ea. - Omnia ut Fer. IV. praec. - Vesp. de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) et Suffr. - Ad Compl. Prec.

MARTIUS.

✠ 1. **DOM. I. QUADRAGESIMAE** 1. cl. *Viol.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens* Cr. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

2. Fer. II. *Viol.* DE EA. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens.* - In Vesp. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

3. Fer. III. *Viol.* DE EA. - Omnia ut Fer. II. praec. - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. fer. S. Lucii P. M. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

4. Fer. IV. **Quat. Temp.** *Alb.* **S. Casimiri C.** *semid.* - Lectt. 1. Noct. *Iustus,* Lect. 9. Hom. fer. - Ad Laud. com. fer. S. Lucii et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. fer. 3. S. Lucii, Ev. fer. in fine. - In Vesp. com. fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

5. Fer. V. *Viol.* DE EA. - Omnia ut Fer II. praec. - Vesp. (*Rub.*) de seq. com. fer.

6. Fer. VI. **Quat. Temp.** *Rub.* **Ss. Perpetuae et Felicitatis Mm.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Confitebor* Lect 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine. - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com. praec. et fer.

7. Sabb. **Quat. Temp.** *Alb.* **S. Thomae de Aquino C. D.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Sapientiam,* Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Ev. fer. in fine. - Vesp. (*Viol.*) de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. et S. Ioannis de Deo C.

✠ 8. **DOM. II. QUADRAGESIMAE** 2. cl. *Viol.* DE EA, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. com. S. Ioannis de Deo. - In Miss. sine Gl. 2. or. S. Ioannis de Deo Cr. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Ioannis de Deo. - Compl. de Dom.

9. Fer. II. *Alb.* **S. Franciscae Romanae Vid.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Mulierem,* Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine. - In Vesp. com. seq. et fer.

10. Fer. III. *Rub.* **Ss. Quadraginta Mm.** *semid.* - Lect. 1. Noct. *Fratres, debitores.* - Lect. 9. Hom. fer. - Ad Laud. Com. fer. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. fer. 3. *A cunctis,* Ev. fer. in fine. - In Vesp. com. fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

11. Fer. IV. *Viol.* DE EA. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. Prec. ferial et Suffr. - Ad Hor. Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens.* - Vesp. *(Alb.)* de seq. com. fer.

12. Fer. V. *Alb.* **S. Gregorii I. P. C. D.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Sapientiam,* Lect. 9. Hom. fer. Com. fer. in Laud et Miss. Cr. Ev. fer. in fine. - In Vesp. com. fer.

13. Fer. VI. *Viol.* De ea. - Omnia ut Fer. IV. praec. - In Vesp. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

14. Sabb. *Viol.* De ea. - Omnia ut Fer. IV. praec. - Vesp. de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) et Suffr. - Ad Compl. Prec.

✠ 15. **DOM. III. QUADRAGESIMAE** 2. cl. *Viol. De ea, semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens,* Cr. - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) Suffr - Compl. de Dom. et Prec.

16. Fer. II. *Viol.* De ea. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens.* - Vesp. *(Alb.)* de seq. com. fer.

17. Fer. III. *Alb.* **S. Patritii Ep. C.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Fidelis sermo,* Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. et fer.

18. Fer. IV. *Alb.* **S. Cyrilli Hierosolym. Ep. C. D.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Fidelis sermo.* - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Ev. fer. in fine. - Vesp. (pr. loc.) de seq. com. fer. - Compl. de Dom.

† 19. Fer. V. *Alb.* **COMMEM. SOLEMN. S. IOSEPH SPONSI B. M. V. C.** *dupl. 1. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Ev. fer. in fine. - In Vesp. (pr. loc.) com. fer. - Compl. de Dom.

20. Fer. VI. *Viol.* De ea. - Omnia ut fer. II. praec. - Vesp. *(Alb.)* de seq. com. fer.

21. Sabb. *Alb.* **S. Benedicti Abb.** *dupl. mai.* - Lect. 1. Noct. *Laudemus viros.* - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine. - Vesp. *(Viol.)* de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec.

✠ 22. **DOM. IV. QUADRAGESIMAE,** 2. cl. *Viol.* De ea, *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. *A cunctis,* 3. *Omnipotens.* Cr - In Vesp. (ut in Psalt. et pr.) Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

23. Fer. II. *Viol.* De ea. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *A cunctis*, 3. *Omnipotens.* - In Vesp. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

24. Fer. III. *Viol.* De ea. - Omn. ut fer. II. praec. - Vesp. *(Alb).* de seq. (pr. loc.) com. fer. - Compl. de Dom. - Doxol. pr.

† 25. Fer. IV. *Alb.* **ANNUNTIATIO B. M. V.** *dupl. 1. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Praef. B. M. V. *(Et te in Annuntiatione)* Ev. fer. in fine. - In Vesp. (pr. loc.) com. fer. - Compl. de Dom.

26. Fer. V. *Viol.* De ea. - Omn. ut fer. II. praec. - Vesp. *(Alb.)* de seq. com. fer.

27. Fer. IV. *Alb* **S. Ioannis Damasceni C. D.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Sapientiam.* - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Ev. fer. in fine. - In Vesp. com. seq. et fer.

28. Sabb. *Alb.* **S. Ioannis a Capistrano C.** *semid.* - Lectt. 1. Noct. *Beatus vir.* - Lect. 9. Hom. fer. - In Laud. com. fer. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. fer. 3. *A cunctis*, Ev. fer. in fine. - Vesp. *(Viol.)* de Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. rel. pr.) com. praec. - Ad Compl. Prec.

✠ 29. **DOM. PASSIONIS,** 1. cl. *Viol.* De ea, *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. - Ad Prim. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. Praef. de Cruce (quae dicit. quotid. usque ad Fer. V. in Coena Domini, etiam in festis, nisi aliter notetur). - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) - Compl. de Dom. et Prec.

30. Fer. II. *Viol.* De ea. - Off. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. et Hor. Prec. ferial. - In Miss. sine Gl. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. - In Vesp. Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

31. Fer. III. *Viol.* De ea. - Omn. ut fer. II. praec. - In Vesp. Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

(Continuatio, V. n. 12 anni nuper elapsi, pagg. 371-373).

Satis ergo comprobatur, non fuisse erectam ac dicatam ecclesiam Lateranensem sub titulo Transfigurationis, nam festum huiusmodi ignotum fuit Romae, usque ad Gregorium ix; ceterum, etiam in aliis locis (ex. gr. in dioecesi placentina) multae ecclesiae Ss. Salvatori dicatae, suum Titularis festum agunt in dominica Resurrectionis. Certum est, quod in constitutionibus venerandi Capituli Lateranensis, nil dicitur de festo Transfigurationis, tamquam basilicae titulo. Uti notavimus in nostro Commentario in Constitutionem « *Divino afflatu* » (not. 63), fuit primus omnium Gavantus, qui implicite docuit, ecclesias Ss. Salvatori dicatas festum titulare celebrare Transfigurationem Domini; quia in suo Octavario diem 6 augusti his verbis inscripsit; *Infra octavam Transfigurationis Domini seu Salvatoris*. Ex quo factum est, quod plures ecclesiae Ss. Salvatori dicatae, festum suum titulare ea die 6 augusti celebrare coeperunt; postea vero S. R. C. suo decreto 29 nov. 1755, n. 2439 hunc usum comprobavit.

Iuxta autem Gardellinium (S. R. C. dec. vol. 4, p. 344). « Hoc idem declaratum confirmatumque fuit per decretum Urbis, datum die 6 augusti 1831, quo dicitur, quod festum Transfigurationis Domini in archibasilica Lateranensi occur-

(1) Reformatores breviarii, sub Benedicto xiv, inter festa eliminanda, etiam festum Transfigurationis posuerant, utpote recentioris institutionis.

rens octavo idus augusti ceu Titularis fuerit hactenus celebratum »; igitur, licet verus et antiquus Titulus principalis basilicae Lateranensis sit Resurrectio Domini, nihilominus, saltem post annum 1831, tamquam titulare festum habitum fuit Transfiguratio, ideoque hac ipsa die in toto orbe celebrandum nunc est ritu duplici ij classis.

(27) Cultus sanctorum parentum b. Mariae virginis in ecclesia latina recens est, nam, ante Sixtum iv in aliquibus tantummodo ecclesiis recolebatur eorum festum. In calendario marmoreo neapolitano saeculi noni, alias a nobis citato, festum utriusque simul invenitur sub die 9 septembris, iuxta morem orientalis ecclesiae. Ut enim notat Nilles (*Kalend.* 1, 272), « canon est ecclesiae graecae, ut sancti illi, qui potiorem partem in aliquo mysterio Domini, aut Deiparae, habuerunt, eidem mysterio subiungantur: merito ergo nativitatem b. Mariae excipit memoria sanctorum et iustorum Deipatrum Ioachim et Annae, parentum eius ». Apud occidentales vero, licet saeculo viij a Leone iii papa ecclesia dicata legatur in honorem s. Annae, nihilominus festa serius instituta sunt. In calendariis Mediolanensi (Cf. Magistretti, *Beroldus*, p. 8) et Placentino (Archiv. Cathedr. cod. 43) quae ad saeculum xi et xij pertinent, desiderantur festa ss. Annae et Ioachim.

Ad totam ecclesiam extendit officium s. Annae Sixtus iv (Kellner, p. 243) ideoque in breviariis, ineunte saeculo xvj invenitur die 26 iulii. Pius v in reformatione Breviarii festum hoc expunxerat, quia de persona antiqui testamenti, sed statim a successore suo Gregorio xiij anno 1584 restitutum fuit. Imo Gregorius xv anno 1722 inter festa cum feriatione servanda recensendum statuit.

Quod autem attinet s. Ioachim, in Oriente festum eius, cum coniuge felicissima, antiquitus floruit; et Epiphanius cyprius circa annum 880 in sermone de laudibus Virginis (Migne, P. G. XLIII, c. 487) de eo agit, quia lectiones quae in eius festo in breviario leguntur, non sunt de s. Epiphanio qui saeculo iv floruit, sed de eius successore in sede

Salaminae eiusdem nominis (Cf. Baumer, II, p. p. 458); ideoque corrigendus est Kellner (loc. cit.). Iulius ij in breviarium Romanum festum eius invexerat, licet non ubique, de facto, die 20 martii receptum; Pius v illud expunxerat, utpote de persona quae ad testamentum vetus pertineret sicut et coniugem suam, ut vidimus, sed Gregorius xiij denuo illud admisit. Clemens vero xij per decretum 10 sept. 1731 ad dominicam infra octavam Assumptionis b. Mariae transtulit, ut satisfaceret votis imperatoris Caroli vj, qui festum s. Ioachim cum feriatione recolendum esse quaesierat, ne festa de praecepto multiplicarentur.

Optandum tamen est, quod pro utroque parente b. Mariae officium proprium conficiatur, saltem pro sancta Anna; nam officium eius de communi non virginum, quod inter omnia officia breviarii minus liturgistis placet, male ei convenit; verbi gratia responsorium viij: *Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi, propter amorem Domini mei Iesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi,* et antiphona: *Veni, sponsa Christi,* ad Matutinum, quomodo convenire possunt, nisi remotissime, b. Annae? Similiter versus *Specie tua etc.* ex ps. 44 depromptus, in spatio quatuor vel quinque minutorum novies dicitur, sive uti responsorium, sive uti antiphona, sive uti versiculus, et, ut notat piissimus episcopus Isoard (Nouv. observ. sur le Brév. p. 9) versus huiusmodi repetitio, eo minus explicari potest, quia verba «Specie tua et pulchritudine tua, intende prospere procede et regna» nullum sensum moralem offerunt, et non sunt neque verba exhortationis, neque orationis.

Leo xiij die 1 aug. 1879 utriusque Deiparae parentis festum, sub ritu duplici ij classis recolendum quidem in tota ecclesia mandavit; postquam enim dogma de immaculato conceptu b. Mariae definitum fuit, procul dubio pietas fidelium erga parentes Mariae Immaculatae percrebuit, ideoque, si summopere decuit, ut eorum festa solemnius per orbem celebrarentur, decet etiam ut officio proprio recolantur.

(28) Festum Inventionis s. Crucis saeculo iv coeptum

est celebrari Romae, ut cum Bollandistis notat Benedictus xiv (Fest. I, xiv, 17), quando S. Helena partem verae Crucis a se inventae in Urbem attulit, deposuitque in basilica sessoriana; videtur tamen quod antiquitus die xiv septembris recolebatur, qua die postea festum Exaltationis celebratum est, non ubique quidem, nam multis in breviariis saeculi xj et xij non invenitur (Cf. Calendar. Mediolanen. et Placentin. supra citat.).

Fuerunt, et sunt, nonnulli liturgistae, quorum sententiam nos ipsi profitemur, qui docent festum Inventionis S. Crucis inter primaria festa esse recensendum; quia mysterium Crucis et cultus huius vivifici ligni, in alio Domini nostri festo non comprehenditur. Scimus quod mysterium mortis Christi veneratur et colit Ecclesia feria vi maioris hebdomadae, sed, sicuti feria v praecedenti memoria agitur de institutione Sacramenti Eucharistici, et tamen festum Ss. Corporis Christi inter primaria recensetur, quia agitur ut ita dicam, de glorificatione ipsius Sacramenti, ita pariter dicendum est de festo sanctae Crucis, in quo triumphus eius praecipue et ritu paschali recolitur.

Neque dicatur quod ex decreto S. R. C. 5 febr. 1895 aperte declaratur esse festa secundaria, *Festa sive Domini sive b. Mariae ... uti Inventionis* etc. quia evidenter ibi agitur de *inventione* corporum sanctorum, praeter eorum natalem diem. Et sane, si ego de patrono ago festum *natale*, et etiam *inventionem* vel *translationem* eius corporis, procul dubio huiusmodi festa sunt omnino secundaria; quod si ex. gr. de sancto patrono, ago festum, principale et solemnius in die non sua, sed in ea quae a s. Sede destinata fuit pro eius solemnitate celebranda, et in die obitus aliud eiusdem patroni festum concelebro minus solemne, procul dubio, illud, non istud, est festum primarium. Vide quae supra diximus in nota 9.

Itaque cum de s. Cruce festum principale sit eius *Inventio*, scilicet, cum sancta mater Ecclesia, pro celebratione festi huiusmodi elegerit diem, in qua inventa fuit Crux

ipsa, quodammodo agitur de Crucis natali, sicut ait pseudo-Augustinus (brev. rom. die 22 febr.) loquens de Cathedra s. Petri, cuius festum vocat *natale Cathedrae*. Hac ergo de causa, et quia revera de s. Cruce non agitur memoria specifica in alio festo, toto iure inter festa primaria esset recensendum festum eius Inventionis, quod ritu solemniori celebratur, et erat festum cum feriatione. Quoniam vero antiquitus festa cum feriatione et cum ritu classico non instituebat Ecclesia, nisi ageretur de principalibus; et cum inter ipsa festa cum feriatione, et sub ritu ij classis celebranda recensuit Inventionem s. Crucis, dicendum est, quod secundarium festum numquam existimavit. Perlege syllabum fe storum, quae cum feriatione erant recolenda, et inter ipsa, solummodo festum s. Crucis invenitur, quod post annum 1895 uti secundarium habitum fuerit. Haec quae scribimus scientifice loquendo, dicta sint tamen sub censura, et usque dum aliter a competenti auctoritate decernatur, Inventio s. Crucis inter secundaria festa est de facto recensenda.

Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. institutum est a Pio ix per suum decretum 10 aug. 1849 datum Caietae, quo secesserat tunc temporis ob pericula invasionis Urbis. Officium, ea die recitandum, in usum erat iam in dioecesi Luni-Sarzanensi, ratione miraculosi Sanguinis, qui in illa Cathedrali servari asseritur. Dominica prima mensis iulii illud celebrari praecepit, ab omnibus, tam de saeculari, quam de regulari clero in tota ecclesia, ut dicitur, ad preces b. Gasparis del Bufalo, qui congregationem missionariorum coegerat, sub titulo Pretiosissimi Sanguinis. Inter festa secundaria recensetur, attamen privilegium translationis in sequentem diem habuit, in ipso decreto concessionis.

(29) Festum b. Mariae perdolentis, quae nunc celebratur dominica iij septembris, recentissimae est institutionis; nam Pius vij decreto 18 Sept. 1814 quod habetur in alio decreto 23 Apr. 1895 n. 3851, statuit *quod festum Mariae perdolentis, quod in Ordine Servorum Mariae iam ea Dominica celebratur, per orbem universum recoleretur, cum officio et Missa quae eidem Ordini concessa fuerat ab Innocentio xj anno 1688.*

Antiquum satis est aliud festum, quod celebratur feria vj post dominicam Passionis; de eo enim, ut notat Benedictus xiv (De Festis II, iv, 9) certa notitia habetur in Synodo Coloniensi anni 1413 (non vero Constantiensi, prout notant continuatores Biblioth, a Carpo (IV, n. 59). Postmodum ad multas alias ecclesias transiit, ut docet Guyetus (Heortol. IV, 4), sicque, cum de facto paulatim quasi ubique huiusmodi festum, populo Christiano tam carum, celebraretur, Benedictus xiij, anno 1727 ad universam ecclesiam extendit.

Ex his duobus festis b. Mariae perdolentis, illud, quod mense septembri celebratur, maiori solemnitate recolitur, non tantum a Patribus Servitis, sed etiam a plebe christiana, eo quod, tempus Passionis non patitur, ut pompa externa solemnis celebretur memoria dolorum b. Mariae. Nunc autem a Ss. D. N. Pio x ad ritum duplicem ij classis est elevatum, anno 1910.

Tunc temporis agitata fuit quaestio, an de duobus his festis, hoc de mense Septembri, inter primaria adnumerari deberet. Procul dubio, uti nos arbitramur, cum in nullo festo Deiparae, mysterium dolorum eius comprehendatur, bene poterat, tamquam primarium hoc festum considerari, multo magis, quia hodie ritu classico celebratur. Attamen hac de re S. R. C. nondum suum sentiendi modum explicite declaravit, ideoque procul dubio inter festa secundaria adhuc est recensendum. Sunt qui aiunt forsan festum istud secundarium servatum fuisse, ne deturbetur celebratio festi s. Matthaei, quando simul occurrit.

Notandum est, privilegium, quo donatum fuerat huiusmodi festum usque a sua institutione, privilegium antea inauditum ac novum prorsus, quo numquam frui potuerunt festa nobilissima et maximae solemnitatis. Ut legitur in citato decreto Pii vij, quando impedita erat iij dominica septembris, festum Mariae Perdolentis celebrari poterat in dominica sequenti: et hac quoque impedita, in alia libera, usque ad Adventum.

Forsan, ut nobis videtur, mens fuit Pontificis, ut festum hoc celebraretur in aliqua dominica septembris, nempe, tertia: quod si alicubi perpetuo ipsa dominica esset impedita, in iv, vel v, celebrari deberet. Nihilominus, qui decretum extendit, privilegium expressit, non tantum in perpetuo impedimento, sed etiam in quocumque impedimento accidentali. Et in hoc, inauditam novitatem inspicimus, nam, nullum aliud festum transferri potest in dominicam: celebratur quidem in dominica si occurrat, sed etiam festa duplicia primae classis, quum impediebantur, nunquam poterant transferri in aliquam dominicam, uti omnes norunt. Opportunissime ergo huiusmodi privilegium suppressum fuit a Ss. D. N. Pio x, quo vulnus tam grave officio dominicae inferebatur fuitque quasi praeludium honoris diei dominicae postea ab eodem Pontifice, per novas rubricas restituti.

(30) Festum Rosarii b. Mariae virginis in universa ecclesia pariter recentis est institutionis. Pius v ob obtentam magnam victoriam ad Echinadas aquas die 7 octob. 1571, festum quidem pro gratiarum actione in honorem b. Virginis de Victoria in Martyrologio praescripserat; attamen, permissum illud fuerat, iis tantum in ecclesiis, ubi altare de Rosario extabat, dominica j octobris celebrandum. Clemens vero x, litteris suis datis die 26 sept. 1671 ad totam Hispaniam festum istud extendit; quod postea S. R. C. aliis dioecesibus paulatim indulsit. Tandem Clemens xj suo decreto 3 oct. 1716, in memoriam victoriae, quae contra Turcas ad Tenivariam in Pannonia, ab imperatoris Caroli vj exercitu, eo ipso anno parta fuerat, ad universam extendit ecclesiam. Officium autem tunc recitabatur ut in festo b. Mariae ad nives, cum lectionibus ex sermone s. Augustini ad Rosarii festum accommodatis, in quibus nulla de institutione Rosarii mentio habebatur; sub Pontifice autem Benedicto xiij, promotoris Fidei munere fungente Prospero Lambertino, novae lectiones secundi nocturni editae sunt, quibus docemur de institutione rosarii, ac de eius festivitate in tota ecclesia celebranda (Cf. Benedictum xiv, de fest. II, xij, 12-17).

Leo denique xiij, postquam duobus decretis 1 sept. 1883 et 30 aug. 1884, praescripsisset ut « quoadusque tristissima perdurent adiuncta, in quibus versatur catholica Ecclesia... in omnibus catholici Orbis cathedralibus et parochialibus templis, et oratoriis b. Mariae dicatis, mariale Rosarium (1), cum litaniis lauretanis, per totum mensem octobrem quotidie recitaretur », alio suo decreto 11 sept. 1887 n. 3681, iussit ut, sub ritu duplici ij classis, festum b. Mariae de

(1) Usus numerandi preces aliquas breves vocales, pluries repetitas, per quosdam globulos mobiles, filo insertos, satis antiqua est, ac de eo memoria invenitur ante s. Dominicum (Kellner II, 29). Et quia fratres laici ordinum Regularium, loco officii divini, preces illas recitabant, statis horis diei, vocatae sunt *psalterium laicorum*, eo vel maxime, quia pro 150 psalmis, recitabantur 150 salutationes angelicae, interiectis 15 *Pater* et *Gloria*.

Hae de causa sunt qui adhuc dubitant, an revera s. Dominicus fuerit Rosarii marialis institutor vel tantum propagator. De hac quaestione agit ipse Benedictus xiv (*Fest.* II, xij, 2), et citatus Kellner, qui aperte negativam sententiam tenet. Leo xiij in suo brevi, *Ad praesidium*, 10 dec. 1883, sine dubitatione auctorem rosarii facit s. Dominicum. Fatendum tamen est, quod revera rosarium tempore huius sancti, brevius erat omnino, nam tunc temporis dicebatur tantummodo salutatio, usque ad verba *fructus ventris tui,* qualis invenitur in offertorio IV dominicae Adventus.

Iuxta Bäumer (II, p. 201) adiectum est nomen *Iesus*, quando s. Bernardinus devotionem erga Ss. Nomen propagavit ubique, et hoc maxime factum est in recitatione Rosarii, pro qua Sixtus iv indulgentias concesserat. Certo d. Thomas (opusc. VIII), in expositione *super salutat. angel.* hanc exhibet absque Ss. nomine *Iesu*.

Dom. Biron, in nota ad Bäumer (loc. cit.), docet quod secunda pars salutationis angelicae, nempe *sancta Maria*, etc., etsi non integre, prima vice invenitur in quodam acrosticho italica lingua exarato saeculo xv, nec non in breviario eiusdem saeculi Fratrum minorum. Cum enim post verba: *ventris tui, Iesus,* usurpari coepta esset secunda pars; *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, Franciscani postea addiderunt postrema verba: *nunc et in hora mortis nostrae. Amen* (Grancolas, *Comm. brev. rom.* c. 25).

Rosario in tota ecclesia celebraretur. Anno vero sequenti die 5 aug. revocato officio de communi, officium proprium cum Missa, ad usum Ordinis Praedicatorum, ad universam Ecclesiam extendit.

Fatendum est tamen quod huiusmodi officium, nimis distinguitur ab aliis officiis b. Mariae, etiam in festis solemnissimis, quae sunt in romano Breviario; illudque videtur potius esse constructum in honorem mysteriorum Rosarii, quam ipsius b. Mariae,

(31) Inter duplicia maiora nun inscripta est quoque dies octava duplicium 1 classis; ratio huiusce novitatis repetenda est ex eo, quod Gavantus (Sect. III, c. ij, n. 6) inter duplicia maiora dies octavas Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, et etiam quia in ultima emendatione rubricarum, circa dies octavas festorum Domini statutum fuerat, quod in concurrentia praeferri deberent ipsis duplicibus 1 classis. Haec autem dispositio quoddam non parvi momenti inconveniens praeferebat, cui hodie opportune provisum fuit. Cum enim nobilitas Octavae a festi nobilitate perpendatur, ac proinde dies octavae festorum 1 cl. ecclesiae universalis nobiliores sint quam octavae festorum particularium, dies octava Immaculatae Conceptionis praefertur diei octavae Dedicationis propriae ecclesiae. Cum autem dies octava Dedicationis, utpote festum Domini primarium praevaleat duplici maiori in concurrentia, hoc non exiguum inconveniens exurgit, quod dies Conceptionis, quae cedit concurrenti duplici maiori, praevaleret diei octavae dedicationis, quae duplici maiori praefertur. In hac porro Vesperarum ordinatione, a rubricis anno 1897 emendatis, praescripta, evidens perturbatio exurgit, quae contradicit illi iuris axiomati asserenti: *Ego vinco vincentem te, ergo vinco te*. Itaque ut huiusmodi gravis inordinatio e medio tolleretur, statutum est ut exinde dies octavi duplicius 1 classis ritu duplici maiori celebrarentur.

Varia de re liturgica.

Dissertatio de cantu liturgico et de organi sonitu.

B) De organi sonitu.

I. *De tempore quo organum pulsari potest in sacris functionibus.*

1° Iuxta Caerem. Episc. (l. I, c. 28, n. 1 et 2) organum pulsari potest omnibus Dominicis, et omnibus Festis, per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent. Inter eas non connumerantur Dominicae Adventus et Quadragesimae, excepta Dominica tertia Adventus (*Gaudete*) et quarta Quadragesimae (*Laetare*); item exceptis Festis et Feriis infra Adventum, aut Quadragesimam occurrentibus, quae cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur, ut die sanctorum Mathiae, Thomae Aquinatis, Gregorii Magni, Iosephi, Annuntiationis et similibus; item excipitur Feria V in Coena Domini usque ad *Gloria in excelsis* et Sabbati sancti incipiendo a *Gloria in excelsis* (1), et quandocumque occurreret celebrare solemniter et cum laetitia, pro aliqua re gravi (2).

(1) Organa pulsari possunt Feria V in Coena Domini per totum Hymnum Angelicum, et Sabbato Sancto ab eiusdem Hymni initio et deinceps, iuxta Decretum n. 3515, Viglevanen. diei 17 Iunii 1880 ad IV, et Rubricas (S. R. C. 4 Mart. 1901 ad 6, n. 4067).

(2) Organa non silent, quando Ministri utuntur in Missa Dalmatica et Tunicella, licet color sit violaceus (S. R. C. 2 Sep. 1744 ad 4, n. 2363), excepta Missa votiva de Passione, quae habet cocolorem violaceum et in qua non sunt pulsanda organa (Decr. gen. S. R. C. 30 Iun. 1896, IV, 2, n. 3922). — Servari etiam potest con-

2° « In Officiis Defunctorum, organa non pulsantur; in Missis autem (Defunctorum), si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus; quod etiam tempore Adventus et Quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi » (1).

3° Hodiernus tamen usus cantum organis adiuvandi sustineri potest, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debent penitus decantari (2). — Etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, licet in casu necessitatis organum adhibere solummodo *ad associandum et sustinendum cantum,* sive sit gregorianus sive polyphonicus (silente tamen organo cum silet

---

suetudo pulsandi organum tempore Quadragesimae, Adventus et Vigiliarum in Missis B. M. V., quae singulis Sabbatis *solemniter* celebrantur, et in eiusdem Litaniis quae post Vesperas cantantur (S. R. C. 14 April. 1753 ad 4, n. 2424).

In Dominica III Adventus et IV Quadragesimae pulsanda sunt organa in Missa et utrisque Vesperis (S. R. C. 16 Sept. 1673 ad 8, n. 1490); non vero in aliis Horis Canonicis (S. R. C. 2 April. 1718, n. 2245).

Quoad organi sonitum stricte servanda est Caeremonialis dispositio non pulsandi organa in Dominicis Adventus et Quadragesimae ad Missas solemnes et Vesperas, non obstante consuetudine contraria, quae tamquam abusus est eliminanda (S. R. C. 11 Sept. 1847 ad 1, n. 2959; 22 Iulii 1848 ad 1, n. 2963 et 22 Iunii 1874, n. 3333); idem dicendum in Missa solemni de iisdem Dominicis et Feriis, occasione solemnis tridui Expositionis Ss. Sacramenti (S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 16, n. 3576).

Feriis IV, V et VI maioris Hebdomadae tolerari nequit cantus Lamentationum, Responsoriorum et Ps. *Miserere*, simul cum instrumento *Harmonium* et aliis instrumentis *a corda* nuncupatis, iuxta Caerem. Ep. l. c. 28, et plura Decreta (S. R. C. 20 Mart. 1903, n. 4111).

(1) Caerem. Ep., l. I, c. 28, n. 13.

(2) S. R. C. 11 Maii 1911 ad 1, n. 4265. Cf. supra not. 2, et infra II, not.

cantus), excepto ultimo triduo maioris Hebdomadae, post et ante hymnum Angelicum respectivae Missae (1).

4° Convenit quoque pulsari organum, quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missae solemni per alium celebrandae in Festis solemnioribus interfuturus, Ecclesiam ingreditur, aut, re divina peracta, discedit. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus Dioecesanus honorare voluerit, donec praedicti oraverint, et res divina sit inchoanda, et in eorum egressu (2). Item in ingressu Metropolitani et Episcopi ad habendum Synodum (3).

5° In Matutinis, quae solemniter celebrantur in Festis maioribus, possunt pulsari organa, prout et in Vesperis, a principio ipsorum. In aliis autem Horis Canonicis, quae in Choro recitantur, non est consuetum interponere organum (4).

6° Pulsatur etiam in principio Missae vel Officii, statim ac Celebrans paratus exit e Sacristia, nec silet, donec ad Altare pervenerit et cantus incipiatur; item quando Celebrans intra Missam aliquid agit eo tempore quo nihil a Choro canendum est (5). — Insuper, in aliis rerum adiunctis organa adhiberi possunt in Ecclesia et Oratoriis publicis

(1) Cit. Decret. S. R. C., n. 4265 ad 2, et 22 Mart. 1912 ad 2 (A. A. S., IV, 274).

(2) Caerem. Episc. l. I, c. 28, nn. 3 et 4, nisi tempus, v. g. Quadragesimae aut Adventus obstet (Catalan., hoc loco, n. 4; De Herdt, *Prax. Pontific.*, hoc loco).

(3) Caerem. Ep. l. I, c. 31, n. 12 — Laudabilis etiam est consuetudo pulsandi organa in ingressu magni Principis (Catalan., l. c.; De Herdt, l. c.) — Magistratu accedente ad Cathedralem, aliasque Ecclesias saeculares aut regulares, licitus est sonitus tubarum, etiam in actu elevationis SS. Eucharistiae, sed extra Ecclesiae ianuam tantum (S. R. C. 10 Sept. 1718 ad 7 et 8, n. 2255).

(4) Caerem. Ep. l. I, c. 28, nn. 5 et 7.

(5) De Herdt, l. c., n. 218; Martinucci l. I, c. 10, n. 12; A. Carpo, *Comp. Biblioth. Liturg.*, P. II. nn. 235 et 236; aliique. — Cf. tamen supra nn. 2° et 3°.

et semipublicis, maxime in Benedictione cum Ss. Sacramento (1).

II. *De normis servandis quando organa pulsatur intra sacras functiones.*

1° « Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est versiculus *Te ergo quaesumus* etc. et versiculus *Tantum ergo* etc. quando ipsum Sacramentum est super Altari, et similes, cantentur a Choro in tono intelligibili, non autem suppleantur ab organo; sic etiam versiculus *Gloria Patri* etc. (2), etiamsi versiculus immediate praecedens fuerit a choro decantatus; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum. Sed advertendum erit, ut, *quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur id, quod ob sonitum organi non cantatur.* Et laudabile esset, ut aliquis cantor coniunctim cum organo voce clara idem cantaret » (3).

2° « In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cuiuslibet Psalmi; et alternatim in versiculis Hymni, et Cantici *Magnificat* etc., servatis regulis supradictis » (4).

---

(1) Ephemer. Liturg., Vol. XI, p. 704; Gardell., Instr. Clement. Comment., § 31, n. 12; aliique.

(2) Cf. tamen quoad versiculum *Gloria Patri* in fine Psalmorum, n. 2° infra.

(3) Caerem. Ep., l. I, c. 28, n. 6; S. R. C. 2 Maii 1909 ad 9, n. 4054. — Iuxta Ephemer. Liturg., Vol. X, p. 275, non est necesse, ut organum pulset notas versus qui legitur, sed sufficit ut aliquem sonum dicat qui habet cum versus recitati significatione aliquam proportionem, si v. gr. versus moestitiam exprimat, non debet sonus esse triumphalis, et e contra.

(4) Caerem. Ep., l. c., n. 8. — Possunt etiam *Psalmi* ita alternatim dici, ut versus alter concinatur a choro, alter vero re-

— « Psalmi decantari debent a Choro, et ab ipsismet Canonicis, et Beneficiatis, aliisque de Capitulo, in tono et cantu Gregoriano cum gravitate, et decore; ita ut eorum verba ab omnibus intelligantur; sed versiculus *Gloria Patri* etc. poterit solemniori vocis modulatione recitari: et si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona per organum repeti, dum tamen per aliquos mansionarios, aut alios ad id deputatos, eadem Anthiphona clara voce repetatur. Et si quis adesset, qui cum organo cantare vellet, nihil aliud cantet, quam ipsam Antiphonam » (1).

3° « In Missa solemni pulsatur (organum) alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison*, et *Gloria in excelsis* etc. in principio Missae; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad *Sanctus* etc. alternatim, ac deinceps usque ad *Pater noster;* sed ad elevationem Ss. Sacramenti pulsatur organum graviori et dulciori sono: et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari (*nempe, postquam Benedictus cantatum fuerit*) (2); item ad *Agnus Dei* etc. alternatim ac deinceps usque ad Postcommunionem ac in fine Missae » (3). — Quando organa pulsantur, si *Graduale, Offertorium* et *Communio* non cantentur, ea recitanda sunt voce alta et intelligibili, iuxta mentem Caerem. Ep. l. I, c. 28, n. 6,

---

citetur sub organo clara ad distincta voce ab uno ex Mansionariis, dummodo et organa non sileant, et insufficiens habeatur choralium numerus (S. R. C. 4 Mart. 1901 ad 3, n. 4067).

(1) Caerem. Ep., l. I, c. I, n. 8; S. R. C. 26 Nov. 1829, n. 512.

« In aliis autem Horis Canonicis, quae a choro recitantur, non est consuetum interponere organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter Horas Canonicas, aut aliquas earum, ut est Hora Tertia; praesertim quando cantatur, dum Episcopus solemniter celebraturus capit sacra paramenta, poterit talis consuetudo servari » (Caerem. Ep. l. I, c. 28, n. 7).

(2) Cf. Caer. Ep., l. II, c. 8. nn. 70 et 71; S. R. C. 14 Dec. 1909 ad 6, n, 4243.

(3) Caerem. Ep., l. I, c. 28 n. 9.

et Decretorum, n. 2994 ad 2 et n. 3108 ad 14 et 15. Laudabilius tamen est ut illae partes, organo cessante vel comitante, notis gregorianis cantentur, adhibitis libris authenticis cantus gregoriani (1). Idem dicendum de *Deo gratias* in fine Missae (2). — Item in Missis cantatis sine Ministris sacris, Organarii et Chorus debent semper exequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano (3). — « Cum dicitur Symbolum in Missa, non est alternandum cum organo, sed illud integrum per chorum cantu intelligibili proferatur » (4). Sonus tamen organi cum cantu intermisceri potest (5), modo Symbolum integre cantetur (6). — Servari potest consuetudo pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite, missa est* (7), — Quod in cantu Praefationis et Orationis Dominicae, quoties Missae decantantur, organa pulsentur, obstat Caerem. Episc. l. I, c. 28, n. 9, quod servandum est (8).

4° Ad Benedictionem cum Ss. Sacramento organa etiam pulsari possunt suavi ac gravi sonitu, qui sit aptus ad devotionem conciliandam, sicuti fit ad elevationem (9). — Organa pulsari nequeunt cum canuntur Lectiones in Officio Defunctorum, nec iuxta Caerem. Episc. l. I, c. 28, n. 13 in Missa pro Defunctis quando chorus silet (10).

5° « Cavendum est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium,

(1) S. R. C. 8 Aug. 1906 ad 1, n. 4189; cf. Decreta n. 2994 ad 2 et n. 970 ad 2.

(2) Ibid. ad 2, n .4189.

(3) S. R. C. 25 Iunii 1898 ad 2, n. 3994.

(4) Caerem. Ep. l. I, c. 28, n. 10. Cf. S. R. C. 10 Mart. 1657 ad 3, n. 1023.

(5) S. R. C. 22 Mart. 1862 ad 7, n. 3110.

(6) S. R. C. 7 Sept. 1861 ad 15, n. 3108.

(7) S. R. C. 11 Sept. 1847 ad 5, n. 2951.

(8) S. R. C. 27 Ian. 1899, n. 4009.

(9) Gardell., Instruct. Clement. Comment., § 31, n. 12.

(10) S. R. C. 16 Dec. 1909 ad 5, n. 4243.

quod agitur, non spectent, nedum profani, aut ludicri; nec alia instrumenta musicalia addantur, nisi de consensu Episcopi » (1). — « Quamvis musica Ecclesiae propria solummodo vocalis sit, licet tamen musicam organo moderari. Speciali ratione, debitis terminis servatisque tutelis servandis, alia musica instrumenta adhiberi poterunt; numquam vero sine speciali venia Ordinarii, iuxta Caerem. Episc. praescripta. Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant. Non licet cantui instrumentis late praeludere, neque iisdem exodiorum moram facere. Organi sonitus cantum socians, vel eidem praeludens, interludens, etc., non modo iuxta naturam huius instrumenti propriam perducatur, sed omnium qualitatem, quibus musica vere sacra pollet, quamque superius memoravimus, particeps esto » (2).

III. *De musicis Instrumentis inter Sacra.*

1° « In templis, tum musici instrumenti, cui vulgo *pianoforte* nomen inditum est, tum instrumentorum omnium maiorem vel minorem strepitum edentium, utpote tympanorum cuiusvis formae et molis, crotalium, tintinnabulorum et similium, usus vetatur. — Severe prohibetur symphoniacorum catervis (vulgo *bande musicali*) in templis psallere; tantum speciali aliqua ratione, ex venia Ordinarii, licebit admitti eorum manipulum delectum, numero circumscriptum, cantum, loco congruentem, qui spiritalibus instrumentis ludant (italice *di instrumenti a fiato*), dummodo et musicum opus et collata ad tibias vox gravem stylum redoleant, eumdemque comparem et omnino similem vocis organi propriae. — In pompis extra Templum ab Ordinario permitti potest symphoniacorum catervae participatio, dummodo ne quovis modo profanos psallat concentus. Optandum est, in

(1) Caerem. Ep., l. I, c. 28, n. 11.

(2) Instruct. *de Musica Sacra,* approbata a Pio Pp. X d. 22 Nov. 1903, n. nn. 15-18.

huiusmodi vicibus, symphoniacis munus hoc unum tribui, ut spirituale aliquod canticum moderentur, sive latino sive vulgari eloquio a cantoribus propositum, aut a piis Congregationibus, quae pompae adsunt » (1).

2° Usus instrumentorum, quae (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, clarinetes, fagots, trompas*) in elencho recensentur, permitti potest in illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caeremoniali Episcoporum, a praedicto Motu proprio, et a Decretis S. R. C.; verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium, in singulis casibus (2). In Feriis tamen IV, V et VI maioris Hebdomadae tolerari nequit, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis sine strepitu, *a corda*, instrumentis: *violini, viole, contrabassi* nuncupatis, neque cum solo instrumento *Harmonium* (3). — In musica sacra organica tolerari possunt instrumenta musica *oboës* et *clarinettes;* dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur (4). — In Missa solemni et aliis functionibus, in Ecclesiis, quibus est carentia Magistri organi vel cantorum, etiam laicorum, non licet uti machina vulgo dicta *Grammofono,* pro cantu stricte liturgico gregoriano, partium variabilium aut invariabilium Missae solemnis Hymnorum et aliorum Canticorum (5).

---

(1) Instruct. *de Musica Sacra,* 22. Nov. 1903, nn. 19-21.

(2) S. R. C. 15 April 1905 ad 1, n. 4156.

(3) Ibid. cit. Decret., ad 2.

(4) S. R. C. 13 Nov. 1908 ad 1, n. 4226. — Quoad instrumenta, vulgo *timbales* seu *tympanos*, provisum est in art. 19 Instruct. pontificiae *De Musica sacra*, 22 Nov. 1903, n. 4121, et omnino servetur art. 16 eiusdem Instruct. (cit. Decr., ad 2 et 3), qui sic sonat: « Quum cantus primum semper locum obtinere debeat, organum aliaque musica instrumenta cantum adiuvent, numquam opprimant ».

(5) S. R. C. 11 Febr. 1910, n. 4247.

IV. *De mediis praecipuis ad studium sacrae musicae promovendum et ad abusus praeveniendos.*

Quum sacra Musica sit pars Liturgiae, Ss. D. N. Pius Pp. X, Motu proprio, *Instruct. de Sacra Musica,* d. 22 Nov. 1903, (1), R.mis locorum Ordinariis potissimum commendat sequentia:

1° « Ut constituta heic ad amussim perficiantur, Episcopi, ni iam id praestiterint, in suis Dioecesibus coetum virorum constituant, apprime musicam sacram callentium, quibus opportuniore quo poterunt modo, munus committant inquirendi in musica opera, quae suis in Templis canantur. Neque id solum curent, ut sint ipsa probabilia, sed etiam si cantorum virtuti respondeant, atque optime exhibeantur ».

2° « In clericorum seminariis atque in ecclesiasticis collegiis, ex Tridentinis Decretis, magna cum diligentia et amore ab omnibus colatur, quem supra laudavimus, gregorianus cantus traditione acceptus; quique praesunt rem adiuvent, late subiectorum animos confirmando, laudibusque cumulantes. Item, ubi fieri poterit, inter clericos *Scholae Cantorum* institutio provehatur ad sacram polyphoniam bonamque musicam liturgicam optime exequendam ».

3° « In ordinariis praeceptionibus Liturgiae, moralis disciplinae, iuris canonici, quae theologiae tironibus impertiuntur, ea ne omittantur, quae ad principia legesque musicae sacrae propius accedant; sive curetur, ut eiusmodi institutio peculiari eruditione de pulchri specie, seu de aesthetica artis sacrae perficiatur, ne Clerici e seminariis dimittantur harum cognitionum ignari, quae necessariae sunt ad cultum ecclesiasticum integre absolvendum ».

4° « Curae quoque sit ut, apud Templa saltem praecipua, antiquae *Scholae Cantorum* restituantur, quemadmodum optimo fructu pluribus in locis factum est. Haud tamen divinae rei

(1) Quae Instructio, Decreto S. R. C. « *Urbis et Orbis* » d. 8 Ian. 1904 (n. 4131) ad omnes Ecclesias totius Orbis terrarum extensa fuit.

studioso Clero difficile erit *Scholas* has vel in Templis minoribus et rusticis condere; quin etiam modum facillimum inde inveniat apud se congregandi pueros atque grandiores natu, ad ipsorum utilitatem populique optimum exemplum ».

5° « Superiores musicae sacrae Scholae pro viribus sustineantur atque evehantur; ubi autem non sint, ad ea constituenda opus conferatur. Maximi enim momenti est Ecclesiam ipsam ad suorum magistrorum, organicorum et cantorum institutionem incumbere, iuxta verae artis sacrae praecepta ».

6° Denique Chori Magistris, Cantoribus, ecclesiasticis viris, Seminariorum, collegiorum, sodaliumque religiosorum Moderatoribus, Curionibus, Templorum Rectoribus. Collegialium cathedraliumque Ecclesiarum Canonicis, atque praecipue Dioecesium Ordinariis commendatur, ut omni diligentia sapientibus hisce reformationibus faveant, iamdiu desideratis, atque ab omnibus constanter invocatis, ne ipsa Ecclesiae auctoritas, quae non semel eas proposuit, nunc autem rursus, in contemptionem adducatur » (1).

(1) Cit. Instr. *de Musica Sacra*, nn. 24-29.

Quaestiones Liturgicae.

I. — De consuetudine *contra legem* **in Iure Liturgico Romano iuxta praesentem disciplinam.**

(*Continuatio*, v. n. 11 anni elapsi, pagg. 720-725) (1).

Illa ergo Concilii Romani decreto explicatio adiecta *tamquam detestabiles abusus et corruptelas prohibeant*, haec duo revera ostendit, scilicet: I) voluntatem deliberatam Legislatoris, ut Episcopi provinciae Romanae ecclesiasticae et alii qui Concilio interfuerunt teneantur vetare transgressiones Rubricarum (eas considerantes ut abusus et corruptelas), neglecta etiam appellatione *interposita* et *allegata* consuetudine: quod non prohibet, iuxta principia generalia iuris, quo minus quaestio a competenti auctoritate examinetur et forte, approbatione ipsius consuetudinis, legitime demonstratae, definiatur; II) hanc ipsam voluntatatem vehementer contrariam Concilii Romani esse *rationem* sufficientem, qua consuetudines contra Rubricas saltem donec ab auctoritate examinentur, haberi debeant, in praedicta Romana Provincia, tamquam *irrationabiles abusus*, propter resistentiam particularem legislatoris: non cogimur ergo dicere quod omnes sint abusus

(1) Cum Auctor huius elucubrationis longe abesset, non habuit copiam revidendi typorum specimina *Continuationis* articuli, editae sub num. 11 harum *Ephem. L.* a. 1912; in qua proinde non leves obrepserunt errores. Corrigenda est praesertim periodus *mutila* in *nota* ad pg. 72, quae ita compleri debet:... «hodie quatuor sententiae (super obligatione rubricarum) a Ballerini propugnatae et a S. Alfonso exceptae, non videntur amplius *omnes* sustineri; et saltem ea est reiicienda quae tenet omnes rubricas esse *directivas* (Gury-Ball., II., 167 not. 4). Ultima periodus autem plane perverse extra locum fuit collocata, not. 4).

in se. **Sed notandum etiam hanc voluntatem esse** legem **humanam ac praescribi posse.**

Nec satis: post interpretationem verbalem, nobis patet recursus ad intentionem Legislatoris. Haec autem certe non indiscriminatim et absolute se ferre videtur contra *omnes* consuetudines, rubricis adversantes, sed iuxta modum, seu supposita conditione quod reperiantur non rationabiles, vel minime praescriptae. Reapse intentio patet praecipue ex *comparatione* et ex *materia.* Et primo ex comparatione et connexione huius Decreti cum pluries citato Capite Decretalium cui non derogavit Concilium Romanum, *utpote particulari* pro dioecesibus Episcoporum ipsi Synodo praesentium, et quod *absque exceptione* recognoscit legitimam consuetudinem contra legem, ut vidimus. Super textibus iuris autem praefato capiti adversantium, Canonistae (Cf. Schmalzgrueber, l. c. I, 278, n. 21) et Moralistae (Ballerini-Palmieri, l. c. I, pag. 285, n. 64) animadvertunt cum Glossa (cap. VIII, *De sentent. et re iudic.*): « *textus isti* ET IPSIS SIMILES *intelligi solum debent de consuetudine irrationabili, et nondum legitime praescripta* ».

Intentio Legislatoris patet ulterius ex connexione secundae partis ipsius decreti cum praecedenti, ex qua reapse prodit, mentem Pontificis et Concilii non fuisse, Episcopos prohibere *absolute* contraria omnia *singulis* praescriptionibus librorum liturgicorum, sed solum, *contraria* omnia ritibus in genere *receptis* et *approbatis ab Ecclesia Catholica;* inter quos certe adhuc recensendi sunt *ritus consuetudinarii* et *legitimi:* scilicet (ut hoc exprimamus aliis verbis), Papam et Concilium hoc intendisse, ut prohiberentur solummodo, *absolute,* ritus *pro libito inventi, et irrationabiliter inducti,* de quibus, ut vidimus, sermonem fecerunt in initio capitis.

Haec interpretatio confirmatur ex capitibus praecedentibus eiusdem Concilii (tit. II, c. IV et V). Decretum cap. IV ita se habet; « *Consuetudines... non nisi rationabiles et honestas admittant* (Episcopi in Stat. Capitularibus); *et si quas a ratione declinasse, vel contra Breviarii, aut Missalis, Cae-*

remonialis Episcoporum, Pontificalis vel Ritualis Romani rubricas inolevisse... compererint, eas vel corrigant vel omnino delendas decernant ». Hic igitur Pontifex se revelat non tam *absolute* et universaliter contrarium cuicumque consuetudini contra rubricas, ut videtur in cit. tit. XV, etiam respectu Prov. Romanae, nec praescribit omnes omnino eiusmodi consuetudines contra legem esse in ea delendas multoque minus *ut abusus* esse considerandas. Haec clarius patent ex cap. V tit. cit.; quod relate ad praefata Statuta Capitularia addit generatim: « *Nihilque in eis sit quod a iuris dispositione, et Congregationum decretis,* **usuque recepto et approbalo** *exorbitet* ». Prolatum proinde Concilii Romani decretum tituli XV, haberi nequit ut *exceptio Iuri Communi* circa consuetudinem contra leges liturgicas, nec pro Dioecesibus Concilio Romano an. 1725, subiectis.

Quod si quis Decretum Concilii Romani considerare velit etiam alio sensu: scilicet, ut declaratio doctrinalis comcompetentis auctoritatis ecclesiasticae adhuc sub hoc respectu eius vis non transgreditur provincias Concilio Romano adstrictas, quia Papa in Concilio particulari non edit — nisi contrarium exprimat — declarationes necessario obligatorias pro universa Ecclesia; quando directe non agatur de declarationibus iuris naturalis vel divini.

Reliqua Acta Pontificia, ad quae provocari solet pro quaesita reprobatione consuetudinis, in genere, in rebus liturgicis, veluti Constitutio: *Accepimus* (16 iulii 1746) Benedicti XIV, et altera: *Officiorum et Munerum* (25 ianuar. 1896) Leonis XIII, nullimode faciunt ad rem (1).

(1) Revera Bulla Benedicti XIV, data Episcopis Ditionis Ecclesiasticae, haud aliter ac Constitutiones Pontificiae antecedenter explicatae, non praecipit prohiberi consuetudinem in genere adversus sacros ritus, ut Appeltern insinuare videtur (Op. cit. pg. 19, in not. 1) et volunt hae *Ephemerides* anni 1894, n. 10, sed « *pravae consuetudines,* quae ritui Missae celebrandae adversantur »; et hoc conformiter ad Tridentinum (Bull. Benedict. XIV, ed. Mechliniae, 1828, vol. IV, pg. 271). — Quoad Constitutionem Leonis XIII, Pontifex nil aliud voluit quam extendere ad omnes libros liturgicos authenticos vetitum, ne minimam

A Constitutionibus Apostolicis gradum facientes ad Decreta, praesertim S. Rituum Congregationis, pariter nobis nullum occurrit Decretum generale, prohibens, tamquam abusum, omnes absolute consuetudines contra iam laudatos nostros libros liturgicos (Wernz, *Op. cit.*, vol. III, part. 2, n. 330).

Verum est, quod Rubricistae citant varias S. R. C. decisiones (De Herdt, *Praxis cit.* I, p. 6; Appeltern, *Manual. cit.*, p. 23. Coppin Stimart, *Compend. cit.* p. 15-16...), sed sunt prohibitiones vel reprobationes solummodo nonnullarum *peculiarium* consuetudinum. Nulla decisio hactenus citari potuit, quae prohibeat aut reprobet *omnes* et singulas consuetudines contrarias praescriptionibus, in generali, omnium librorum liturgicorum, aut etiam unius ex istis, excepto Missali, quod tamen etiam penitus non eximitur a vi consuetudinis, ut videbimus.

Revera ab oppositae opinionis patronis allegari solet una vel altera resolutio S. R. C. quibus statuisse volunt *nullam consuetudinem praescribere posse Rubricarum dispositioni* (1). At notamus primo decreta huius generis, absoluta et *universalia*, non repereri, ni fallimur, in aliqua S. R. C. resolutionum collectione, neque in ullo documento pro Ecclesia universali formiter promulgato. Praeterea allegata decreta, dato et non concesso quod in orbe catholico vigerent, nullimode attingerent consuetudines immemorabiles. Denique citatae resolutiones manifeste reduci videntur ad prohibitionem consuetudinis: verum uti probavimus, non obstante legis inhibitione, consuetudo rationabilis potest adhuc praescribere contra legem canonicam.

---

quidem in iisdem mutationem faciendi, sub poena prohibitionis eorumdem: nihil statuit, nec congruenter eo loco statuere poterat, de consuetudine in genere, quae proprie est *ius non scriptum*, a more peculiari aut generali Ecclesiae consecratum.

(1) Bouvry G. F. J., *Solution de difficultés Théologico-Liturgiques*, Paris-Tournai, Casterman, 1861, pag. 34. Huc reducitur controversum aphorisma: *Contra Rubricas non praescribitur*.

Nec magis facit ad rem responsio S. R. C., diei 14 Iulii 1882, allegata in causa celeberrina Lisbonen., agitata apud S. Congreg. Concilii anno 1900-1902 et publici facta iuris in *Actae Sanctae Sedis* (ed. Piazzesi, vol. 34, pag. 299-300), cf. *Causam integram* 17 Feb. 1900.

Exorta controversia (ita se habet facti species inter Magistrum Caeremoniarum et nonnullos Canonicos Ecclesiae Cathedralis (Urgellen), qui contendebant servandas esse consuetudines immemorabiles quamquam Rubricis et Caeremonialis Episcoporum praescriptionibus repugnantes, ab Episcopo ad Sacram Rituum Congregationem delata, fuit, relatis consuetudinibus et propositis sequentibus dubiis:

« Utrum Magister Caeremoniarum expectare debeat de-« cretum seu consensum Capituli ad exsequendas Rubricas « et S. R. C. decreta;.... etc.

« Utrum consuetudines, quamtumvis immemorabiles HUIUS « ECCLESIAE, si quae reperiuntur, Rubricis Missalis, Brevia-« rii, Caeremonialis Episcoporum, Ritualis Romani et S. R. C. « decretis in collectione Gardelliniana contentis, aperte repu-« gnantes, servari possint; an potius tamquam abusus et cor-« ruptelae reprobandae sint ac reiiciendae, licet in ipsis, de « consuetudine immemorabili, nulla mentio fiat prout videtur « ex Costitutionibus Apostolicis, ex S. R. C. decreto initio « Missalis posito, nec non aliis: 16 Mart. 1591 in *Oscen.*; « 27 Nov. 1632 in *Perusina*; 18 Iunii 1689 in *Romana*; « 17 Maii 1692 in *Forosempronien.*; 14 Iunii 1845 in una « *Ordin. Discalceat. SS. Trinit.*; 16 Mart. 1658 in *Iacen.* (Collect. « Gardellini); 12 Aprilis 1823 in *Ravennaten.*; 12 Dec. 1832 in « *Pisana*; Aug. 1839 in *Triventin.*; et 11 Sept. 1847 in *An-« gelopolitana*?

« An in dubiis (et dum fit recursus ad S. R. C.) possit « Capitulum... decernere, standum esse in aliquo particulari « casu consuetudini immemorabili et non potius Rubricis et « Decretis etc... ».

S. Congregatio praefatis precibus Episcopi Urgellen. in forma epistolari privata responsum dedit, et, dignum quod

notetur, non directe tribus dubiis expositis (quod falso suadet citatum documentum, minus accurate allegatum in causa praedicta apud S. Congr. Concilii relatumque in Ephemeride « *Acta Sanctae Sedis* » (l. c.); sed casui particulari prout circumstantiae expostulabant. Haec responsio, a viris eruditis citata, nos primum fideliter et integre edimus, ab ipso S. R. C. archivio, ex libris *Decretorum* an. 1882. Ecce eam ad verbum:

« In Congressu habito coram E.mo D. Cardinali Dominico « Bartolini, Praefecto, die 14 Iulii (feria VI) 1882, cui inter- « fuerunt.... resolutae fuerunt causae ut infra, nimirum...

« 5. Urgellen. — R.me Domine, uti Frater, Exposuit Am- « plitudo Tua huic Sacrae Rituum Congregationi, quod cum « Magister Sacrarum Caeremoniarum istius Cathedralis Ec- « clesiae nonnulla ipsius Sacrae Congregationis Decreta non « paucis abhinc mensibus Capitulo communicaverit, aliqui ex « Canonicis et Beneficiariis existimantes se sequi debere Ec- « clesiae consuetudines haud conformes praescriptionibus eo- « rumdem Decretorum, his obtemperare renuerunt. Quare « Amplitudo Tua, quaedam dubia Sacrae Congregationi sub- « iecit, in quibus *eiusmodi consuetudines* referens oppor- « tunam declarationem, ad omnem tollendam in re opinionis « discrepantiam humiliter exquisivit.

« Sacra vero eadem Congregatio, ad relationem infrascripti « Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caere- « moniarum Magistris, omnibus mature perpensis, declaravit « ac decrevit: Expositas consuetudines removendas esse, « utpote corruptelas: rubricas et Decreta omnino servanda: « et Amplitudo Tua moneat dissidentes atque indociles etiam « per ecclesiasticas poenas.

« Quae dum Amplitudini Tuae communico etc.

Amplitudinis Tuae.

Romae 14 Iulii 1882

Uti Frater (*deest subscriptio*).

Primo intuitu patet, editam resolutionem directe tribus dubiis superius propositis non respondere, sed tantum, ut innuimus, casui practico, in supplici libello Episcopi Urgellen. exposito. Habemus igitur responsionem ut saepe saepius evenit in S. Rit. C. procul dubio *particularem*. Nec allata resolutio videtur dici ullo modo posse *aequivalenter* generalis ac proinde attingere universam Ecclesiam; quia non solum data fuit in forma epistolae privatae, sed nec fuit munita solitis clausulis, ex quibus appareat ab omnibus esse servandam; nec, quod praecipuum est, unquam a S. Congregatione, authentice pro universa Ecclesia promulgata fuit, quod tamen necessarium erat ut eidem tribueretur vis legis generalis, cum de declaratione iuris dubii et obscuri ageretur.

Non potest ergo neque hoc decretum constituere *exceptionem* regulae generali de consuetudine contra legem canonicam.

Reliquum est, ut perpendamus praxim curiae et praesertim S. R. Congregationis, ex eadem exquirentes, an, in defectu legis generalis, possit deduci, quod prohibeantur et reprobentur omnes consuetudines, contrariae praescriptionibus librorum liturgicorum. Hoc in loco statim asserimus, quod, quamvis in Iure Canonico theoretice admittatur consuetudo *contra legem*, debitis conditionibus praedita, tamen in praxi Sedes Apostolica et SS. Congregationes Romanae, saltem recentioribus temporibus, generatim non faciles se praebuerunt in recognoscendo eiusdem valore (Cf. D'Annibale, *Summula* I, 194, not. 30; Gasparri, *De sacr. ordin.* n. 56, 69 sq. 21, 175, 159 sq. 211, 510, *De matrim.* n. 16, 273, 304 sq. 904 ? 898. Wernz, Op. cit. I, pg. 258), quin tamen idcirco ullum praeiudicium afferrent principio generali, quod recentissimis resolutionibus firmatur, praesertim Sacrae R. Rotae.

In particulari autem, tum Sancta Sedes, tum S. R. Congregatio difficiliores repertae sunt in recognoscendis consuetudinibus contra leges liturgicas. Attamen id quod asserere non dubitarunt nonnulli rerum liturgicarum scriptores certe a veritate absonum est: quod scilicet quoties

ad illam (S. R. C.) deferuntur consuetudines... contra leges liturgicas, eas semper improbat, ex eo solum quod contradicant..... praescritionibus Librorum liturgicorum aut suis etiam decretis. Cf. Coppin-Stimart, *Compend. cit.* n. 22, resp. 2. De Herdt *Praxis c.* I, pg. 6 n. 11.

F.

Consultationes.

E Conventu N. **De Officiis in festis secundariis. —** *Quaeritur.* Utrum apud Fratres Minores Franciscanos Festa Inventionis et Translationis S. Francisci, quae Antiphonas in Hora maiori ex eius Festo depromptas habent, eas cum suis Psalmis in eadem Hora retineant, necne?

Resp. Satis certum videtur praedicta Festa secundaria S. Francisci, quamvis habeant Officium proprium, licet in parte ex eiusdem Festo desumptum, non comprehendi in Festis a nova Rubrica Psalterii, tit. I, n. 2, exceptis (Cf. cl. Dr. P. Piacenza, *Guida Pratica per la recita del Divino Officio,* p. 26. not. 1).

Dicta enim Rubrica satis clare dicit: « *Excipiuntur* (scilicet a sumendis Psalmis de occurrente hebdomadae die)... *necnon omnia Festa B. Mariae Virg., Ss. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum, et Duplicia I et II classis* ». Hinc *omnia Duplicia I et II classis* in ea Rubrica inter excepta comprehenduntur, *non autem omnia* Officia *duplicium I et II classis.* Et cum Festa Translationis et Inventionis S. Francisci sint ritus duplicis maioris, idcirco inter excepta in ea Rubrica non censentur.

Sed nunc quaestio est, uti proponitur in casu, nonne praedicta Festa S. Francisci comprehendantur sub. n. 3, tit. I eiusdem novae Rubricae, ubi sequentia verba leguntur: « *Quod si aliquod ex Festis huiusmodi* (ritus scilicet duplicis maioris, vel minoris, vel semiduplicis, vel semplicis) *proprias vel peculiariter assignatas habeant Antiphonas in aliqua Hora maiori* (i. e. ad Matutinum, Laudes et Vesperas), *eas in ea-*

dem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicantur de Feria occurrente ».

Ad hanc quaestionem *affirmative* esse respondendum mihi videtur. Quamvis enim Antiphonae in Festis Inventionis et Translationis S. Francisci ex eius Festo principali sint depromptae, non sunt tamen de Communi Confessoris non Pontificis, et consequenter eae Antiphonae considerandae sunt uti propriae, vel saltem peculiariter assignatae illis Festis secundariis S. Francisci; ideoque ea Festa revera comprehenduntur sub n. 3 tit. I novae Rubricae.

In confirmationem huius doctrinae afferri potest recens S. Rit. Congr. Decretum sequentis tenoris: « Antiphonae et Psalmi ad Matutinum Commemorationis Omnium Ss. Romanorum Pontificum, e Communi Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria ut recitari debeant etiam si eiusmodi Festum celebretur sub ritu duplici maiori vel minori; an potius utpote de Communi desumpta, cedere debent Antiphonis et Psalmis de Feria? » — S. C. R. respondit: « Quoad 1^{m} *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* ». Die 24 maii 1912, IV, 1° - A. A. S., IV, p. 419.

In hoc Decreto, uti patet, agitur de Festo, in quo Antiphonae desumptae sunt ex alio Communi, et nihilominus S. R. C. eas Antiphonas illi Festo proprias vel saltem peculiariter assignatas considerat, et consequenter illud Festum comprehenditur sub. n. 3, tit. I novae Rubricae. Nonne hoc a fortiori dicendum est de Festis quae habent Antiphonas revera proprias, sed ex alio Festo eiusdem Sancti depromptas?

Contra praefatam doctrinam obiici potest aliud recens S. Rit. Congr. Decretum, quod ita se habet: « An in Festis simplicibus quae habent ad Laudes Antiphonas proprias, ex alio Festo desumptas, ut in Festo S. Agnetis secundo, ad Laudes Psalmi dicendi adhuc sint de Dominica cum Antiphonis Festi simplicis; vel potius Antiphonae et Psalmi de Laudibus Feriae occurrentis, et a Capitulo et deinceps de

Festo simplici »? — S. R. C. resp.: « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam* ». Die 26 Ianuarii 1912, A. A. S., IV, p. 105. — Insuper, nonne Rubrica, tit. I, n. 3, in eadem linea ponit Festa duplicia maiora, minora, semiduplicia et simplicia, quae habent Antiphonas et Psalmos de currenti Feria? Et nonne eadem Rubrica unam tantum exceptionem admittit *ex iis Festis* (mox enumeratis), quae nempe proprias vel peculiariter assignatas habent Antiphonas in aliqua Hora maiori, quas eiusmodi Festa in eadem Hora (maiori) cum suis Psalmis retinent? Nonne potius dicendum est eam exceptionem (de qua nova Rubrica tit. I, n. 3 loquitur) extendi non posse ad Festa *secundaria eiusdem Sancti,* sive sint ritus duplicis maioris vel minoris, sive semiduplicis, sive simplicis?

Resp. Notandum est, in praefato Decreto agi de Festis *simplicibus,* quae ante novissimam Rubricarum reformationem habebant ad *Laudes* tantum Psalmos de Dominica; ad Matutinum autem et ad primas Vesperas habebant Psalmos feriales, vide Rubr. gener. Brev., tit. III, n. 3; tit. XIII, n. 7 et tit. XIV, nn. 1 et 2. — Hinc S. C. R. declarando quod in Festis simplicibus quae habent ad Laudes Antiphonas proprias ex eius Festo depromptas, Psalmi non amplius sumendi sint de Dominica, sed potius Antiphonae et Psalmi de Laudibus Feriae currentis, nihil aliud fecit quam statuere pro Laudibus eorumdem Festorum eamdem «regulam» quae iam existebat quoad Psalmos pro Matutino et 1[is] Vesperis huiusmodi Festorum. Ex quo satis patet, dictum Decretum applicari non posse aliis Festis ritus duplicis (maioris vel minoris) vel semiduplicis, quae ante novissimam Rubricarum reformationem in singulis Horis maioribus Antiphonas et Psalmos, uti alia Festa classica, ex eodem loco assignata habebant.

Consequenter, iuxta meam sententiam, Festa Inventionis et Translationis S. Francisci ritus duplicis maioris, quae Antiphonas in Hora maiori ex eius Festo depromptas habent, eas cum suis Psalmis in eadem Hora retinent.

P. V. ab A.

* *E Galicia* — I. Occurrente in Ecclesia Regularium festo Titularis ipsius Ecclesiae, eadem die qua occurrit Anniversarium Dedicationis Cathedralis, Officium fieri debet de ipso Titulari. Ratio est, quia, licet Dedicatio cuiusvis Ecclesiae sit semper festum Domini, et in paritate ritus praevalere debeat festis minoris dignitatis personalis, in casu agitur de festo magis Proprio. Meratus (Sect. III, x, n. ix) in quaestione simili, non adaerens sententiae Gavanti, cum Guyeto (IV, xij, q. 2) rationem hanc ipsam adducit, docens: « Quia Festa propria (et in casu nostro imo magis propria) praeferenda sunt ». Festum enim Titularis, in Ecclesia sua omnium solemnissimum est, et non cedit nisi festis Solemnissimis Ecclesiae Universalis, ut omnibus notum est.

Ad rem citandum est S. R. C. decretum diei 4 Febr. 1886 n. 3881, in quo conceditur praeferentia festo Patroni principalis loci supra festum Dedicationis *Propriae Ecclesiae*. Ex. gr. in civitate Neapolitana die 19 Septembris, in quo occurrit Festum Patroni s. Ianuarii, occurrit quoque in mea ecclesia anniversarium Dedicationis; iuxta citatum decretum, in mea Ecclesia relinquo anniversarium, quod alia die celebrabo, ut agam festum s. Patroni. Et est notandum quod in casu meo, agitur de Dedicatione meae propriae Ecclesiae strictissimo sensu desumptae, nihilominus ratione celebrationis festi in populo, Patronus vincit Dedicationem. Ergo a pari, imo a minori ad maius, occurrentibus eadem die festis Titularis meae Ecclesiae et Anniversarii Dedicationis Cathedralis, quia populus festum agit cum concursu Titularis, Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis alia die est assignandum iuxta novas Rubricas, nempe die sequenti.

Scimus quod Dedicatio Cathedralis agitur in tota dioecesi a clero Saeculari et Regulari, quia est revera Ecclesia propria, ratione subiectionis, etiam extra ipsam Cathedralem; nihilominus minus est propria quam Dedicatio Ecclesiae propriae, stricto sensu acceptae. Igitur si ista cedit festo Patroni, ratione feriationis, scilicet ratione festivitatis in po-

pulo, multo magis cedere debet Dedicatio Ecclesiae minus propriae, in occurrentia Titularis Ecclesiae propriae, qui a populo totius paroeciae cum concursu celebratur.

II. Iisdem ex rationibus, etiam in concurrentia festum s. Titularis propriae Ecclesiae in Ecclesia ipsa, integras vesperas sibi vindicat, et ideo praeferentia gaudet super Dedicationem Ecclesiae Cathedralis.

Sed contra haec stat: 1° novus ordo praeferentiae inter festa, quem exhibet Tit. II novarum Rubricarum, quo *feriatio* datur ut criterium praelationis post *dignitatem personalem*, et *proprietas* post solemnitatem externam seu *feriationem*; 2° genuinus textus Decreti 3881, II, quo feriatio tantummodo valet ad praelationem dandam Patrono super Dedicatione, non aliis, incluso Titulari, et quidem *facultative*, non ex praecepto; 3° feriatio, numquam, et multo minus in sensu istius decreti, est duplex praeceptum audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, non vero concursus populi (ob quem unicam Missam cum cantu, in casu nostro, permittunt Rubricae gen. Missalis, Tit. VI); 4° Rubrica n. 2, inter *Notanda* post novas Tabellas occurrentiae et concurrentiae, ait, festum Dedicationis *ecclesiae propriae* non cedere nisi festis duplicibus I cl. primariis Ecclesiae universalis; atqui festum Dedicationis Cathedralis est festum dedicationis ecclesiae propriae, non enim datur amplius in casu distinctio non proprii ac secundarii iuxta decretum n. 3881, III, post Decretum n. 4249, III, ergo Dedicatio Cathedralis non cedit Titulari ecclesiae propriae.

Distinctio inter magis proprium et minus proprium non est inter criteria praestantiae, ceteris paribus.

Quod si quis subsumeret, quod etiam Titulus ecclesiae propriae non cedit, iuxta praedictam Rubricam n. 2 inter notanda, nisi festis solemnioribus universalibus, ergo etiam Dedicationi propriae ecclesiae; respondebimus, praemissam veram esse, sed canere extra chorum, quia hic agitur de praeferentia Tituli, non contra festum conditione inferius, sed contra festum eiusdem conditionis ad effectum de quo

agitur, quae sunt: *Dedicatio ecclesiae propriae* (si scilicet officium fiat *in ea* vel *de ea*), *Titulus, Patronus*. Nunc vero inter haec festa manet praestantia hoc ordine: 1° Dedicatio ecclesiae etiam cathedralis, utpote ecclesiae propriae — 2° Tituli — 3° Patroni.

Concludimus igitur uti in n. 11, pag. 705 harum Ephemeridum an. 1912, opus esse indulto S. Sedis, ad obtinendam legis relaxationem, quae quidem videtur opportunissima, in casu.

BREVIORA RESPONSA

Pro Eggenburg in Austria. — I. In multis regionibus fit expositio Ss. Sacramenti non in Ciborio, sed in Ostensorio, infra unam Missam privatam. Quoad Orationem de Ss.mo in hoc casu non una eademque est praxis. Alteri nunquam Orationem addunt; alteri contendunt, semper esse addendam: Q. quid ad casum?

Resp. Iuxta Decr. S. R. C. n. 2745, ad VI, collecta, durante expositione Ss.mi Sacramenti dici *potest;* a fortiori si Missa coram Ss.mo celebretur. Verum excipi debet casus de expositione ob causam privatam, iuxta Decr. 4120, ad VII. Forte non est omittenda etiam in nostro casu in Missa coram Ss.mo.

Pro Conventu « Racconigi » O. M. Cap. — I. Die tertia Octobris occurrit festum S. Caietani C. fixe ass. cum comm. Vigiliae S. P. N. Francisci. In Ordine liturgico Min. Cappuccinorum Prov. Pedemontanae leguntur haec verba; « Prohibentur omnes Missae votivae ». Quaeritur, Utrum Vigilia impediat Missam votivam solemnem Sacratissimi Cordis Iesu, quae iuxta veterem rubricam prohibetur tantum in dupl. 1ª classis?

Resp. Negative, est enim haec ad instar votivae pro re gravi, et publica Ecclesiae causa, quae in suo vigore permanserunt.

II. In casu negativo, an omnes Missae eadem in Vigilia, excepta Conventuali celebrari possint de Sacratissimo Corde Iesu, iuxta privilegium Pii X, concessum Ordini Min. Capulatorum?

Resp. Negative, nisi privilegium ponat eas Missas extra numerum privatarum, iuxta tit. X, n. 2, novar. Rubr.

III. Singulis Sabbatis per annum omnes et singuli Fratres Minores celebrare possunt Missam Vot. Immac. Conceptionis, etiam in duplicibus maioribus vel minoribus. Quaeritur, Utrum supradicta Missa celebrari queat in Vigiliis?

Resp. Negative, ut supra, ad II.

IV. In civitate Augusta Taurinorum, Clerus saecularis celebrat die 26 Augusti festum S. Secundi M., sub ritu dupl. 1ae classis cum octava, tamquam Patroni princip. civitatis et totius territorii. Hoc vero festum numquam fuit feriatum. Quaeritur, Utrum Regulares degentes in eadem civitate teneantur celebrare idem festum sub ritu dupl. 1ae classis, an potius sufficiat ut celebrent de Patrono Dioecesis?

Resp. Iuxta novissimas rubricas, Tit. IX, n. 4, affirmative ad primam partem, negative ad secundum; quia ex eadem rubrica cessavit omnino interpretatio Decreti 3863, quae favebat omissioni Patroni *non feriati* (Cfr. Menghini: *Norme pratiche etc.* secondo la cost. *Divino afflatu*, IIIa ediz., p. 44, 45).

Pro Gallia. — An recte ordinatur Calendarium sequenti ratione?

4. Dec. Fer. 4. S. Barbarae V. M. *dupl.* — Com. oct. et fer. — In Mis. Cr. — Vp. a c. seq. dup. (4. hui.) in H. m. 3. ℣. ad « Magnificat » Ant. *O Doctor,* com. praec., oct. (S. Franc. Xaver.), Fer. ac S. Sab. Ab. C. (Ant. *Similabo,* ℣. *Os iusti*).

5. Dec. Fer. 5. S. Petri Chrysol. E. C. D. *dupl.* — (4. hui.) com. oct. (S. Franc. Xaver.) Fer. ac S. Sab. (Ant. *Similabo,* ℣. *Os iusti*) etc.

Resp. Conformius est menti Decretorum S. R. C., ad Laudes diei 5 assumere antiphonam de secundis Vesperis: *Hic vir,* ne pro eodem Sancto qui in casu caret secundis Vesperis eadem sumatur antiphona in Vesperis et in Laudibus.

Pro dioecesi Savonen. — I. Anno 1914, Solemnitas S. Ioseph die 3 Maii occurret, sc. in festo Inventionis S. Crucis. Ubi haec Inventio recolitur tamquam titularis Ecclesiae debet nihilominus reponi in feriam II (die 4 Maii), etiamsi dignitate praevaleat, etenim solemn. S. Ioseph recensetur inter festa (ut ita loquar) primo-primaria.

De diebus autem Octavis, quid agendum? Uterque occurrit in Dom. IV post Pascha. Ad tenorem novarum rubricarum, nequit peragi officium Octavae Solemn. S. Ioseph in die Dominica; e contra, Octava dies Invent. S. Crucis, utpote festi Domini, debet celebrari in Dominica.

Potestne, in casu, dies octava praevalere quando festum ipsum non praevaluit?

Resp. Affirmative, quia officium S. Crucis, ipsi Dominicali officio subrogatur, ut ait Decretum S. R. C. 24 febr. 1912, IV.

II. Ubi festum Purificationis B. M. V. celebratur cum octava, quando festi huius dies octava in Dominica minori occurrit (quod eveniet anno 1919), quodnam officium persolvendum est, de Dominica, an de octava?

Resp. Ob rationem in decr. S. R. C. 27 mart. 1902, III, expositam, quia scilicet recensetur festum Purificationis inter festa Domini, negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

III. Rubricae ad normam Bullae « Divino afflatu » (T. X, n. 2) dicunt: « Prohibentur Missae votivae privatae, aut privatae pro defunctis... in feria... in qua reponenda est Missa Dominicae ». Quae est illa feria? — Et « Ephemerides Lit. » responderunt (Octobr. 1912) esse feriam minorem infra hebdomadam, in qua nullum officium IX lect. occurrit. Haec sententia est probabilissima.

Sed, quando alicuius hebdomadae omnes dies sunt « infra octavam » v. gr. Solemn. S. Ioseph, S. Ioannis Bapt., utrum unus ex illis diebus (et quidem ille qui primo occurrit) eligi non deberet ad reponendam Missae Dominicae praecedentis?

Resp. Negative, iuxta praesentem disciplinam. Optandum tamen valde est, dicimus cum cl. Inquirente, ut S. R. C. Missas dominicales, quae quotannis impediuntur (ut II^a^ post Epiph., III^a^ post Pascha, I^a^ post Pentecosten, etc.) iubeat infra hebdomadam celebrari.

Optandum similiter, ut quando Missae de festis simplicibus (Missae quidem cultui ac pietati multum faventes, ut videre est pro diebus II, IX, XIV, XIX, etc. mensis iulii), quando, dicimus, hae Missae impediuntur, vel ob occurrentiam perpetuam festi IX lectionum, vel ob praescriptionem his diebus celebrandi in nigris, provideatur pro earum recitatione. Antiquae rubricae iubent, Missam cum officio diei ordinarie convenire. Hodie nimis multae sunt exceptiones, et rarissime celebrari potest Missa de semiduplici vel de simplici. Piana reformatio Missas Proprii de Tempore nuper in cultum restituit, confidimus fore ut quam cito pergat suum opus Missas Proprii, tum de tempore, tum Sanctorum, omnes in honorem revocando.

Pro Odvorco, in Hungaria. — I. In nostro Kalendario et Proprio pro octavis Ecclesiarum parochialium Dioecesum Bosnien. et Sirmien., a S. Rit. Congr. approbatis, pro octava die S. Antonii Paduani C. LL. 2^i^ Noct. assignatae sunt: *Sermo S. Bernardi Abb. Sancti N. vita,* etc., ex Octavario Rom. pro septima die infra Octav. Conf. non Pontif., et quidem verosimiliter sensu Notae 5, pro usu Octavarii Rom. — Anno 1902, venerab. Ephem. liturg. pagg. 189 et 479, dixerunt: « Cum non agatur de historia, cuius ordo sequendus esset, sensu Rubr. Brev. tit, VII, n. 4, relativus ordo de Lect. occurrentibus tenendus est. » Similiter docet et D. 2319 ad V. Quaeritur modo, utrum idcirco LL. 2^i^ Noct. pro dicta Octava die sonare debeant: *Sermo S. Bernardi Abb. Gaudete in Domino?* Vel ut supra: *Sancti N. vita,* cum nec

LL. 2 Noct. infra oct. Nativitatis B. M. V. in corpore Breviarii Rom. de relativo die assignatae sint?

Resp. Ex quo S. R. C. Lectiones in casu nominatim adsignavit, iam cessat disquisitio de qua in expositione dubii.

II. Utrum Octava die B. M. V. Auxilii Christianorum, sonare debent: LL. 2[1] Noct. (ex D. 3197 ad III) ut in festis B. M. V. per annum, ut in fine Breviarii Rom.? de quo loco, iuxta vener. *Ephem. liturg.* 1909, p. 377, et LL. 3[1] Noct. sumendae sunt.

Resp. Affirmative, ob rationem in dubii expositione relatam.

III. Utrum Octava die Ss. Nominis B. M. V. LL. 2[1] Noct. sonare debent; *Fuit vir* ex Octavario, pag. 35 et deficiente Octavario, ut in festo (D. 3876, ad IX), et LL. 3[1] Noct: *Dixit Maria,* ex Octavario, p. 456 et deficiente Octav. ex fest. Ss. Rosar. vel Purit. B. M. V. vel ex alio loco ob idem Evang. ex D. 4120, ad VI?

Resp. Affirmative ex ratione in expositione dubii allata.

IV. Cum anno proximo 1913, Octava in ecclesia S. Blasii Ep. et M. ob supervenientem Quadragesimam perfici nequeat, quaeritur, utrum sensu D. 4264, ob uniformitatem, et in ecclesia S. Blasii die 10 Febr. festum S. Scholasticae V. celebrari debeat, an S. Scholastica in die suo assignato, sensu D. 2963, celebranda sit.

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, ratione enim uniformitatis accidentalis, non convenit calendarium perpetuum ecclesiae particularis perturbare.

V. Ex D. 526, ad II, Patronus Regni eligi debet a populo singularum Civitatum Provinciae, non autem a repraesentantibus Regnum, nisi ad hoc habeant speciale indultum, et insuper requiritur consensus Episcopi et Cleri. — D. 4200, ad II, sonat: « Regulares et generatim Religiosi tenentur celebrare Festum Patroni praecipui regni aut ditionis, etiam in casu, quo habetur Patronus distinctus propriae Provinciae, si liquido constet de concessione Apostolica ».

Quaeritur, utrum hoc posterius D. 4200 ad II, intelli-

gendum sit ita, ut populus cum Religiosis post subiectionem eorum Provinciae civilis ad celebrandum Festum Patroni praecipui regni *sine electione* sensu cit D. 526, ad II, obligetur? Quid intelligitur sub verbo « *Provincia* »? Adnotator Decreti 2576, in *Decr. auth.* v. IV, p. 159 breviter loquitur de Provinciis limitrophis. Iuxta meam opinionem populus subiectae provinciae non adigendus esset ad celebrandum Festum Patroni alicuius Regni aut Ditionis ob defectum electionis sensu cit. D. 526, ad II. Aliter vero dicendum est quoad celebrandum Festum Dedic. Eccl. et al., uti eruitur e D. 4155, ad I.

Resp. Ex notissimo principio, quod accessorium sequi debet principale, etiam in nostro casu, pars Provinciae vel Regni quae noviter accedit, conformari debet cum ceteris; secus dici posset quod etiam clerus saecularis serius adscitus, et populus novarum generationum, non tenetur ad praedictam celebrationem, quod esset sophismaticum.

Pro Turnepia, in Belgio. — I. An Titulares (Sancti vel S. Mysteria) Congregationum Feminarum vel Fratrum, qui emittunt vota simplicia et sunt approbatae vel a Sancta Sede vel a solo Episcopo, possunt et debent nunc in sacellis vel ecclesiis respectivorum Religiosorum celebrari *A)* sub ritu dupl. 1ae cl. *B)* cum octava - ut quidam affirmant?

Resp. Nullum generale extat S. Sedis documentum id probans, sed videtur, saltem implicite, id iuris concedi in novo elencho festorum dupl. I cl. primar., nisi dicere velimus, illum hypothetice loqui; ceterum ut plurimum providetur in Congregationum adprobatione.

II. Cuinam decreto vel cuinam rubricae innititur *Ephem. Liturg.* assertio (anni 1910, p. 730), affirmans, Missam celebrari posse coram Ss.mo Sacr. *exposito* infra octavam Ss.mi Corporis Domini? Hic docetur, apud nos, hanc celebrationem generatim esse contra mentem Ecclesiae et absque debita facultate non licere.

Resp. Innititur § 33 Caeremonialis Episcoporum, lib. II, Cap. 33 quo praxis probatur, cum dicitur: *Officia divina*, etc.

III. In Bulla « Divino afflatu » dicitur (Tit. I, n. 6) 3ª lectio fieri in Matutino si fit de festo simplici, de Sancto, si habetur, *duabus lectionibus in unam invectis*, et in commentario *Ephem. Liturg.* (1912, pag. 45) edicuntur in hoc festo duae primae lectiones esse (*aliquando* prima tantum) de Scriptura occurrente: iuxta Bullam *duae* primae semper debent esse de Scriptura currente ut mihi videtur; non ita?

Resp. Rubrica apprime clara est et sequenda. Mendum in loco citato irrepsit, quod in separata commentarii editione, ab ipsomet Auctore correctum est.

IV. Quum hic nulla habeatur consuetudo in re infra indicata, an pro libito nobis sumere liceat diem III, VII, XXX defuncti, ut dicatur Missa privilegiata ritu duplici, nunc *inclusa* vel nunc *exclusa* die obitus vel Sepulturae, declarante S. R. C. includi vel excludi posse dictam diem secundum consuetudinem?

Resp. Putamus quod in casu ita res sit accipienda: quum consuetudo includendi vel excludendi diem obitus vel sepulturae pro Missa tertii, tricesimi etc. celebranda varia sit, ea potest ad libitum observari; scilicet, liberum cuique est unam vel alteram sequi. Dubitamus tamen hanc esse sententiam S. R. C.

V. An possum celebrare Missam officio conformem, quando occurrit dies ritus semidupl. in octava non privilegiata; vel festum Semidupl.; vel feria maior, vel minor, non habens Missam propriam, addendo in his Missis orationem pro defuncto vel defuncta vel defunctis, ut lucrari possim pro his indulgentiam altaris privilegiati?

Resp. Negative, novae enim Rubricae explicitae satis sunt circa dies, quibus id fieri licet et debet, inter quos non sunt dies a R. Inquirente citati.

* *Pro Galicia.* — I. In festo Ss. Redemptoris agenda est commemoratio octavae Dedicationis, quia, licet agatur de duobus festis Domini, nihilominus, festum Redemptoris obiectum habet Secundam Personam Ss. Trinitatis, Dedicatio vero Augustam Trinitatem ; scilicet Deum Unum et Trinum.

II. Ex indulto, Festum cuiusdam Beati, in tota provincia ritu duplici minori fixa mensis die celebratur, in una Ecclesia vero provinciae N. celebrabatur sub ritu duplici maiori, et quidem die Dominica. Amodo et in ista Ecclesia celebrabitur die eadem, ac in universa provincia, servato altiore ritu, prout dispositum est decreto S. R. C. die 19 Aprilis 1912, ad III (apud Ephem. lit. 1912, pag. 353).

Quod si de Beato agatur festum cum populi concursu in Dominica, recurrendum erit ad S. Sedem, ut pro ipso Beato cantari liceat Missam solemnem, et etiam, si Sanctissimo Domino placuerit, unam Missam lectam v. gr. pro communione generali; nam nova Rubrica (Tit. X, n. 3) applicari nequit nisi in casu, quo dies in qua officium de Beato occurrat aliquo anno in Dominica.

III. In Missa votiva SS. Cordis Iesu I^a Feria VI mensis, quae ut votiva solemnis consideratur, non est facienda commemoratio Feriae Quadragesimae, neque Adventus, neque Vigiliae Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis.

IV. Die 20 Decembris, in Missa Quatuor Temporum legendum non est ultimum evangelium Vigiliae S. Thomae Apostoli, sed evangelium S. Ioannis *In principio*, nisi forte Missa Q. T. quae celebretur die quo occurrit Officium duplex aut semiduplex velit considerari extra ordinem Officii, iuxta Tit. X, n. 3 novarum Rubricarum (Sed v. MENGHINI, *Norme* p. 47).

V. In Ecclesiis, salva semper obligatione chori, diebus, quibus optio datur inter Missam de Festo occurrente vel de Feria (v. gr. in Quadragesima, Feria II Rogat. et in Vigiliis), Missae cantatae, quae ex voto petentium plures in die celebrandae assumuntur, possunt esse vel de Feria vel de Festo, nisi determinate constet de potentium voluntate.

VI. Qui recitat Officium de Feria per annum, et celebrare vult Missam votivam, debet in hac Missa commemorare Feriam, per solas orationes Dominicae praecedentis, non autem per ultimum Evangelium eiusdem Dominicae.

VII. In Silesia austriaca adest consuetudo celebrandi

Festum S. Henrici Conf. et Imperat. non die 15ª, prout in Kalendario inscribitur, sed die 12ª Iulii. Hac de causa, in Ecclesia, cuius hic Sanctus est Titularis, externa solemnitas a populo peragitur Dominica proxima post diem 12ᵃᵐ Iulii. Cum vero in dioecesi wratislaviensi ex legitimo indulto statuitur, ut de Titulari Officium sub ritu 1ᵃᵉ classis cum Octava recitetur die qua in Kalendario inscribitur, die vero Dominica celebretur una Missa more votivae solemnis de S. Titulari, haec Missa etiam die 13 vel 14 Iulii, si incidunt in Dominicam, celebrari utique possunt.

VIII. Si die Dominica celebratur Festum I vel II classis, aut aliquod Festum Domini, et intra hebdomadam una tantum occurrit dies, ab Officio duplici libera, sed in ea assignatur Sanctus sub ritu simplici, hac die de Simplici dicendum erit Officium, non de Feria. Hac autem die possunt celebrari Missae privatae Defunctorum, votivae, vel de Simplici, et Missa Dominicae non est ea die reponenda, sufficit in casu commemoratio illius in Missa quae celebratur ritu classico.

IX. Potest Hostia (pro expositione in Ostensorio), inclusa inter duo crystalla, asservari in tabernaculo absque alia custodia, dummodo crystalla sacrae Hostiae non adhaereant.

X. Si intra Missarum solemnia, quae celebrantur ad altare, in quo Sanctissimum expositum manet, habeatur concio, velandum est Sanctissimum albo tentorio. Exsistit decretum hac in re editum. Ad dubium: Num tolerari possit consuetudo exponendi Ss. Sacramentum, et coram Missam celebrandi in qua fit post Evangelium praedicatio Verbi Dei et plerumque de Sanctis, et in qua populus frequens accedit ad sacram Synaxim? S. R. C. respondit: Affirmative; apposito tamen velamine ante Sanctissimam Eucharistiam, dum habetur concio (D. 3728 ad II).

XI. Formae, quae a pistoribus ad hostias praeparandas adhibentur, indifferenter, esse possunt ex ferro, vel ex cupro: dummodo cautelae diligenter adhibeantur, ad omnem oxydationem prorsus vitandam.

XII. Nequeunt candelae, quae ipso throno, in quo Sanctissimum exponitur, firmantur, esse de stearina; etiamsi in altari sufficiens lumen de pura cera habeatur.

XII. Non licet laico vel Sorori religiosae, quibus cura sacristiae committitur, clavem in tabernaculum ante Missam imponere vel eamdem e tabernaculi ostiolo extrahere, et si consuetudo ista inveniatur, prorsum abolenda est.

XIII. Tempore concionis, quae de Sanctissimo agit, Venerabile Sacramentum tentorio velandum est, ut supra, reverentiae causa.

XIV. In domo religiosa exsistunt duo oratoria semipublica: alterum usui Religiosorum destinatum, in quo Sanctissimum asservatur, alterum Sodalitatum B. M. V. aliarumque, in quod, dum congressus Sodalitatum habentur, Ven. Sacramentum transfertur. *Quaeritur;* potestne tolerari, ut in dicto Sodalitatum oratorio nocte Nativitatis Domini tres Missae celebrentur et Sacra Communio ministretur, an in Ecclesia haec peragi debeant? Si in Ecclesia, an ianuis clausis? Difficile tamen foret in Ecclesiam, ad quam aditus non nisi ab extra patet, solos Sodales admittere! Re enim cognita, plures Christifideles in Ecclesiam confluerent, quod non potest habere locum relate ad oratorium, ad quod aditus tantummodo per ianuam domus Religiosorum patet.

Respondetur: Neque in oratorio Sodalitatum, neque in Ecclesia celebrari potest, sed tantum in oratorio Religiosorum usui concredito propter duo: 1° quia in ipso Ss. Sacramentum permanenter asservatur: 2° quia Ecclesia proprie dicta nullimode censetur.

Appendix.

Decreta a Congregatione Sacrorum Rituum ab anno 1900 usque ad 1911 inclusive edita, et in nostris Ephemeridibus diligentissime, uti prodierunt, evulgata, quum in Collectione novissima seu Appendice ad Decreta « Authentica », a Commissione liturgica revisa et a Sacra Congregatione approbata, nonnulla expuncta, nonnulla correcta, nonnulla autem inculpabiliter omissa fuerint, opportune in hoc et in subvenientibus fasciculis indicanda statuimus.

VOLUMINE XIV Ephemeridum, pag. 452, in decr. NOVARIEN. (16 februarii 1900, n. **4052**), expunctum est quaesitum primum, ad fontem baptismalem spectans.

Pag. 458, in decr. ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI (9 april. 1900, n. **4053**), simplificatur quaesitum IV, et relativum eius responsum magis declaratur. Corrige ergo:

IV. Utrum idem sit tenendum de Missa solemni vel cantata, quae Officio diei non sit conformis?

Ad IV. *Negative: exceptis tamen Missis quae vel per Rubricas praecipiuntur, vel ad commemorationes in Officio diei factas referantur, quae immediate post respectivam Horam celebrantur.*

Pag. 460, in decr. TIRASONEN. (2 maii 1900, n. **4054**), corrige:

Ad I. *Negative, et serventur Rubricae ac Decreta, etiam quando Symbolum locum non habet.*

Ad II. *Negative.*

Ad V. *Affirmative, ita tamen ut fiat eorum commemoratio etiam in Officio inter suffragia Sanctorum.*

Pag. 528, in decr. PRAGEN. (2 maii 1900, n. **4055**) corrige responsum ad I.

Ad I. *Non solum licet, sed etiam debet.*

Pag. 529, decr. PARENTIN. *et* POLEN. totaliter expunctum fuit.

Pag. 533, decr. URGELLEN. (29 maii 1900, n. **4057**) non paucas variationes subiit in responsione ad II et ad IV, nec non ad VI quaesitum:

Ad II. *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.*

Ad IV. *Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, quia festum S. Laurentii de solemnioribus est inter duplicia II classis in Ecclesia universali.*

Q. VI. « An celebrans Missam solemnem in Dominica Palmarum, dum legit verba: *In nomine Iesu omne genuflectatur* etc., et post *Emisit Spiritum* (ac ad similia in aliis Missis), debeat genuflectere; an vero prosequi debeat, quin genuflectat, donec praedicta verba a subdiacono vel diacono cantentur? »

Ad VI. *Negative ad primam partem, affirmative ad alteram.*

Pag. 537, in decr. LAUDEN. (17 iunii 1900, n. **4059**), expuncta est quaestio ad III, incipiens: *An in oratione « A cunctis »*, et responsiones ad I et III variationes sequentes subiere:

Ad I. *Affirmative, post commemorationem S. Petri et ante alias commemorationes.*

Ad III. *Commemoratio Officii currentis omittatur in Missa votiva solemni, si altera Missa saltem lecta de eodem Officio currenti celebretur, vel quoties idem Officium in alia Missa commemorationem assequatur; fiat semper in Missis votivis lectis.*

Pag. 590, in decr. ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI (19 iunii 1900, n. **4060**), expungitur quaesitum ad II, incipiens « *Et in casu affirmativo etc.* », necnon responsio ad quaesitum « *Utrum in tota Aegypti etc.* » mutatur sequenti modo:

Celebretur sub ritu duplici primae classis, addita etiam Octava, ob peculiaria adiuncta.

Pag. 538, in decr. FANEN. (17 iulii 1900, n. **4062**), responsum ad I enunciatur simpliciter: *Negative,* omissis verbis: *Quum non adsit consuetudo.*

Pag. 329, decr. Romana, diei 3 Septembris 1900, expunctum est.

Volumine XV. — Pag. 398, in decr. Utinen. (11 ianuarii 1901, n, **4065**), supprimuntur verba: « *vel haec IX lectio omitti possit* »; et ad responsa legatur:

Ad I. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad II. *Negative.*

Pag. 130, decr. Hispaniae (9 februarii 1901) fuit expunctum.

Pag. 197, in decr. Senogallien. (4 martii 1901, n, **4067**), exulavit dubium I.

Decretum sequens, eodem die, sub numero **4068** ad Atrebaten. emanatum, cum in nostris Ephemeridibus locum non habuerit, exponemus infra:

Quaesitum fuit: Quomodo ordinandae sint Vesperae Festi Sanctae Familiae Nazarenae, quod, ex Apostolica concessione, transfertur ad feriam V post Cineres, et ita concurrit cum primis Vesperis Ss.mae Coronae Spineae, cuius Officium apponitur insequenti die? »

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exposito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque rite perpensis, rescribendum censuit: *Dividantur Vesperae iuxta Rubricas.*

Pag. 333, ad decretum 4 martii 1901, n. **4070,** ablata fuerunt dubia ad III, ad VII et ad IX; responsio autem ad III sic habetur: *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.*

Pag. 330, 331, decreta Vicen. et Utinen., edita die 4 martii 1901, exularunt.

Decretum ad Angelopolitanam, die 26 aprilis 1901, n. **4071,** vulgatum, cum non fuerit in Ephemeridibus alligatum, operis est pretium huc integre referri:

« R.mus Decanus Cathedralis Ecclesiae Angelopolitanae in Republica Mexicana, nunc et Vicarius Capitularis, Sede vacante, Sacrae Rituum Congregationi insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit, nimirum:

« I. Invaluit mos in Cathedrali Ecclesia Angelopoli-

tana, ut quibusdam diebus in Missa conventuali ad elevationem Ss.mi Sacramenti sub utraque Specie chorus puerorum canat stropham *O Salutaris Hostia* etc. Quaeritur: Haec consuetudo a pluribus annis invecta potestne continuari?

« II. An Caeremoniale Episcoporum observandum sit in Vesperis solemnibus, etiam quum pluvialistae sint ex Canonicis vel Dignitatibus, ideoque teneantur iidem cum celebrante incedere ad incensationem altaris, et assistentium officium adimplere?

III. In quibusdam Ecclesiis Dioeceseos Angelopolitanae Ss.mum Eucharistiae Sacramentum asservatur in altari maiori, dum in aliis solet custodiri in aliquo ex altaribus et sacellis minoribus; quaeritur: An utrumque admitti possit?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisitio voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

« Ad I. *Negative, et servetur decretum generale n. 3827, diei 22 maii 1894, ad III.*

« Ad II. *Affirmative, quoad utramque partem, iuxta decretum n. 3839, Angelopolitana, diei 17 augusti 1894, ad II et III.*

« Ad III. *Affirmative, dummodo altare, ubi continuo asservatur Ss.mum Sacramentum, non sit altare chori.*

« Atque ita rescripsit, die 26 aprilis 1901. »

Idem dicendum circa sequentia decreta *Mexicana* et *Pampilonen.*

« R.mus D.nus Prosper Ioseph Maria Alarcon, Archiepiscopus Mexicanus, sequentium dubiorum a S. Rituum Congregatione solutionem humillime expostulavit, nimirum:

« I. Ex decreto S. Rituum Congregationis n. 3862, Urbis et Orbis, diei 9 iulii 1895, Sacerdotes confluentes ad Ecclesiam vel ad Oratorium publicum debent Missas celebrare conformes Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii. Quum autem ex peculiaribus Mexicanae regionis circumstantiis Sanctimoniales loco Ecclesiarum vel Oratoriorum publicorum habeant in suarum domorum interioribus Oratoria in

quibus Sacra celebrantur; hinc exortum dubium: Num Monialium cappellani et alii Sacerdotes in prae lictis Oratoriis Missam celebrare teneantur iuxta tenorem decreti supracitati?

« II. Quum festum Apparitionis S. Iacobi Apost. sub duplici minori ritu in Mexicana Archidioecesi recolatur die 29 maii, quaeritur: Quid agendum quum haec dies fuerit impedita; seu an debeat reduci ad modum simplicis aut prorsus dimitti?

« Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, repondendum censuit:

« Ad I. *Affirmative, quia talia Oratoria non sunt habenda tamquam mere privata.*

« Ad II. *Iuxta Rubricas, Officium de quo agitur non posse transferri, et in casu iam provisum ab eisdem Rubricis.*

« Atque ita rescripsit, die 16 maii 1901 ».

Item decretum ad PAMPILONEN. (24 maii 1901, n. **4073**), inculpabiliter omissum, integre hic referimus:

« Hodiernus Magister caeremoniarum Cathedralis Ecclesiae Pampilonensis, de sui R.mi D.ni Episcopi mandato, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter subiecit, nimirum:

« In oppido vulgo *Pavier*, Dioecesis Pampilonensis in Hispania, constructa est Ecclesia in honorem S. Francisci Xaverii, cuius altare principale minus quam ad medietatem plenum est, et reliqua pars tabulae columnellis marmoreis nititur, quarum bases et partes superiores, seu capitella, sunt aeneae, licet aes non tangat immediate mensam altaris. Quum vero Ecclesia praedicta propediem consecranda sit, quaeritur:

« I. An praedictum altare consecrari possit? Et quatenus negative ad I?

« II. An sufficiat ad consecrationem Ecclesiae peragendam aliud altare minus in quadam Cappella eiusdem Ecclesiae erectum consecrare, omissa consecratione altaris principalis?

« Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, atque attentis expositis ac praesertim schemate altaris maioris exhibito, ex quo apparet, mensam stipiti lapideo immediate adhaerere, respondendum censuit:

« Ad I. *Affirmative, si partes superiores aeneae columnellarum immediate mensam non tangant, et ad ornatum dumtaxat altaris extent, ita ut unctiones a Pontificali Romano praescriptae fiant immediate super mensa et stipite lapideo eam sustentante; Negative, si mensa non sit immediate coniuncta cum stipite lapideo ad normam Pontificalis Romani et decreti n. 3364, in Cuneen., 7 augusti 1875, ad II.*

« Ad II. *Provisum in primo, quatenus altare maius consecrari possit; secus affirmative.*

« Atque ita rescripsit, die 24 maii 1901 ».

Pag. 402, in decr. Ordinis S. Benedicti (14 iunii 1901, n. **4074**), IV et V dubium expuncta sunt, et responsa ad alia, moderata ut infra:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quia ex ritu monastico ℟. br. post Capitulum potest servire tamquam ℣. pro Commemoratione.*

Ad III. *Sumatur de relativo Communi: mutato numero singulari in pluralem, et reticitis nominibus, si plures quam tres vel quatuor fuerint Confessores.*

Ad IV. *Retineatur versus « Ora pro nobis », prouti in Breviario, pro festo enunciato; pro Suffragio B. M. V. sumatur ℣. « Dignare me »* (1).

Ad VII. *Dicatur « famuli et famulae tuae », quando non exprimuntur nomina; secus dicatur « famulorum tuorum ».*

Decreta ad Lincien. (5 iulii 1901, n. **4075**) et ad Tarbien. (eadem die, n. **4076**) cum non inveniantur in Ephemeridibus nostris, textualiter utraque inserimus:

Decr. ad Lincien. R.mus D.nus Franciscus Maria Doppelbauer, Episcopus Linciensis Dioecesis, nuper declaravit, se in duabus Ecclesiis, quarum Rector ipse antea fuerat, nova Altaria fixa erexisse, ita tamen ut tabula lapidea sti-

(1) Allata responsio non amplius cum novis Rubricis regitur.

piti solummodo ex lateribus coctilibus erecto imponeretur, non suppositis, uti praescriptum est, columnis lapideis. Abbas Monasterii, cui dictae Ecclesiae incorporatae sunt, facultate consecrandi Altaria instructus, eadem ritu solemni consecravit.

Quaeritur: An huiusmodi consecratio fuerit valida? Et quatenus negative, quid in casu agendum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, respondendum censuit:

Serventur Decreta n. **3364,** *Cuneen. 7 Aug. 1875, ad II, et n.* **3829,** *Gnesnen. 8 iunii 1894, ad I, et Sacra Congregatio indulget R.mo D.no Episcopo Linciensi, de speciali gratia, ut Altaribus suprascriptis, iam consecratis, addantur stipites lapidei, atque unctiones praescriptae in angulis privatim iterentur, ut mensae cum iisdem stipitibus coniugantur; facta etiam potestate eidem Episcopo delegandi ad hoc aliquem Sacerdotem, si fieri potest, in aliqua dignitate constitutum.* Atque ita rescripsit die 5 iulii 1901.

Decr. ad TARBIEN. R.mus D.nus Franciscus Xaverius Schoepfer, Episcopus Tarbiensis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit; nimirum: (1)

I. Decreto n. **3923,** diei 30 iunii 1896, PLURIUM DIOECESIUM, praecipiente lectiones de Scriptura occurrente, in duplicibus infra secundam classem, excipiuntur tamen lectiones, quae « approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus, seu etiam minoribus ».

Quaeritur: Utrum ea exceptione comprehendantur non tantum eae peculiares lectiones, quae certis quibusdam Sanctis assignantur et integre inseruntur in Breviario sicut et in Proprio dioecesano, sed etiam eae omnes, quae assignantur de Communi, et in praedictis Breviario et Proprio tantummodo indicantur, Rubrica ad eas remittente; sicut v. g. in Festo S. Dominici, die 4 augusti, indicantur pro 1° nocturno lectiones *Beatus vir* etc. de Communi Confessoris non Pon-

(1) Inspectis novis Rubricis hoc Decretum antiquatum evadit.

tif. 2° loco: sicut etiam v. g. in Festo S. Fausti (in Proprio Provinciae Auxitanae, ad 28 septembris) remittitur, pro clero Tarbiensi, ad lectiones *Fidelis sermo?*

II. Utrum Feria IV Cinerum, in Ecclesiis parochialibus, ubi unicus est Sacerdos, celebrari possit Missa exequialis? Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, nisi agatur de Festis Dedicationis Ecclesiae vel Festis B. M. V.*

Ad II. *Negative.*

Atque ita rescripsit, die 5 iulii 1901.

Pag. 461, in decr. Colimen. (12 iulii 1901, n. **4077**), ad responsum IX legatur;

Pro prudenti Ordinarii placito, nisi agatur de Ecclesiis in quibus obligatio Chori habeatur.

Pag. 459, decr. Lauretana. Irrepsit error quoad diem; legedum autem est, non 2, sed 12 iulii 1901, n. **4078**.

Pag. 629, decr. Tropien. (3 augusti 1901, n. **4079**), compleatur responsio ad III ut infra:

Erit retinenda conclusio illius Festi, de quo Vesperae integrae recitantur; immo, si agatur de singulis mysteriis Domini, de quo fit a Capitulo.

Pag. 469, decr. Vicentina (20 augusti 1901, n. **4081**), moderatae sunt nonnullae responsiones:

Ad I. *Affirmative.*

Ad III. *Psalmus cum Antiphona « Si iniquitates » dicatur in reditu ad sacristiam, in qua deinde persolventur preces « Kyrie eleison » etc., cum oratione « Fidelium », etc.*

Ad IV. *Affirmative si solemnius, scilicet adhibito pluviali, exequiae persolvantur. At si exequiae persolvi debeant post officium et Missam, quae serius, vel etiam die sequenti habebuntur; post ℣. « Subvenite », dicatur « Kyrie eleison etc., Pater noster. etc. » ℣℣. et Oratio « Absolve », ut in Missali « Ritus celebrandi Missam », Tit. XIII, n. 4, in fine.*

Ad VII. *Negative, iuxta alias decreta.*

Pag. 472. decr. UTINEN. eodem die 20 augusti editum, expunctum est.

Pag. 632, decretum ad VICEN. (30 augusti 1901, n. **4082**) variatum tantum fuit in responsione:

Ad I. *Interim ex speciali gratia...* usque ad verba *authenticitate exoriatur,* quibus finis datur.

Pag. 698, decr. VALLIS VIDONIS, 29 non autem 22 novembris 1901, n. **4084**, datum fuit.

Pag. 697, decr. VALVEN. *et* SULMONEN. expunctum fuit.

Decretum ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM, 29 novembris 1901, n. **4085,** non fuit in nostris Ephemeridibus alligatum, opus est in sua integritate infra referri:

Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrensis in Hispania, ad quietem et tranquillitatem suorum Religiosorum procurandam, et ad omnem dubietatem de medio tollendam, de consensu sui R.mi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum:

An liceat in Ecclesiis Regularium, permittente ritu, Officia et Missas de Requie celebrari diebus 3, 7, 30 et anniversario a depositione, iuxta Rubricas Missalis Romani?

Et Sacra eadem Congregatio, referente Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum esse censuit: *Detur Decretum n.* **3484**, *Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, diei 13 maii 1879, ad I.*

Atque ita rescripsit, die 29 novembris 1901.

Pag. 699, decr. DUBIUM et PLOCEN. edita eodem die 6 decembris, expuncta sunt.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. *Magister.*
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygrafica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

adprobationis antiphonalis diurni romani.

Antiphonale diurnum sacrosanctae Ecclesiae Romanae, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* diei I novembris MCMXI iuxta novum psalterii cursum diligenter dispositum, typis Vaticanis nunc demum feliciter prodiit. Cum autem cantum gregorianum exhibeat vel a Patribus acceptum vel, ubi opus erat, eodem stylo concinnatum, iuxta apostolicas Litteras sanctissimi Domini nostri Pii divina providentia Papae X Motu proprio datas die XXV aprilis MCMIV, sacra Rituum Congregatio hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus Romanae Ecclesiae ritu utentibus habendam esse declarat, atque decernit ut in posterum melodiae gregorianae in futuris editionibus contentae, praedictae typicae editioni sint conformandae, quin derogetur ipsius sacrae Rituum Congregationis decretis datis diebus XI aprilis MCMXI, n. 4263, *super editione*

Vaticana eiusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos, et VIII iulii MCMXII *circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in lectionibus, versiculis et psalmis.*

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 decembris 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius.*

II.

DUBIA.

Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum :

I. In novis rubricis, tit X, num 2, Missae votivae pro defunctis prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. Quaeritur: Quid intelligendum in verbo « reponenda » ?

II. Si prima dies libera mensis sit sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in sabbato, Missa principalis debetne esse de S. Maria, vel pro defunctis ? Quid vero si impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis?

III. In ecclesiis quarum titulus est S. Ioseph, et in locis in quibus S. Ioseph usque nunc tamquam patronus principalis colebatur die 19 martii, festum patronale aut titulare servandumne adhuc est ipsa die 19 martii, seu potius in Dominicam III post Pascha reponendum ?

IV. In kalendariis dioecesanis reformatis quaedam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio dioecesano, vel ex appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quaeritur: Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi eiusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel reliquiae insignis? Recitandumne adhuc est Officium in dioecesi suppressum, vel potius ad Commune recurrendum?

V. In vigiliis S. Mathiae Apostoli, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, et S. Thomae Apostoli, prima in Quadragesima, ceteris in feriis Quatuor Temporum occurrentibus, licetne Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de feria maiori, vel de vigilia?

VI. Si eadem die 27 iunii occurrant vigiliae S. Ioannis Baptistae et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Missae privatae poteruntne esse vel de festo occurrenti, vel de alterutra vigilia?

VII. Attenta praesertim rubrica tit. IX, num. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioceseos, tum provinciae, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari?

VIII. Octava et nona lectio Ss. Nerei et Sociorum Martyrum, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli suntne uniendae quando legenda sit nona lectio feriae aut Dominicae?

IX. Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnium sanctorum S. R. E. summorum Pontificum?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae.

Ad II. Celebranda est Missa principalis de S. Maria in sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, post Primam et extra chorum, celebranda est sine cantu Missa pro defunctis.

Ad III. Festum de quo in casu convenientius in Dominicam III post Pascha reponatur: nisi speciales habeantur rationes illud in sua die 19 martii retinendi.

Ad IV. Adhibeatur Officium hucusque recitatum, cum respondente Missa.

Ad V. Affirmative.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative; etiam quoad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici I classis cum Octava.

Ad VIII. Affirmative quoad lectiones tantum Ss. Nerei et Sociorum Martyrum ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

Ad IX. Servetur antiqua praxis Patriarchalium

aliarumque ecclesiarum Urbis, in quibus adhibetur color rubeus.

Atque ita rescripsit, die 6 decembris 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Notum est quod Missa Dominicae anticipari debet, quandocumque in anno habeantur Dominicae 52, eo quod in Breviario sunt officia pro 53 Dominicis, ideoque toties quoties littera dominicalis sit B. C. D. E. vel F. superest una ex Dominicis, quae ut plurimum est una de Dominicis post Epiphaniam, et tantummodo, quando concurrunt litterae Dominicales B. cum epactis 26, xxv, 25 et 24, vel C. cum epactis xxv, 25 vel 24, anticipatur Dominica xxiij post Pentecosten, quod raro accidit.

De posticipatione vero officii alicuius Dominicae non agunt explicite Rubricae, sed de facto in Breviario habetur posticipata Dominica infra octavam Nativitatis et etiam, iuxta aliquos, Dominica prima anni quotiescumque littera dominicalis sit B. C. D. vel E.; quibus in casibus, officium Dominicae infra octavam Nativitatis fit die 30 decembris, et primae anni Dominicae fit in Vigilia Epiphaniae. Attamen locus novarum Rubricarum, in hoc decreto citatus, non loquitur de huiusmodi posticipatione, sed de posticipatione solius Missae, de qua agit Missalis Rubrica (IV, 3) ubi legitur: « Quando officium fit de feria, et non est resumenda Missa Dominicae praecedentis, quae fuerit impedita, dici potest aliqua ex Missis votivis ». Rubrica ista Missalis agit quidem tantummodo de Missa conventuali, quae una ex votivis esse potest, in feriis propriam Missam non habentibus (exceptis feriis Adventus), attamen iis diebus, in qui-

bus in choro legi debuerat Missa praecedentis Dominicae, licitum erat cuique celebrare Missam votivam privatam vel pro defunctis. Hodie vero, ex novis Rubricis (Tit. X, n. 2) Missae votivae et pro defunctis prohibentur.

Igitur, ut hoc declarat decretum quod exponimus, quandocumque Dominica aliqua impediatur a nobiliori officio, scilicet, vel a duplici 1 aut 2 classis, vel a festo vel die octava Domini, Missa eiusdem Dominicae impeditae posticipari debet in primam feriam, quae libera invenitur in hebdomada sequenti; et licet eadem Missa celebretur pluribus in feriis, quae ab officio ix lectionum non impediuntur, prohibitio tamen, quominus Missae votivae et pro defunctis celebrari possint, adest tantummodo in prima ex feriis praedictis; in reliquis vero feriis Missae votivae et pro defunctis libere celebrari queunt. Ratio est, quia mens Summi Pontificis in nova reformatione Breviarii fuit, ut officia et Missae de Tempore instaurarentur, et ideo Missa Dominicalis, quae sua die omissa fuit, reponi omnino nunc debet infra suam hebdomadam, si fiat de feria, vetitis Missis votivis et pro defunctis.

Ad II. Quando prima dies libera infra hebdomadam sit sabbatum, tunc, quia officium non est de feria, bene vero de s. Maria in Sabbato, deficit ratio in numero praecedenti allata, et Missa principalis seu conventualis in Cathedralibus et Collegiatis esse debet de officio recitato, seu de s. Maria. Secunda autem Missa conventualis, pro defunctis, quae antea celebrabatur in choro, nunc extra chorum erit celebranda. Quid vero de Missis privatis? Poteritne in casu aliquis legere Missam votivam aliquam vel pro defunctis? Negative est respondendum, nam eadem est ratio. In sabbato, in quo actum sit officium de s. Maria, bene possunt celebrari Missae votivae et pro defunctis; attamen si Missa de praecedenti Dominica lecta non fuerit in sua die, tunc rubrica nova quid sit agendum implicite docet; nimirum, si quis celebrare non vult Missam de s. Maria, omnino legere debet Missam de Dominica praecedente, non vero Missam votivam vel pro defunctis, ob easdem rationes, quas numero praecedenti attulimus.

Ad III. Indubitanter sustineri debet, quod festum principale S. Ioseph nunc celebratur in tota Ecclesia Dominica iij post Pascha; ideoque, ubi sit Titulus vel Patronus, toto iure celebrandum est in ea Dominica. Hoc suadet ratio festi principalis, cum sua octava, ut patet. Attamen S. R. C., in casu proposito, maluit responsum dare mitigatum, dicens: nisi habeantur rationes illud in sua die 19 martii retinendi, quae clausula intelligi debet pro locis, in quibus populus magno concursu celebrat festum S. Ioseph in sua die 19 martii. Mentem scilicet suam aperuit sacra Congregatio, sed consuetudinem populorum reprobare noluit.

Ad IV. Rem explicabit exemplum. In dioecesi Placentina die 1 februarii agebatur festum S. Brigidae virginis, cum oratione et lectionibus 2 nocturni propriis. Cum autem Episcopus et Capitulum illius ecclesiae kalendarii dioecesani reformationem obtinuerit, cum abrogatione multorum officiorum, inter quae et officium praedictae sanctae virginis, quaesitum est, an parochus et clerus ecclesiae, ipsi S. Brigidae dicatae, continuare possint recitationem orationis et lectionum propriarum uti antea; et S. Congregatio opportunissime respondit affirmative. Siquidem, si pro tota dioecesi placentina in casu, non amplius adhibeantur oratio et lectiones propriae, quia suppressum est festum S. Brigidae, in ecclesia propria omnino debet continuari, quia in concessione facta, pro tota dioecesi, comprehendebatur etiam ecclesia propria, quae hodie concessionem ipsam non deperdidit, ut patet. Sanctionem ita recipit sententia, quam alter e nostris redactoribus sustinuit hisce in Ephemeridibus anno elapso.

Ad V. Responsum istud nulla indiget explanatione. Cum enim novae rubricae (Tit. X, n. 2) celebrare permittant, vel Missam de festo ix lectionum, vel de feria vel de vigilia, clare patet, quod si eadem die occurrant feria Missam propriam habens et vigilia aliqua, pro lubito ego celebrare potero vel de officio ix lectionum, vel de feria vel de vigilia.

Idem dicatur quando duae vigiliae simul occurrant, ut quando festum S. Ioannis Baptistae incidat die 28 iunii, tunc enim in sabbato praecedenti anticipanda est quoque vigilia Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Ad VII. Pro patronis, ubi habentur loci seu civitatis vel oppidi (qui confundendus non est cum Ecclesiae Titulari), et etiam provinciae vel regni, aut nationis, nulla dubitatio oriri potest; in decreto enim concessionis patronatus, clare disponitur quod ubique sit celebrandum festum patroni provinciae et regni, etiam in locis et civitatibus vel oppidis specialem patronum habentibus; dubium tamen forsan exoritur pro Patrono dioecesis. Ratio dubitandi est, quia plurima decreta, 28 sept. 1658 n. 1095; 15 oct. 1818 n. 2590; 5 mart. 1825 n. 2638; 12 aug. 1854 n. 3028; et 9 maii 1879 n. 3493, nec non commentarium Gardellini (vol. iv, pag. 264) generalem regulam dederunt ubique in similibus servandam, qua sancitum est, ab omnibus esse colendum Patronum dioecesis, nisi in aliquo loco vel oppido dioecesis ipsius, non haberetur specialis Patronus principalis. Quod si, istis in locis, de Patrono quoque dioecesis officium recitari soleret, attenta consuetudine non reprobanda, sed potius laudanda, de utroque Patrono, loci et dioecesis, festum agi poterat, ut declaravit S. R. C. suo decreto 12 nov. 1831 n. 2682 ad 38. Hoc autem decreto hanc ipsam declarationem denuo ponit S. Congregatio Rituum.

Ad VIII. In Rubricis specialibus Breviarii Romano-Seraphici pro Ordine Minorum a Pio papa vj adprobatis per bullam d. d. 6 sept. 1785, diebus 12 maii, 21 et 29 septembris, pro respectivis festis Ss. Nerei et sociorum; S. Matthaei ap., et S. Michaelis, legitur dispositio, ut unienda sit lectio viij cum ix, quandocumque haec esset omittenda, vel pro legenda lectione historica alicuius simplicis, vel pro lectione de homilia feriae aut dominicae. Ratio huiusce dispositionis in eo est posita, quod in dictis officiis lectio nona aliquid habet quod maxime congruit cum festo celebrato. Pro Ss. Nereo et Soc. dum in lectionibus vij et viij, ex

percelebri homilia S. Gregorii, habita in basilica eorumdem sanctorum, nihil de ipsis dicatur, in nona vero legitur praeclara mentio ipsorum: *Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus etc.;* ideoque res esset inutilis ea die legere de homilia praedicta, si omitterentur verba praecipua quorum intutitu in festo ipso posita fuit homilia praelaudata. Idem dicatur de ix lectione in festo S. Michaelis, nam in lectione vij et viij agitur *de invento statere*, sed nihil habetur, quod ad Angelos pertinere possit; in ix vero incipit expositio verborum Evangelii: *dico autem vobis quia Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei;* quorum intuitu posita fuit homilia S. Hieronymi. Idem quoque dicendum esse visum fuit redactoribus Rubricarum specialium Breviarii Minorum, pro ix lectione in festo S. Matthaei: et sane, multa in ea leguntur quae apprime quadrant cum festo illius sancti Apostoli; quia vero in lectione vij satis de eo legitur, Sacra Congregatio congruum non iudicavit praecipere coniunctionem; attamen qui coniungere maluerit, etiam in festo S. Matthaei viij cum ix lectione, bene id facere potest, iuxta Rubricas generales Breviarii Romani (Tit. xxvj, n. 3), ubi expresse dicitur, quod si legi debeat nona lectio historica de simplici, vel simplificato, omittitur nona lectio in officio diei, « *vel octavae lectioni adiungitur,* » et paulo post, agens de nona lectione homiliae feriae vel Dominicae, addit: *scilicet vel lectio prima de homilia* (legitur) *vel tres simul in unam lectionem coniunctae.*

Ad IX. Licet dubium circa colorem, in festo Omnium SS. Pontificum romanorum non pertineat ad novas rubricas, sicut pertinent praecedentes quaestiones, nihilominus, cum hisce diebus dubium propositum fuerit, opportunum duxit s. Congregatio in hoc decreto comprehendere huius etiam solutionem.

Dubium oritur, quia in festo huiusmodi celebrantur omnes Summi Pontifices qui gloria beatifica in coelis fruuntur, et ideo honorantur tamquam Pontifices; licet enim triginta inter Pontifices martyrio sint coronati, quinquaginta tamen

ex iis, Sancti vel Beati, sunt Confessores tantum; quapropter, videtur quod in huiusmodi festo recolatur qualitas communis omnibus, videlicet pontificatus. Etiam in festo s. Petri adhibetur color rubeus, quia die 29 iunii eius martyrium recolitur, in festis vero utriusque eius Cathedrae, color albus adhibetur, quia celebratur Princeps Apostolorum tamquam Pontifex. Item, qui officium in festo omnium Pontificum discurrit, invenit in eo, quod ad matutinum dicuntur quidem psalmi et antiphonae de communi Apstolorum, in eis tamen nulla fit mentio de sanguinis effusione; dicuntur et Responsoria Apostolorum, quia autem Responsoria vij et viij mentionem faciunt de martyrio, mutata fuerunt in alia nempe: *Amavit eos*, et *Isti sunt sancti qui ante Deum,* quae non sunt nisi Resp. vj et vij de communi Confessorum Pontificum e numero singulari in plurali redacta. Item invitatorium: *Christum principem Pastorum*, Hymni, Antiphonae ad Laudes, ex communibus desumptae, ulla sine mentione martyrii, tandem, et antiphona ad *Magnificat* in II vesperis, *Dum essent summi pontifices*, et psalmus *Memento,* non vero *Credidi,* sicut et tota Missa, neque non lectiones II nocturni: *Congratulemur... Pontificibus nostris,* et *Laetemur quod Pontifices nostri ascenderunt ad cives suos* etc., clare demonstrant, mentem fuisse constructoris officii, ut in festo isto honoraretur tantummodo qualitas communis, scilicet pontificalis, ac proinde colorem album exquirere.

Hisce tamen non obstantibus, quoniam in patriarchalibus Urbis consuetudo antiqua est, ut adhibeatur color rubeus, S. Congregatio huiusmodi consuetudinem damnare noluit, ideoque respondit: *Servetur antiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis, in quibus adhibetur color rubeus*, Censent ergo nonnulli, rigorose loquendo, reprobatam non esse consuetudinem antiquam in locis ubi invaluit adhibendi colorem album, scimus enim in nonnullis dioecesibus, in quibus agitur hoc festum omnium Pontificum Romanorum, adhiberi colorem album.

Aliqui rationem reddere volentes de romana consuetu-

dine, dicunt quod forsan antiquitus in Patriarchalibus, in quibus tantummodo hoc festum agebatur, in eo recolebantur soli sancti Pontifices martyres, quorum corpora in iis servantur. Alii dicunt quod in officiis, in quibus martyres cum confessoribus celebrantur, qualitas martyris, utpote dignior, influit ut adhibeatur color rubeus; alii denique, forsan non immerito, putant esse adbibendum colorem rubeum, qui exprimit martyrium, eo quod Romani Pontifices, sicut dicitur de s. Martino, etsi eos gladius persecutoris non abstulerit, palmam tamen martyrii non amiserunt, quod congruit cum citata antiphona in II Vesperis: *Dum essent summi pontifices terrena non metuerunt etc.;* omnes equidem norunt, quantas et quales amaritudines patiantur Romani Pontifices sine intermissione, ob sollicitudinem omnium ecclesiarum.

DR. P. PIACENZA.

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

Circa actiones scenicas in ecclesiis.

Postremis hisce annis haud raro contigit ut per *cinematographa* et *proiectiones*, ut aiunt, actiones quaedam scenicae in ecclesiis haberentur. Quod, etsi pio iuvandae religiosae fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare.

Quum itaque nonnulli Sacrorum Antistites ab Apostolica Sede quaesiverint utrum eiusmodi usus tolerari possit an potius cohiberi debeat, ad E.mos S. Congregationis Consistorialis Patres delata res est. — Porro hi considerantes, aedes Deo dicatas, in qui-

bus divina celebrantur mysteria et fideles ad caelestia et supernaturalia eriguntur, ad alios usus et praesertim ad scenicas actiones etsi honestas piasve agendas converti non debere, quaslibet proiectiones et cinematographicas repraesentationes prohibendas omnino esse in ecclesiis censuere.

Ss.mus autem D. N. Pius Pp. X sententiam E.morum Patrum ratam habuit confirmavitque, atque hoc iussit edi generale decretum, quo ea agi in ecclesiis prohibetur.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex S. C. Consistoriali, die 10 decembris 1912.

C. CARD. DE LAI, *Secretarius*.

L. ✠ S. SCIPIO TECCHI, *Adsessor*.

Commentarium.

Inter res spirituales et sacras, post Sacramenta, secundum Institutionum ordinem, locum praecipuum obtinent templa *Deo optimo maximo* dicata. Si enim Templum veteris Testamenti tanta veneratione colendum erat, ut saepe saepius profanatores eius a Deo puniti fuerint (Is. 56, II Mach. 3,25, Matth. 21), multo magis Templa christianorum in quibus Deus vivus et verus inhabitat et adest nobis. Et sane: in nostris Ecclesiis fideles congregantur ad orandum, Deo Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi offertur, Sacramenta aliaque Religionis subsidia conferuntur. Hinc est quod Episcopi, continua vigilantia, in synodalibus constitutionibus, omne quod stricte non est sacrum, in templis interdixerunt, praescribentes nil aliud in eis admittendum quod locum Deo dicatum non deceat, vel fidelium pietatem deturbet, aut a divinis mentes eorum distrahat. Hinc est profecto quod et ipsa S. R. C. suo decreto d. d. 19 dec. 1693 (n.

3323 vet. Coll.) (1) declaravit, et ipsas Academias in honorem Sanctorum in Ecclesiis non esse permittendas. Esto quod alicubi hoc decretum non semper executioni sit demandatum, ita ut et praemia alumnis scholarum distribuantur, et sermones academici pronuntientur, nihilominus numquam laudatione digna huiusmodi consuetudo existimata fuit.

Quibus ex causis, hodie s. Congregatio Consistorialis, hoc suo decreto, non solum antiquas leges circa venerationem erga sacra Templa non relaxavit, sed implicite maiori rigore esse observandas mandavit. Proiectiones enim et cinematographa, ad instar imaginum sunt quidem, quae ab Ecclesiis non arcentur; cum autem huiusmodi actiones scenicae, licet honestae ac piae, alienae sint a gravitate, et sacra veneratione, quibus fideles in eis morari debent, omnino prohibitae fuerunt.

Quod si ad instructionem cathechisticam utiles proiectiones istae videantur, in locis non sacris bene adhiberi poterunt, non vero in Ecclesiis et oratoriis.

S. C. DE DISCIPL. SACRAMENTORUM

ROMANA ET ALIARUM

Iurium.

In plenario eminentissimorum Patrum coetu, habito in palatio apostolico Vaticano die 20 decembris 1912, sequentia dubia proposita fuerunt:

I. An et quibus de causis Ordinarii permittere possint per modum actus, ut sacrosancta Missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur.

(1) Etsi decretum istud in nova Collectione non appareat, nihilominus, cum illi aliud contrarium non extet, totam vim possidet (Cfr. De Amicis *Caeremoniale Parochorum*, Tom. 1, pag. 6, in nota).

II. An Ordinarii permittere possint, ut parvulis, praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur.

III. An Ordinarii permittere possint, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et sacram Communionem ob devotionem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur.

Et E.mi Patres, re mature perpensa, reposuerunt:

Ad I. Affirmative ex iustis et rationabilibus causis, per modum actus, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de iure servandis et gratis omnino quocumque titulo.

Ad. II. Affirmative ex iusta et rationabili causa.

Ad III. Affirmative ex iusta et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter omnigenas,* 2 febr. 1744, § 23, scilicet: « *Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus: in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat: et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur* ».

Quas resolutiones Ss.mus D. N. Pius PP. X, in audientia habita ab infrascripto Secretario die 22 decembris 1912, ratas habere et confirmare dignatus est.

Datum Romae e Secretaria S. C. de disciplina Sacramentorum, die 23 decembris 1912.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

Commentarium.

Ad I. Olim Missae Sacrificium celebrari poterat *ubi Episcopus permiserit* (Can. 12 et 13 de Consecr.); consequenter concedere licentiam poterat celebrandi etiam in oratoriis privatis; Episcopis tamen huiusmodi facultas limitata fuit, imo postea sublata, per Concilium Tridentinum, quod praescribit (Sess. 22 decr. de observ. in celebr. Miss.), ne Episcopi patiantur, *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum cultum dicata oratoria, sanctum Sacrificium peragi.* Dubitatum autem est an huiusmodi facultas Episcopis adempta fuerit etiam *per modum actus;* licet enim pluries Romanae Congregationes declaraverint, talem facultatem soli Romano Pontifici reservatam esse, nihilominus visum fuit omnibus doctoribus ac canonistis hoc esse intelligendum de iure ordinario, et ex potestate illimitata ac ad libitum, ut olim competebat, non vere de casu alicuius gravis necessitatis. Tridentina namque Synodus mala voluit impedire, non vero quae bona sunt et utilia prohibere. Unde dicta facultas Episcopis restricta potius atque limitata, quam prorsus sublata et adempta credita fuit. Revera S. Carolus (Conc. Prov. IV), qui Tridentinas leges bene noverat, et summa cura promulgavit ac illustravit, agnovit in Episcopo facultatem permittendi celebrationem Missae in oratorio privato, propter *magnas et urgentes causas.* Sanctus Ligorius (Lib. VI, n. 359) id pariter licere affirmat in aliquo casu particulari per modum actus *ob iustam causam.* Similiter Congregatio Concilii (Resol. 4 sept. 1856) eodem modo respondit. Haec autem doctrina hodie per Decretum istud omnino confirmatur; adduntur tamen conditiones aliquae, quae semper imponuntur, quandocunque Missae celebratio in privatis domibus concessa fuit; nempe: quod in cubiculo ipso, in quo degit infirmus, sacrum non fiat, bene quidem in loco contiguo, sed decentissimo, uti par est, servatis aliis de iure servandis, circa altare, sacras vestes, et etiam circa iura parochialia.

Ad II. Alienum semper ab Ecclesiae legibus fuit, privatim Baptismum domi conferre, cum in ecclesiis sit omnino ministrandum. Concilium Trullanum (can. 31) decrevit: *Deponatur clericus qui sine licentia Episcopi intra domum baptizat.* Canone autem 19 decrevit: *In Ecclesiis, non in domibus aut privatis oratoriis, baptismata celebrentur.* Clemens vero V idem praescripsit (Clementina unic. de Baptismo): *Nisi Regum vel Principum, quibus valet in hoc casu differri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam, absque periculo propter hoc, accessus haberi* (Cf. Benedictum XIV, Instit. 98). Attamen in praxi, etiam in Urbe Roma plures, licet non Reges neque veri Principes, solent expetere ut Baptismum pueris in domo conferatur; et huiusmodi concessio passim tribuitur; sed tamen oportet quod aliqua causa iusta et rationabilis existat. Hoc vero novo Decreto S. Congregatio de Sacramentis legem antiquam aliquantisper mitigat, atque opportune declarat, quod, data causa rationabili, semper Episcopi facultatem habent permittendi Baptismi ministrationem in domibus privatis, agatur, vel non, de familiis nobilibus (1).

Ad III. Pro delatione sacrosanctae Eucharistiae Sacramenti ad infirmos, utique servari debent ordinarie, ea quae a Rituali Romano praecipiuntur; datis tamen quibusdam circumstantiis, maxime in locis infidelium aut haereticorum, concessum iam fuerat, ut secreto deferri posset, iuxta constitutionem Benedicti XIV in hoc decreto citatam. Attamen ritus huiusmodi secretae delationis, tantummodo adhibendus

---

(1) Exposita doctrina iuxta evulgatum decretum tuebamur dum scripsimus in *Caerem. Parochorum, Tom. II, pag. 279*, ut infra: Potest tamen Episcopus in casibus particularibus, data sufficienti ratione, dispensare; igitur ad eum semper recurrendum est, ut possit, praeter casum necessitatis, extra ecclesiam baptismum aliquando conferri. Pro omnibus generatim nec Episcopi huiusmodi facultatem dare possunt, sed ipsis curandum ut infantes deferantur ad ecclesiam.

NOTA DIRECTIONIS.

erat pro administrando viatico, ut clare patet legenti praefatam constitutionem (Bull. Benedicti xiv, n. lxxxix, 22 et 23). Hodie vero cum per decretum 7 dec. 1906 Sacra Congregatio Concilii concesserit, ut aegrotis, licet morti non proximis, communio deferri possit in proprias domos, prout fit quando ad modum viatici defertur, opportune hodie per hoc novum decretum conceditur quoque, ut secrete deferatur iuxta ritum in appendice Ritualis Romani iis in civitatibus, in quibus aliquid timendum sit quod venerationi erga Ss. Sacramentum obstet, non tantum pro viatico, sed etiam quando communionem exposcunt fideles pro sua devotione, iuxta mentem Pontificis hanc gratiam concedentis, uti apparet in citato decreto 7 dec. 1906. Et sane; licet enim in civitatibus hodie, etiam populo frequentioribus, forsan infidelium furor non sit pertimescendus, prout erat in regno Serviae, pro quo Benedictus xiv decretum suum tulerat, nihilominus, partim ratione diminutionis fidei et indifferentiae, partim quoque ratione ingentis multitudinis negotiorum qua plebs hodie intricata ac pressa esse videtur, ita ut per vias tum curruum tum peditum continua adsit multitudo, saltem negativa contemptio inveniretur erga Sacramentum, et non sufficiens reverentia, quam eliminare aut impedire nulla lex ecclesiastica potest. Hinc est propterea, quod Sancta Sedes, ne fideles, qui frequenter Communionem sumebant in ecclesiis, quando morbo aliquo domi detinentur (de quo iudex esse debet parochus) pane coelesti diutius privari debeant, hanc concessionem est elargita, de qua omnes debitas grates reddere debent.

Dr. P. P.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

De Communione in ecclesiis non parochialibus etiam regularibus die Paschatis fidelibus administranda.

Quum quaesitum a sacra Congregatione Concilii fuisset, an, post decretum de quotidiana Ss.mae Eucharistiae sumptione, cuius initium « Sacra Tridentina Synodus », servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, Ss.mae Eucharistiae Sacramentum fidelibus administretur; Ss.mus Dominus noster Pius divina providentia Pp. X, audita relatione infrascripti Cardinalis Praefecti, in audientia diei 26 huius mensis, responderi iussit: *Negative,* contrariis quibuscumque non obstantibus: idque in *Actis Apostolicae Sedis* publicari mandavit.

Datum Romae, e Secretaria S. Congregationis Concilii, die 28 novembris 1912.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

O. Giorgi, *Secretarius.*

Commentarium.

Benedictus xiv (De Synod. IX, xvj, 3) refert quod Eugenius iv declaraverat tempus paschale, intra quod integrum est fidelibus annuae perceptionis Eucharistiae praecepto satisfacere, non unius, sed quindecim dierum spatio, hoc est a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, intercludi. Cum autem Paulus iv Fratribus Minoribus con-

cessisset (et ratione communicationis privilegiorum etiam ceteris Regularibus) ut possent in suis Ecclesiis Communionem distribuere personis saecularibus, exorta est quaestio, utrum durante quindena paschali, in qua fideles in propria parochia Communionem sumere debent, Regulares prohiberentur necne a simili distributione sacrae Eucharistiae. Sacra tamen Congregatio Concilii, pluribus suis decretis, omnem controversiam e medio detulit, declarans, quod solo die sancto Paschatis absolute prohibentur Regulares ne in suis Ecclesiis Eucharistiae Sacramentum saecularibus ministrarent (Cf. decr. in Burdigalen. 9 iul. 1644, Senonen, 11 iun. 1650). In urbe autem Romae, ut tradit Scavini (III, tr. ix, nota O, n. 11), etiam feria v in Coena Domini. Multis etiam in dioecesibus, haec prohibitio facta est quoque in aliis Ecclesiis non parochialibus.

Ratio huiusmodi prohibitionis sita est in eo, quod Communionem Paschalem quisque in propria paroecia sumere debet, ex praecepto Innocentii iij, ideoque, in signum obsequii erga proprium parochum, et ad demonstrandum quod Regulares in cura animarum saecularium personarum se immiscere non debeant, saltem die Paschatis iis haec prohibitio facta fuit. Attamen hodie admittitur quod fideles possint communicare ubique ut praeceptum paschale adimpleant. In Catechismo quidem a SS. D. N. Papa Pio X nuper pro provincia Romana adprobato, ex formula de praecepto communionis paschalis, ablata est clausula, ut fieri debeat in uniuscuiusque paroecia. Itaque si Christifideles hodie debent quidem Communionem tempore Paschali recipere, non vero amplius restrictive, iuxta plurium opinionem, in sua parochiali Ecclesia, non amplius est locus prohibitioni Regularibus factae, ut supra dictum est, haec ratio et causa esse potest huiusce decreti Congregationis Concilii.

P.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

De Cruce in altari in quo Missa celebratur.

QUAESTIO.

Inter ea, quae requiruntur in altari ut rite recteque Missae sacrificium celebrari possit, iuxta rubricas, recensetur Crux. Cum autem multis in ecclesiis nunc mos invaluerit ponendi super altaria minores tabulas, vulgo *sottoquadri*, Crux parva, potius ad ornatum, in huiusmodi tabulis collocatur. Quaeritur ergo:

1. *Cur in altari, pro celebranda Missa, Crux collocetur, et quando id coeptum fuerit?*

2. *Quid hac super re praescripserit Apostolica Sedes?*

3. *Cuiusnam mensurae esse debeat Crux in altaribus, quidque hac de re Romae tenendum, inspectis praesertim praescriptionibus Visitationis Apostolicae?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. Caroli Grosso Pro-Cancellarii Sacrae Rituum Cong.nis, habita in sacra Aede Cong.nis Missionis apud Curiam Innocentianam, die 13 Novembris 1912; acta, post Censorum animadversiones, epitome a R. P. D. Philippo Mª Di Fava, S. R. Cong.nis Substituto.

Ad I. Inter altaris ornamenta principem locum tenet Crux cum imagine Crucifixi; de ea, tamquam de usu an-

tiquo loquitur S. Ioannes Chrysostomus (Homil. 61) dicens: « Haec ipsa Crux in sacra mensa cum Christi corpore ad coenae mysterium resplendeat »; et in Concilio Turonensi III, anno 570 habito, decernitur: « Corpus Christi sub Crucis titulo ponatur ».

Iuxta tamen Duchesne (Orig. I, p. 363) et Magani (Ant. Lit. Rom. III, p. 125) antiquius Crux non erat in altaris mensa, sed tamquam ornamentum cuspidis ciborii, quod cooperiebat altare Primus qui de Cruce in medio candelabrorum scribit est Durandus (*Rationale I, iij, 31*), ipse tamen, modo quo scribit, supponit quod usus collocandi Crucem in medio candelabrorum, satis antiquus erat. Quidquid sit ergo de antiquitate et origine, Rubricae missalis antiquae, a S. Pio V recognitae (Rit. II, 2), omnino Crucem exquirunt, et quidem cum imagine Crucifixi; item Caeremoniale (I, xiij, 11) Crucem in altari praescribit, ita ut nequeat celebrari Missa, si Crux deficiat.

Ad II. Crux non ita tenuis esse debet et exigua, ut Sacerdotis et populi oculos effugiat, sed tam magna ut Celebrans et populus eamdem commode aspicere possit. Ita decernit Benedictus XIV (Constit. *Accepimus* 16 Iul. 1746).

Quo in loco solertissimus Pontifex loquitur etiam de mala consuetudine collocandi Crucem in summitate minoris tabulae, quae ponitur in medio candelabrorum, et ait: « Non improbamus quod idem altare plurium Sanctorum nomini et memoriae dedicetur, quodve in maiori tabula aut unus tantum aut plures Sancti pingantur, vel denique quod alia minor tabula collocetur inferius, aut alio quocumque modo. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante celebrantem, vel ita tenuis et exigua ut ipsius celebrantis et populi assistentis oculos pene effugiat, id enim alienum est a legibus Ecclesiae, quae in rubricis aliisque sanctionibus continentur ».

Postquam autem idem Pontifex praecepta hac de re attulerit Missalis, Pontificalis, Caeremonialis Romani, atque

disciplinam Ritus quoque Orientalium, docet *a*) Quod Crux in altari habere debet Crucifixi imaginem. *b*) Quod requiritur, licet in altari adsit Ss. Sacramentum, in Tabernaculo. *c*) Quod, quum exponitur solemniter in throno Ss. Sacramentum, Crux collocari debet vel non, iuxta ecclesiarum consuetudinem. Concludit vero hanc memorandam constitutionem suam, alloquendo Episcopos, dicens: « Illud vobis praecipimus ut nullo modo patiamini rem divinam fieri ad huiusmodi altaria, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos et populus facile intueri possint. S. R. C. (decr. 1270) declaravit quod exigua Crux in summitate Tabernaculi non sufficit. Item alio decreto (2621) iussit ut Episcopi iuris et facti remediis id servandum curent, simulque provideant, ne Crux visibilis desit in altaribus. Denique (decr. 3576) declaravit quod Crucifixus collocari non debet in expositorio, ubi collocatur Ss. Sacramentum, nec super Corporale.

Ad III. Attamen nisi determinetur mensura Crucifixi rectores Ecclesiarum facile putant sufficere magnitudinem Crucis pro suo arbitrio; quapropter plurimi Episcopi in edictis dioecesanis, legem Benedicti XIV promulgando, mensuram quoque praescripserunt pro Cruce altarium. E.mus quoque Petrus Respighi Card. Urbis Vicarius in *Normis traditis pro Visitatione Apostolica ecclesiarum Urbis* anno 1904, praescripsit:

1° Quod transactis tribus mensibus a visitatione, suspensae sint Cruces omnes altarium, quarum hasta longior non habeat ad minus 40 centim. et minor saltem 22. Pro ara maiore tamen, et pro maioribus capellis, Crux proportionaliter maioris sit magnitudinis. 2° Quod Cruces in altaribus ita collocentur, ut aperte videri possit a Celebrante, ideoque nullum existat obstaculum inter oculos Celebrantis et ipsam Crucem. 3° Quod Crux ita sit apte disposita, ne appareat res secundaria et quasi ad ornatum potius, quam ad cultus obiectum praecipuum. 4° Quod ipsa imago Crucifixi concinne

et decore sit exculpta. 5° Quod omnino removeantur Tabellae minores secundariae altarium, quae prohibeant quominus Crux videatur locum praecipui cultus habere (1).

(1) Crux altaris inter candelabra, ut diximus, vel super ipsum tabernaculum collocanda est, non autem in throno, in quo ostensorium poni solet (Decr. 4136), neque super corporale vel palla (D. 3576, III), neque ante ostiolum tabernaculi (D. cit.). In observatioribus ecclesiis ita locatur Crucifixus, ut vel ante vel post thronum, si accidentaliter causa expositionis habeatur, elatus appareat (Cfr. De Amicis, *Caeremoniale Parochorum*, tom. I p. 15-16).

SPECIEMN
KALENDARII ECCLESIAE UNIVERSALIS
PRO ANNO DOMINI 1914
Pascha occurrente die 12 Aprilis

APRILIS.

1. Fer. IV. *Viol.* De ea - Omn. ut fer. II. praec. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (or. pr.) com. fer.
2. Fer. V. *Alb.* **S. Francisci de Paula C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Beatus vir* - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine. - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. praec. et fer. - Compl. de Dom. - Doxol. pr.
3. Fer. VI. *Alb.* **Septem Dolorum B. M. V.** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. fer. - com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Praef. B. M. V. *(Et te in transfixione)* Ev. fer. in fine. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. et fer. - Compl. de Dom.
4. Sabb. *Alb.* **S. Isidori Ep. C. D.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. *Sapientiam.* - Lectt. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Ev. fer. in fine - Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. praec. et S. Vincentii Ferrerii C.

✠ 5. **DOM. PALMARUM** 1. cl. *Viol.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. com. S. Vincentii. - Miss. sine Gl. unica or. Passio Cr. et in fine *Bened. D.no.* et Ev. S. Ioannis *In principio* (sed in Miss. privat. et etiam cantat., si non benedicantur rami, legit. in fine Ev. *Cum appropinquasset*) - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Vincentii - Compl. de Dom.

6. Fer. II. **Maior. Hebd.** *Viol.* De ea. - Omn. de fer. 2. loc. et pr. - Ad Laud. et Hor. Prec. ferial. - In Miss. sine Gl. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. - In Vesp. Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.
7. Fer. III. **Maior. Hebd.** *Viol.* De ea. - Omn. ut fer. II praec. - In Vesp. Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.
8. Fer. IV. **Maior. Hebd.** *Viol.* De ea. - Omn. ut fer. II. praec. - In Vesp. Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

9. Fer. V. **IN COENA DOMINI.** *Viol. in Off.*, *Alb. in Miss.* De ea *dupl. 1. cl.* - Omn. pr. loc. - Ad Laud. Pss. de fer. V. 2. loc. - Ad Hor. Pss. de Dom. - Miss. pr. Gl. unica or. Cr. Praef. de Cruce, *Communicantes, Hanc igitur* et *Qui pridie* pr. ac in fine *Ite, missa est.* - Vesp. pr. loc. - Compl. pr. loc. sumptis tamen Pss. de Dom.

10. Fer. VI. **IN PARASCEVE** *Nig. in Funct. Praesanctif.* De ea *dupl. 1 cl.* - Omn. pr. loc. - Ad Laud. Pss. de fer. VI. 2. loc. - Ad Hor. Pss. de Dom. - Functio Praesanctificatorum ut in Missali - Vesp. pr. loc. - Compl. pr. loc. sumptis tamen Pss. de Dom.

De S. Leone I. P. C. D. hoc anno nihil.

11. **SABBATUM SANCTUM.** *Viol. in Off. Alb. in Miss.* De eo *dupl. 1. dupl.* - Omn. pr. loc. - Ad Laud. Pss. de Sabb. 2. loc. praeter Canticum, quod est *Ego dixi* - Ad Hor. Pss. de Dom. - Miss. pr. Gl. unica or. Praef. Pasch. (*in hac potissimum nocte*) *Communicantes* et *Hanc igitur* pr. sine *Agnus Dei* - Loco Postcomm. cantant. Vesp. ut in Missali, additis ad *Ite, missa est* duobus *Alleluia* - Extra Missam Vesp. dicunt. ut in Breviar. pr. loc. - Compl. pr. loc. sumptis tamen Pss. de Dom.

✠ 12. **DOM. RESURRECTIONIS.** *Alb. dupl. 1. cl. cum Oct. privil.* - Omn. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. Pasch. *(in hac potissimum die) Communicantes* et *Hanc igitur* pr. - Ad *Ite, missa est* et in Laud. et Vesp. (non in ceter. Hor.) ad *Bened. D.no* adduntur duo *Alleluia* per tot. Oct. - Vesp. pr. loc. - Compl. pr. loc. sumptis Pss. de Dom.

De S. Hermenegildo M. hoc anno nihil.

† 13. Fer. II. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* - Omn. ut in festo et pr. - Vesp. ut in festo et pr. - Compl. ut in festo.

De S. Iustino M. et de Ss. Tiburtio et Soc. Mm. hoc anno nihil.

† 14. Fer. III. **PASCHATIS.** *Alb. dupl. 1. cl.* Omn. ut in festo et pr. - Vesp. ut in festo et pr. - Compl. ut in festo.

15. Fer. IV. **Infra Oct.** *Alb. semid.* - Omn. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. ut in festo et pr. - Compl. ut in festo.

16. Fer. V. **Infra Oct.** *Alb. semid.* - Omn. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. ut in festo et pr. com. S. Aniceti P. M. - Compl. ut in festo.

17. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* - Omn. ut in festo et pr. com. S. Aniceti in Laud. et Miss. Cr. – Vesp. ut in festo et pr. - Compl. ut in festo.

18. Sabb. **In Albis et infra Oct.** *Alb. semid.* - Omn. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de seq. Dom. (Pss. de Sabb. sub. una Ant. *Alleluia* Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) *Bened. Dno* sine *Alleluia*, et sic deinceps.

Ab his Vesp. Doxol. et ℣. ℟. br. Prim. pr. etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur, usque ad Ascensionem.

✠ 19. **DOM. IN ALBIS.** *1. cl. Alb.* De ea *dupl. mai.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - In Miss. Cr. Praef. Pasch. usque ad Ascens. nisi aliter notetur; ac *Ite missa est* sine *Alleluia*, et sic deinceps - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) sine com. - Compl. de Dom.

20. Fer. II. *Alb.* De ea. - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. de seq. sine com.

21. Fer. III. *Alb.* **S. Anselmi Ep. C. D.** *dupl.* - In Miss. Cr. - In Vesp. com. seq.

22. Fer. IV. *Rub.* **Ss. Soteris et Cali Pp. Mm.** *semid.* - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. et de Cruce - Ad Compl. Prec.

23. Fer. V. *Rub.* **S. Georgii M.** *semid.* - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. de seq. com. praec.

24. Fer. 6. *Rub.* **S. Fidelis a Sigmaringa M.** *dupl.* - Vesp. de seq. (ut in Comm. et pr.) com. praec. - Compl. de Dom.

25. Sabb. *Rub.* **Litaniae maiores - S. MARCI EV.** *dupl. 2. cl.* Off. de Comm. et pr. - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. Dom. (pr. loc.) et Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm. - Compl. de Dom.

26. **Dom. II. p. Pascha** *Alb.* De ea *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. com. Ss. Mm. et de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *Concede*, Cr. - Vesp. De dom. (ut in Psalt. et pr.) com. Ss. Mm. et de Cruce - Compl. de Dom. et Prec.

27. Fer. II. *Alb.* De ea - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. de seq. com. S. Vitalis M.
28. Fer. III. *Alb.* **S. Pauli a Cruce C.** *dupl.* - Lect. 9. S. Vitalis - Com. S. Vitalis in Laud. et Miss. - Vesp. (*Rub.*) a cap. de seq. com. praec.
29. Fer. IV. *Rub.* **S. Petri M.** *dupl.* - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com. praec.
30. Fer. V. *Alb.* **S. Catharinae Senen.** *dupl.* - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom.

MAIUS.

† 1. Fer. VI. *Rub.* **SS. PHILIPPI ET IACOBI APP.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. *Incip. Epist. B. Iacobi Ap.* (de Dom. IV. p. Pascha) - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. - Compl. de Dom.
2. Sabb. *Alb.* **S. Athanasii Ep. C. D.** *dupl.* - In Miss. Cr. - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. Dom. (pr. loc.) - Compl. de Dom.

De Inventione S. Crucis fit die 4 huius.
De Ss. Alexandro P. et Soc. Mm. hoc anno nihil.

✠ 1. **Dom. III. p. Pascha** *Alb.* **Solemnitas S. IOSEPH Sponsi B. M. V. et Eccl. Univer. Patroni C.** *dupl. 1. cl. cum Oct.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. Dom. - com. Dom. in Laud. et Miss. Cr. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. (pr. loc.) Dom. (pr. loc.) et S. Monicae Vid. - Compl. de Dom.
4. Fer. II. *Rub.* **Inventio S. Crucis** (f. 3. hui.) *dupl. 2. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. (una e IV et V) S. Monicae - com. S. Monicae in Laud. et Miss. Cr. Praef. de Cruce - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. et S. Monicae - Compl. de Dom.
5. Fer. III. *Alb.* **S. Pii V. P. C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Apocalypsis* (de Dom. praec.) com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (ut in Comm. et pr.) com. praec. et Oct. - Compl. de Dom.

6. Fer IV. *Rub.* **S. Ioannis ante Portam Latinam** *dupl. mai.* - Off. de Comm. et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. Praef. App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. et Oct. - Compl. de Dom.

7. Fer. V. *Rub.* **S. Stanislai Ep. M.** *dupl.* - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. praec. et Oct. - Compl. de Dom.

8. Fer. VI. *Alb.* **Apparitio S. Michaelis Arch.** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. et Oct. - Compl. de Dom.

9. Sabb. *Alb.* **S. Gregorii Nazianzieni Ep. C. D.** *dupl.* - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. Oct. (ut in 1. Vesp. Festi) S. Antonini Ep. C. et Ss. Gordiani et Epimachi Mm.

✠ 10. **Dom. IV. p. Pascha** *Alb.* De ea *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr.. - Com. Oct., S. Antonini et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. Oct. et S. Antonini - Compl. de Dom.

11. Fer. II. *Alb.* De ea - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. (*Rub.*) de seq. com. de Cruce - Ad Compl. Prec.

12. Fer. III. *Rub.* **Ss. Nerei et Soc. Mm.** *semid.* - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - In Vesp. com. de Cruce - Ad Compl. Prec.

13. Fer. IV. *Alb.* De ea. - Omn. ut fer. II. praec. - Vesp. (*Rub.*) de fer. a cap. de seq. com. de Cruce.

14. Fer. V. *Rub.* **S. Bonifacii M.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum. ℟℟. de comm. et 1. Noct. - Lect. 3. (e 2. una) pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et com de Cruce - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

15. Fer. VI. *Alb.* **S. Ioannis Baptistae de la Salle C.** *dupl.* - In Vesp. com. seq.

16. Sabb. **S. Ubaldi Ep. C.** *semid.* - Ad Laud. com. de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. - Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. et S. Paschalis Baylon C.

✠ 17. **Dom. V. p. Pascha** *Alb.* De ea *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Paschalis in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Paschalis - Com. de Dom.

18. Fer. II. **Rogationum - Litaniae Minores** - *Rub.* **S. Venantii M.** *dupl.* - Ad Mat. Hymn. *Martyr Dei* dicitur coniunctim cum alio *Athleta Christi* sub una concl. - Lectt. 1. Noct. *Fratres, debitores* - Lect. 9. Hom. fer. - Com. fer. in Laud et Miss. Ev. fer. in fine - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com. praec. et S. Pudentianae V.

19. Fer. III. **Rogationum** (de qua nihil in Off.) - **Litaniae Minores** - *Alb.* **S. Petri Coelestini P. C.** *dupl.* - Lect. 9. S. Pudentianae - Com. S. Pudentianae in Laud. et Miss. 3. or. Rogat (*Praesta*) - In Vesp. com. seq.

20. Fer. IV. **Rogationum** (de qua nihil in Off.) et **Vigilia Ascensionis - Litaniae Minores** - *Alb.* **S. Bernardini Senen. C.** *semid.* - Lectt. 1. Noct. *Beatus vir* - Lect. 9. Hom. Vigil. - Ad Laud. com. Vigil. et de Cruce - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. Vigil. 3. Rogat (*Praesta*) Ev. Vigil. in fine - Vesp. de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Ad Compl. et deinceps usque ad 1. Vesp. Pentecost. (nisi aliter notetur) Doxol. pr.

✠ 21. Fer. V. *Alb.* **ASCENSIO D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum. Oct.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. et *Communicantes* pr. per totam Oct. nisi aliter notetur - In Vesp. (pr. loc.) nulla com. - Compl. de Dom.

22. Fer. VI. **Infra Oct.** *Alb. semid.* - Off. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) - Compl. de Dom.

23. Sabb. **Infra Oct.** *Alb. semid.* - Off. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Oct. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. Oct. - Compl. de Dom.

✠ 24. **Dom. infra Oct.** *Alb.* De ea *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Dom. (pr. loc.) com. seq. Oct. et S. Urbani P. M. - Compl. de Dom.

25. Fer. II. *Alb.* **S. Gregorii VII. P. C.** *dupl.* - Lect. 9. S. Urbani - Com. Oct. et S. Urbani in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. Oct. et S. Eleutherii P. M.

26. Fer. III. *Alb.* **S. Philippi Nerii C.** *dupl.* - Lect. 9. S. Eleutherii - Com. Oct. et S. Eleutherii in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. a cap. de seq. com. praec. Oct. et S. Ioannis I. P. M.

27. Fer. IV. *Alb.* **S. Bedae Venerabilis C. D.** *dupl.* - Lect. 9. S. Ioannis - Com. Oct. et S. Ioannis in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de seq. (ut in 1. Vesp. festi) com. praec. et S. Augustini Ep. C. - Compl. de Dom.

28. Fer. V. *Alb.* **Octava Ascensionis** *dupl. mai.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Lect. 9. (e 3. una) S. Augustini - Com. S. Augustini in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (ut in festo) com. seq. et S. Augustini - Compl. de Dom.

29. Fer. VI. *Alb.* **S. Mariae Magdalenae de Pazzis V.** *semid.* - Com. fer. in Laud. et Miss. Praef. de Ascens. - In Vesp. com. fer. (e 1. Vesp. Dom. praec.) et S. Felicis I. P. M.

30. Sabb. **VIGILIA PENTECOSTES** *Alb. in Off. Rub. in Miss.* - Off. ut in Dom. infr. Oct. Ascens. et pr. - Lect. 9. S. Felicis - Ad Laud. com. S. Felicis - Miss. pr. unica or. sine Cr. Praef. *Communicantes* et *Hanc igitur* pr. - In Miss. privat. (omiss. Proph. or. et Litan.) dicit. Introitus *Cum sanctificatus* (in fine Missae) et rel. ut supra - Vesp. (*Rub.*) de seq (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Ad Compl. et deinceps, usque ad Nonam Sabb. seq. inclusive, Doxol. pr.

De S. Angela Mericia V. et de S. Petronilla V. hoc anno nihil.

✠ 31. **DOM. PENTECOSTES** *Rub. dupl. 1. cl. cum. Oct. privil.* - Off. pr. - Ad Tertiam Hymn. *Veni creator,* per tot. Oct. - In Miss. Cr. Praef. *Communicantes* et *Hanc igitur* pr. per tot. Oct. - Vesp. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom.

IUNIUS.

† 1. Fer. II. **PENTECOSTES.** *Rub. dupl. 1. cl.* - Omn. ut in festo et pr. - Vesp. ut in festo et pr. - Compl. de Dom.

De Ss. Marcellino et soc Mm. hoc anno nihil.

† 2. Fer. **PENTECOSTES.** *Rub. dupl. 1. cl.* - Omn. ut in festo et pr. - Vesp. ut in festo et pr. - Compl. de Dom.

3. Fer. IV. **Quat. temp.** *Rub.* **De octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. ut in festo et pr. com. S. Francisci Caracciolo C. - Compl. de Dom.

4. Fer. V. (*Rub.*) **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. S. Francisci in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. ut in festo et pr. com. S. Bonifacii Ep. M. et S. Francisci Caracciolo. - Compl. de Dom.

5. Fer. VI. **Quat. temp.** (*Rub.*) **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. S. Bonifacii in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. ut in festo et pr. com. S. Norberti Ep. C. et S. Bonifacii - Compl. de Dom.

6. Sabb. **Quat. temp.** (*Rub.*) **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. S. Norberti in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. (pr. loc.) - Compl. de Dom.

✠ 7. **Dom.** I. **p. Pent.** I. cl. *Alb.* **SS. TRINITATIS** *dupl. I. cl.* - Off. pr. - Lect. 9. Hom. Dom. - Ad Laud. com. Dom. - Ad Prim. Symb. *Quicumque* - In Miss. 2. or. Dom. Cr. Praef. Trinit. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (pr. loc.) com. Dom. (pr. loc.) - Compl de Dom.

8. Fer. II. *Vir.* De ea - Off. de fer. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. D.no* in fine - Vesp. (*Rub.*) de fer. (ut in Psalt.) a cap. de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

9. Fer. III. *Rub.* **Ss. Primi et Feliciani Mm.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lect. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 2. Noct. - Lect. 3. (e 2. una) pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - Miss. pr. 2. or. *A. cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

10. Fer. IV. *Alb.* **S. Margaritae Reg. Vid.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Ad Compl. et per tot. Oct. Doxol. pr,

De S. Barnaba Ap. hoc anno nihil.

✠ 11. Fer. V. *Alb.* **Commem. Solenn. Ss. Corporis D. N. J. C.** *dupl. 1. cl. cum.* Oct. privil. - Omn. pr. - In Miss. Cr. Praef. de Nativ. per Oct. - In Vesp. (pr. loc.) com. S Ioannis a S. Facundo C. - Compl. de Dom.

12. Fer. VI. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. S. Ioannis a S. Facundo ac Ss. Basilidis et Soc. Mm. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) com. S. Antonii de Padua C. et S. Ioannis a S. Facundo - Compl. de Dom.

13. Sabb. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. S. Antonii in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) a cap. de seq. Dom. (pr. loc.) com. Oct., S. Basilii Ep. C. D. et S. Antonii - Compl. de Dom.

✠ 14. **Dom. infra Oct. II. p. Pent.** *Alb.* DE EA *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. Oct. et S. Basilii in Laud. et Miss. pr. - Vesp. de Dom. (pr. loc.) com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) S. Basilii ac Ss. Viti et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

15. Fer. II. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) sine com. - Compl. de Dom.

16. Fer. III. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) sine com. - Compl. de Dom.

17. Fer. IV. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - In Miss. 2. or. *Concede* 3. *Eccl.* vel pro Pp. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in 1. Vesp. festi) com. Ss. Marci et Marcelliani Mm. - Compl. de Dom.

18. Fer. V. *Alb.* **Octava Comm. Sol. Ss. Corporis D. N. I. C.** *dupl. mai.* - Off. ut in festo et pr. - Com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) sine com. - Compl. de Dom.

De S. Iuliana V. et de Ss. Gervasio et Protasio MM. hoc anno nihil.

19. Fer. VI. *Alb.* **SS. CORDIS IESU** *dupl. 1. cl.* - Off. pr. - In Miss. Cr. Praef. de Cruce - In Vesp. (pr. loc.) nulla com. - Compl. de Dom.

20. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Doxol. usque ad Non. inclusiv. pr. - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. - Ant.

Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum. ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. cap. et rel. pr. com. S. Silverii P. M. et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. Prec.) Cap. et rel. pr. - Miss. *Salve* (a Pent. ad Adv.) 2. or. S. Silverii 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. (*Et te in veneratione*) - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. S. Aloisii Gonzagae C.

✠ 21. **Dom. III. p. Pent.** *Vir.* De ea *semid.* - Omn. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Aloisii in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Aloisii. - Compl. de Dom.

22. Fer. II. *Alb.* **S. Paulini Ep. C.** *dupl.* - In Vesp. nulla com.

23. Fer. III. *Vir.* De ea. - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. Comm. et *Bened. Dno* in fine. - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

24. Fer. IV. *Vir.* De ea. Omn. ut fer. III. praec. - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

25. Fer. V. *Alb.* **S. Gulielmi Abb.** *dupl.* - Vesp. (*Rub.*) a cap. de seq. com. praec.

26. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Ioannis et Pauli Mm.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Fratres, debitores* cum ℟℟. pr. - Ad Laud. Pss. de Dom. rel. de Comm. et pr. - Ad Hor. omn. de fer. a cap. de Comm. - In Vesp. (de Comm. et pr.) nulla com.

27. Sabb **Vigilia S. Ioannis Bapt. et Vigilia Ss. Petri et Pauli App.** (de qua nihil in off.) *Viol.* **De Vigil. S. Ioannis Bapt.** - Off. fer. rel. ut in Psalt. Lect. pr. loc. cum ℟℟. fer. 4. praec. - Ad Laud. Prec. ferial et Suffr. - Ad Hor. Prec. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. Vigil. Ss. App. 3. *Concede* et in fine *Bened. D.no* et Ev. S. Ioannis *In principio.* - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. (pr. loc.) Compl. de Dom.

De S. Leone II. P. C. hoc anno nihil.

✠ 28. **Dom. IV p. Pent.** *Alb.* **NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTAE** *dupl. 1. cl. cum Oct.* - Off. pr. Lect. 9. Hom. Dom. - Com. Dom. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. Ev. Dom.

in fine. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. (pr. loc.) et Dom. (pr. loc.) - Compl. de Dom.

✠ 29. Fer. II. *Rub.* **SS. PETRI ET PAULI APP.** *dupl. 1. cl. cum Oct.* - Off. pr. - In Miss. Cr. Praef. App. - In Vesp. (pr. loc.) nulla com. - Compl. de Dom.

30. Fer. III. *Rub.* **Commemoratio S. Pauli Ap.** *dupl. mai.* - Off. pr. - Com. S. Petri Ap. et Oct. S. Ioannis in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (pr. loc.) com. S. Petri et Oct. S. Ioannis (ut in 1 Vesp. festi). - Compl. de Dom.

ERRATA-CORRIGE.

In Specimen Calendarii huius, die XI Ianuarii corrigenda est dispositio pro II Vesperis, hoc modo:

« *In Vesp. com. Oct.* (*Ant.* Magi videntes *ut in I Vesp. Epiphaniae;* ℣. Omnes de Saba) *Compl. Dom.* Cfr. *Mutationes in Breviario* faciendas iuxta S. R. C. Decr. 21 Ianuari 1912, et Breviarium noviter editum a Soc. S. Ioannis Ev. - Desclée 1912.

Varia de re liturgica.

De Missa in aliena Ecclesia.

1. *Regula generalis* est, ut Missa quoad fieri potest, cum Officio conveniat (1), nam S. Ecclesia Officium et Missam ad eumdem finem ordinat, nempe ad idem Mysterium vel ad eumdem Sanctum colendum (2).

An vero Missa cum Officio Celebrantis, an cum Ecclesia in qua celebratur, regulariter convenire debeat, Rubricae silent. Fortasse, quia Officium Celebrantis idem supponitur in Rubricis ac Officium Ecclesiae, cum generaliter Sacerdotes alicui Ecclesiae de iure sint adscripti, dum reliqui velut in exceptione positi considerari possunt (3). Quidquid sit de hac quaestione, Decreto *Urbis et Orbis* S. R. C., a Leone XIII d. 9 Dec. 1895 (n. 3862) confirmato, statutum est pro generali norma, Missam Officio *Ecclesiae* conformem esse debere.

2. S. Rit. Congregatio praefato Decreto d. 9 Iulii 1895, hanc generalem regulam, ab omnibus Sacerdotibus servandam, constituit:

« Omnes et singuli Sacerdotes, tam Saeculares, quam Regulares ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio eiusdem Ecclesiae vel Oratorii conformes, sive illae in Romano, sive in

---

(1) Rubr. gener. Missal., initio, et tit. IV, n. 3.

(2) V. Merati. P. I. *in Praelimin.*, n. 17; Tetam. Diar. Liturg. etc., tr. I, l. 1, c. 2, n. 51; Schober, *Caerem. S. Alph.*, app. III, C. 2. A et app. VII, A, n. 1; aliosque.

(3) Cf. Ephemer. Liturg. vol. X, p. 17.

Regularium Missali contineantur: exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis ».

« Si vero in dicta Ecclesia, vel Oratorio, officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani vel S. R. C. Decreta prohibent. »

« ... Sanctitas sua sententiam eiusdem S. Cong.nis ratam habuit et confirmavit; Rescripta seu Decreta, tum particularia, tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando ».

3. Ad rectam praefati Decreti intelligentiam sequentia Decreta hic subiungimus:

1) *Loca in quibus Missa debet esse conformis Officio Ecclesiae vel Oratorii:*

a) Kalendario *loci,* non vero Celebrantis, respondere debent Missae, quae celebrantur in Cappellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum, dummodo agatur de Cappella *principali* (quae instar Oratorii publici, ad effectum memorati Decreti, habenda est) (1).

b) Pariter S. R. C. d. 27 Ianuarii 1900 (ad Episc. Bredan.) respondendum censuit: In illis Oratoriis Fratrum et Sororum qui obtinuerunt communicationem omnium privilegiorum quibus gaudent Regulares Tertii Ordinis S. Francisci, quique Officium recitant iuxta Kalendarium Franciscanorum, pro Missa celebranda, sequendum est idem Kalendarium Franciscanorum. — In Oratoriis vero Fratrum et Sororum qui semper idem recitant Officium, ex. gr. parvum B. M. V., vel qui pro Officio quasdam preces dicunt, pro Missa celebranda sequendum est Kalendarium Diœcesis (2).

(1) S. R. C. 22 Maii 1896, n. 3910.

(2) Insuper S. R. C. d. 12 Febr. 1909 declaravit, standum esse Kalendario chori, ob officium publice recitatum, in Ecclesia Monialium quae in choro Ecclesiae Officium divinum secundum

c) In Ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenentur sequi Kalendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur; non autem, si huiusmodi Ecclesiae, non Religiosae Familiae, sed tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissae sint (1).

Item in Ecclesiis, tum parochialibus vel annexis, tum talibus quae a fidelibus peregrinationis causa frequentari solent, quamvis illae in possessionem Regularium haudquaquam transierint et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen Sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem Sacramentorum ex officio deserviant, in

---

proprium Kalendarium recitant, licet eadem Ecclesia sit simul parochialis (n. 4233); cf. quoque S. R. C. 27 Iunii 1896 ad 18, *Ord. Capuc.*, n. 3919.

(1) S. R. C. 15 Dec. 1899 ad 2 et 3, n. 4051.

Idem omnino applicandum est, si agatur de Oratoriis publicis vel semipublicis; ideoque in hoc sensu explicandum est Decretum S. R. C. d. 27 Iunii 1896 ad 17 n. 3919 et alterum d. 17 Iulii 1896 ad 1, n. 3927. — Notandum tamen est, ex eo quod aliqua Religiosa Familia onus suscipit unum vel alterum e suo gremio mittendi ad aliquod Oratorium publicum vel semipublicum alicuius servitii causa, puta pro Missa celebranda, inferri non posse dictum Oratorium eiusdem Familiae proprium vel quasi proprium evadere. In praefato enim Decreto n. 4051, d. 15 Dec. 1899 ad 1 agitur *de Ecclesiae (vel Oratorii publici vel semipublici) servitio ab Ordine vel Congregatione Religiosa assumpto, per auctoritatem Episcopi loci* (Cf. Ephemer. Liturg., vol. XII, an. 1898, pp. 164 sqq.) — Insuper ex Decreto S. R. C. 11 Febr. 1910 ad 3, n. 4248, patet non sufficere quod Sacerdotes Regulares auctoritate Episcopi in aliqua domo Sororum habeant earum curam spiritualem, sed requiritur ut ipsi habeant de consensu Episcopi curam loci seu Sacelli principalis istarum Sororum, ad utendum Kalendario proprio Ordinis (cf. Ephemer. Liturg., vol XX, an. 1910, p. 265 et 266).

praedictis Ecelesiis omnes in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare debent (1).

d) In Oratoriis privatis, et etiam in Sacello *interiori* Communitatis Religiosae, Missa Calendario Celebrantis *potest, sed non debet* esse conformis (2).

4. *Sacerdotes qui se conformare debent officio loci, in quo celebrant:*

a) Regulares, privilegio apostolico gaudentes celebrandi Missam extra suas Ecclesias certis temporibus iuxta Kalendarium proprii Ordinis, quando color concordat cum Officio Ecclesiae in qua celebrant, comprehenduntur sub praefato

---

(1) S. R. C. 27 Ian. 1905 (n. 4150), *Ratisbonen.*, ita respondit iuxta Decreta n. 3862, *Urbis et Orbis*, 9 Dec. 1895 et n. 4051, *Urbis*, 15 Dec. 1899 ad 2. — Insuper ad dubium.: « An Regulares, qui paroeciam in Dioecesi administrant, sive Ecclesia parochialis sit Monasterio incorporata sive non, teneantur in Missis servare Kalendarium Ordinis, an Kalendarium Dioecesanum? » — S. R. C. resp.: « Si paroecia sit Monasterio vel domui Religiosae incorporata, aut eiusdem Monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel communitas apud ipsam parochialem Ecclesiam divina peragat Officia, in Missis Kalendarium religiosum semper adhibeatur; secus item in Missis Kalendarium dioecesanum semper servetur; iuxta Decreta n. 4051, Urbis, 15 Dec. 1899 et n. 4248, Canonicorum Regularium Lateranensium Congregationis Austriacae, 11 Febr. 1910 *(22 april. 1910, n. 4252)*. Cf. pariter S. R. C. 3 Febr. 1905, n. 4151.

(2) Cf. Ephemer. Liturg. vol. XV, an. 1901, p. 420.

Sacerdotes Regulares celebrantes in Oratorio *interno* Sororum cuiuspiam modernae Congregationis, et fidelibus minime patenti, Missam, non iuxta Kalendarium sui ordinis, sed iuxta ordinem Dioeceseos in qua Sorores huiusmodi, Kalendarium proprium non habentes, moram trahunt, celebrare tenentur (S. R. C. *Ord. Fratr. Minor.* 29 Iulii 1904, ad VI); sed adverte hoc dub. ex App. *novor. Decr.* auth. an. 1912 expunctum esse. In altero autem decreto S. R. C. d. 11 Febr. 1910 ad 3, n. 4248, dicitur, in altero sacello *(non principali)* Sororum, utpote privato, Sacerdotes Regulares posse sequi Kalendarium Ordinis proprium.

Decreto (9 Dec. 1895 *Urbis et Orbis*), etiam si sint speciali mentione digni (1).

b) Sacerdotes Ritus Romani, celebrantes in Ecclesiis Ritus Ambrosiani, servant Kalendarium Ritus Romani Diœceseos, dummodo diebus solemnioribus, ex. gr. Titulus vel Dedicatio Ecclesiæ, Patronus præcipuus loci, etc., se conforment quoad colorem et Missam Kalendario Ecclesiæ, in qua Sacrum faciunt. Iidem Sacerdotes, celebrantes aliqua vice Missam parochialem in iisdem Ecclesiis, sequi debent Kalendarium et Ritum Ambrosianum, et hoc valet etiam pro Regularibus, qui ex praecepto gravi Constitutionum tenentur ad Ritum Romanum (2).

5) *Quousque obligatio conformitatis Missae cum Officio se extendit:*

a) Conformitas Missae cum Officio loci servanda est, quando Officium loci obtinet ritum duplicem, aut aequivalentem, qui Missas votivas privatas vel Missas de Requie excludit. Hinc, si agitur in aliena Ecclesia vel Oratorio Officium ritus duplici inferioris, unicuique ex Celebrantibus liberum est Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrente Feria, iis tamen exceptis diebus (v. g. Dominicis diebus, infra Octavas, feriis et Vigiliis privilegiatis), in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Rom. et S. R. C. Decreta prohibent. Missa tamen vel Ecclesiae vel proprio Officio Celebrantis conformis debet esse *festiva*, non votiva aut *more votivo* (3).

Nota. Iuxta novas Rubr. tit. X, n. 2, « In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in

(1) S. R. C. 8 Febr. 1896, n. 3883.

(2) S. R. C. 10 Ianuarii 1902, *Ord. Minor. Capuc.*, n. 4088.

(3) S. R. C. 14 Mart. 1896 ad 5, n. 3892. — Quando Sacerdos recitavit Officium de Festo aliquo, in quo occurrit dies infra Octavam et Festum simplex, de quibus sola commemoratio facta est, et celebrans in Ecclesia ubi Officium ritus duplicis minoris agatur, velit recitare Missam de die infra Octavam vel de Sancto simplici, ista Missa *more festivo* dicenda est (S. R. C. 24 April 1899, n. 4020),

Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis (non tamen I vel II classis) aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum com. ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum com. Festi: prohibentur tamen Missae votivae privatae pro Defunctis; quae item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. In Quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera *(officio duplici)* in Kalendario Ecclesiae, in qua Missa celebratur ».

b) Evulgatum S. R. C. Decretum *Urbis et Orbis* d. 9 Dec. 1895, quo firma ac certa norma pro celebranda Missa in aliena Ecclesia constituta est, non patitur aliquam exceptionem *(nisi illam in praefato Decreto allatam)*, adeo ut non liceat Missam Officio proprio ritus classici *(i. e. I vel 2 classis)* convenientem celebrari, aut saltem Symbolum eiusmodi Officio conforme addi, ne quidem quando in primo et altero casu idem sit color Officii proprii ac Officii alienae Ecclesiae (2). — Item celebrans in Ecclesia alienae Dioecesis Orationem in sua Diœcesi imperatam in Missa addere nequit; sed datur obligatio ibidem addendi Orationem ab Ordinario loci praescriptam (3).

c) Conformitas, de qua est sermo, extenditur etiam ad Missas Regularium proprias, imo ad Missas de Beatis, dummodo hae Missae Ecclesiae, in qua illae fieri debent, sint indultae. Ritus tamen Regularium proprii adhuc manent vetiti.

P. V. ab A.

---

(1) S. R. C. 3 Iulii 1895 ad 3, n. 3924.
(2) S. R. C. 5 Mart. 1898, n. 3985.

Consultationes.

De Missa privata de requie in die obitus, cum celebratur officium de aliqua Dominica anticipata. — Utrum in die qua anticipatur vel reponitur Missa alicuius Dominicae, liceat celebrare Missas pro defuncto cuius aguntur exequiae praesente cadavere cum Missa solemni?

Resp. Certo certius, iuxta novas rubricas, Missae votivae, sive privatae pro defunctis, *prohibentur in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae*. Attamen, Missae lectae, quae dicuntur in die obitus vel pro die obitus, si celebretur Missa solemnis exequialis, licet sint privatae, nihilominus nobiliores sunt quam Missae quotidianae, quae votivis ad libitum aequiparantur, et privilegia maiora possident. Et sane; huiusmodi Missae, uti disponunt novae rubricae, *permittuntur in diebus duplicibus, dummodo non sit Festum de praecepto, aut duplex I vel II classis, vel feria excludens duplicia I classis.* Notandum tamen est, quod dies in qua anticipatur vel transfertur Missa alicuius Dominicae, non potest esse nec festum de praecepto, nec duplex I aut II classis, nec feria duplicia I classis excludens; ergo novae rubricae Missam huiusmodi non excludunt in die, quo dicenda sit Missa Dominicae vel anticipatae vel translatae. Ratio disparititatis in hoc consistit, quia sancta mater Ecclesia desiderat quod pro defuncto, cuius aguntur exequiae, non solum applicetur pretium Sacrificii, quod pro eo celebratur, sed etiam ut preces ac formulae ipsius Missae augeant suffragium. Hinc est, quod permittitur Missa exequialis cantata, etiam diebus festis, exceptis solemnissimis, et I classis, ac quoque in duplicibus quibusdam I classis, uti in fe-

riis II et III Paschatis et Pentecostes, ne retardetur suffragium pro defuncto. Cum autem huiusmodi ratio non urgeat, quando agitur de Missis quotidianis, aut de Missis lectis diebus III, VIII, XXX, aut anniversario, ideo istae non permittuntur neque in duplicibus, neque diebus, in quibus Missa Dominicae sit anticipanda vel transferanda.

De sanctis sociis a Titulari separandis. — Titulus Eccl. est S. Vitus, in Calendario Dioeces. festum Ss. Viti, Modesti atque Crescentiae recolitur sub ritu dupl. mai. Quaeritur: 1° Sunt Socii (Ss. Modestus ac Crescentia) separandi a festo S. Viti? 2° et quod officium de Ss. Modesto et Crescentia Mm. in casu seiunctionis est recitandum et quod formulare Missae dicendum?

Antiquitus, si socii descripti erant in kalendario sub ritu duplici (non tamen I vel II classis), alia die reponebantur sub ritu humiliori semiduplici; nunc vero, iuxta citatam novam rubricam, socii separati a Titulo vel Patrono, alia die celebrantur, retento ritu, quo decorantur in propria die.

Cum autem in dioecesi, de qua agit casus noster, Ss. Vitus, Modestus et Crescentia ritu duplici maiori recolantur, in Ecclesia S. Viti eiusdem dioecesis, eumdem ritum duplicem maiorem retinebunt, in die eis assignata.

Aliter tamen dicendum esset, si in diocesano calendario ritu simplici inscripti essent, sicut sunt in kalendario universali; quia, hoc in casu, tam antiquae quam novae rubricae, de sociis nihil esse agendum, in festo Titularis vel Patroni principalis, praescribunt.

Ad 2. Officium pro sanctis sociis separatis Modesto et Crescentia, erit de communi procul dubio, cum oratione propria in breviario, omisso nomine s. Viti, et cum lectionibus III nocturni in Octavario Romano, super Evangelium *Qui vos audit me audit,* uti in tota dioecesi pro die Ss. Viti, Modesti et Crescentiae; Missa item erit propria ut habetur in Missali; omisso pariter nomine Viti in orationibus. In ecclesia vero s. Vito dicata, Missa de sancto Titulari erit

de communi unius martyris, cum Missa *In virtute,* cum Evangelio *Si quis venit,* ideoque et lectiones III nocturni super Evangelium idem, I° loco.

BREVIORA RESPONSA

Pro loco N. — I. Officium est de feria Quadragesimae. Vesperae autem erunt de festo duplici maiore, et fit etiam commemoratio festi duplicis per modum simplicis; dicitur commemoratio festi simplificati primo loco, et secundo loco feriae. Ratio est quia feria non concurrit, quamvis de ea ob continuationem temporis (quadragesimalis) commemoretur.

II. Officium est de duplici maiore cum com. duplicis per modum simplicis et feriae Quadragesimae; die sequenti Officium erit de feria. In 2^{is} Vesperis festi duplicis maioris erit primo loco facienda com. festi simplificati, et secundo feriae Quadragesimae, ob rationem dictam ad I.

III. Festum B. Ioannis Sarkander M., dupl. maius, occurrit cum festo v. g. Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr. in Quadragesima (ritus dupl. mai.); Officium et Missa erunt de B. Ioanne M. (quia primarium) cum commemoratione festi Pretiosis. Sanguinis D. N. I. C. et feriae. In Missa dicendum erit *Credo* propter com. Pret. Sanguinis D. N. I. C. et praefatio de Cruce, propter eiusdem festum, iuxta dispositionem Decreti S. R. C. 21 iunii 1912, IV; non esset di-dicendum *Credo* in Missa v. g. de Vigilia, iuxta Decr. 24 maii 1912, VI, quia symbolum ipsi Missae feriae repugnat.

IV. Fer. IV Quatuor Temporum post Dom. I Quadragesimae est unicus dies hebdomadae, in quo non occurrit festum duplex; hac die dici nequit Missa de Requie privata, quia in novissimis Rubricis etsi ratione temporis quadragesimalis dici possent, attamen, taxative, Missae Quatuor

Temporum sunt privilegiatae quoad impedimentum Missarum de Requie et votivarum.

V. In aliena ecclesia, tempore Quadragesimae, vel in aliqua Vigilia non privilegiata habetur Officium de feria; item Missa dicitur de feria vel vigilia; Calendarium vero, alicuius celebrantis hac die habet Officium ritus duplicis. Non videtur posse dictum celebrantem, iuxta decreta S. R. C., n. 3862 et n. 3892 ad V, in illa Ecclesia legere Missam iuxta Calendarium proprium de festo duplici: quia sensus decreti primo citati, ut in altero patefit, est dari hanc facultatem, quando ritus alienae ecclesiae *permittit Missas de Requie et votivas.* Atqui in nostro casu non permittuntur; ergo.....

VI. Missa votiva B. M. V. *Rorate* cantata est quodam in loco privilegiata, quae cantari potest toto tempore Adventus, exceptis dupl. 1 et 2 cl. et Dom. I Adventus. Per totam Octavam festi Immaculatae Conceptionis B. M. V. vero, eius loco, cantatur Missa de Immaculata Conceptione. Dicendum est in hac Missa in Dominica infra Octavam Immaculatae Conceptionis *Credo,* eo quod Missa in casu sumenda est omnino de die infra octavam. Dicitur etiam *Credo* in Missa votiva in Dominica IV Adventus, quia Missae votivae solemnes, etiamsi celebrandae sint in paramentis violaceis, atque ideo sine *Gloria,* admittunt *Credo* (S. R. C. n. 1333, IV).

Nota pro R. Inquirente e Dioecesi Agrigentina. Missae *Rorate* non prohibentur, si habeatur privilegium eas decantandi in Adventu, neque diebus Quatuor Temporum et vigiliarum, eo quod non sunt, in casu, reipsa privatae, quae ex novis rubricis vetantur.

VII. Tit. V, n. 1, rubricarum Missalis Romani dicit: Prima die... Si vero in ea fuerit festum simplex, vel feria, quae propriam habet Missam aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, quae fuit impedita et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi potest... dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis (or. *Fidelium*). Prima die mensis libera est feria 3, in qua

incidit festum simplex, die sequenti est officium de feria per annum. Dicitur hoc in casu oratio *Fidelium* feria 3, non feria 4, quia rubrica nihil dicit de eiusmodi distinctione, quam facile praevidere poterat. Et similiter, si prima dies libera mensis est feria 2, in qua incidit festum simplex vel vigilia et fer. 3 sequens est etiam dies libera (offic. feriae per annum), dicitur hoc in casu oratio *Fidelium* feria 2 iuxta rubricam Missalis tit. V, n. 2.

VIII. Dominica Adventus infra Octavam Immaculatae Conceptionis nihil habet in conclusionibus hymnorum Matut., Laud. et Vesp. ut dici valeant esse propriae; hae conclusiones tamen dicentur ratione incohaerentiae quae oriretur inter *Qui venturus es,* ac *Qui natus es de Virgine;* etiam in hymnis Completorii et Horarum minorum, dicetur doxologia communis (V. MENGHINI, *Norme pratiche* etc., 3ª ed. p. 42, 43).

IX. Quando Vigilia Nativitatis D. N. I. C. venerit in Dominicam IV Adventus, non potest applicari nova rubrica, tit. X, n. 3, et legi in fine Missae Evangelium ipsius Dominicae, quia Missa non est extra ordinem Officii, et servanda est rubrica Missalis (pr. loc.)

X. Quamvis iuxta novam rubricam, tit. II, in concurrentia habeat influxum character dignitatis; Vesperae in Octava S. Stephani Protom. (2 Ianuar.) erunt non de seq. Octava S. Ioannis Ap. Ev., sed a capitulo de seq. prout adhuc notatum est in Breviario, quod cohaeret rubricae in ipso festo S. Stephani, cui praelatio tribuitur prae S. Ioanne.

XI. Festum Titularis Ecclesiae Visitationis B. M. V. celebratur sub ritu dupl. 1 cl. cum Octava, cuius dies infra Octavam occurrunt diebus infra Octavam Ss. Petri et Pauli. Quaeritur: 1° in occurrentia harum Octavarum, fit de die infra oct. Ss. Petri et Pauli, an de die infra oct. tit. Eccl. Visitationis B. M. V. 2° quae Praefatio est dicenda in festo occurrente infra has duas Octavas, de Apostolis an de B. M. V.

Resp. 1. De infra octavam festi nobilioris, sc. SS. App. iuxta num. 3 de Notandis post Tabellas occurrentiae et concurrentiae. — 2. Praefatio de Apostolis, utpote de festo

prius commemorati, iuxta Decr. S. R. C. 19 april. 1912, ad XIII.

XII. Festum SS. Trinitatis concurrit cum festo Titulari Ecclesiae. Eruntne Vesp. 2. de SS. Trinitate cum com. seq. Tit. Eccl., an de Titulari Ecclesiae, cum com. SS. Trinitatis?

Resp. Festum SS. Trinitatis, solemnius et primarium Ecclesiae universalis, praeferendum est Titulari, iuxta dispositionem rubricae inter Notanda post Tabellas occurrentiae et concurrentiae, n. 2.

XIII. Dies infra Octavam Nativit. B. M. V. (dupl. 2. cl.) occurrit diei infra Octavam Titularis Ecclesiae; fit Officium de die infra Oct. Tit. Eccl. Sancti, an de die infra oct. Nativ. B. M. V.?

Resp. Faciendum est de die infra octavam Titularis, ut dictum est in prima responsione ad XI.

XIV. Festum Oo. Sanctorum concurrit in 1. Vesp. cum festo Titularis Ecclesiae; Vesperae erunt de festo Omnium Sanctorum? Et infra octavam, occurrente die infra oct. Oo. Ss. diei infra oct. Tit. Eccl., Officium erit de die infra oct. Oo. Sanctorum? Et Vesperae diei octavae, in concursu diei oct. Titularis Ecclesiae, erunt de oct. Oo. Ss. an a Capit. tantum?

Resp. Ad 1. affirmative, uti in resp. ad III; ad 2. affirmative, ut in prima resp. ad II; ad 3. affirmative ad primam partem, negative ad secundam, ut ad 1.

Pro Verona. — Die 29 decembris, occurrit festum S. Thomae Cantuariensis; die 30, S. Cricini Episcopi Veronen.; die 31 S. Silvestri Pp. Quum omnes hi Sancti sint in die natalitio et recolantur sub ritu duplici, quonam ex relativis diebus est recolendum Officium Dominicae infra octavam Nativitatis, a die 25 ad 28 decembris impeditae?

Resp. Iuxta S. R. C. decretum diei 21 Iunii 1912, Dominica in casu recolenda est in die quo occurrit festum minus nobile. Istud, in dioecesi Veronen., erit S. Thomae, eo quod S. Cricinus nobilior est ratione Episcopatus in dioecesi, ex

quo fit ut festum eius sit magis proprium; S. Silvester est etiam nobilior, quia feriatione gaudet, quamvis suppressa. Remanet ergo ut Dominica, in casu, recolatur die 29, S. Thomae dicato.

Pro Squillaco — I. In Calendario dioecesano a S. R. C. approbato die 23 Maii 1846, inveniuntur sequentes festivitates: die 16 Ianuarii, translatio S. Agathi M. Patroni princip. civit. et dioeces. dupl. mai. — die 27 martii Patrocinium S. Agathi M. dupl. — die 7 maii fest. S. Agathi M. Patr. princ. civit. et dioeces. dupl. 1. cl. cum oct. — Tenenturne ad omnia haec festa recolenda ecclesiae omnes dioeceseos, quamvis in quolibet loco recolatur peculiaris Patronus? — Hucusque omnes celebrare has festivitates consueverunt, uti in civitate episcopali.

Resp. Quoad festum praecipuum S. Agathi, nullum amplius dubium exoriri potest, ab evulgato S. R. C. decreto, die 6 dec. 1912, ad VII, uti videre est in principio huius fasciculi; quoad alia autem festa, res nequit theoretice resolvi, sed in praxi manet obligatio. Dicimus *theoretice,* quia in praxi nemini datur facultas, festa e Calendario expungendi, si sint rite introducta, nisi apostolica Sedes interveniat, quemadmodum etiam recens S. R. C. declaravit et confirmavit.

Nota. Circa festa Sanctorum Regni Patronum, nihil innovandum inconsulta S. C.; et si Auctoritas dioecesana reductionem proponet Calendarii, opportune instruetur circa rationem petitionis faciendae.

II. Ex aliquibus antiquis Synodis dioecesanis constat, S. Gregorium Thaumaturgum esse Patronum civitatis, minus principalem; id tamen nullimode apparet ex ultima Synodo. Similiter Calendarium a S. C., ut supra dicitur, approbatum, nihil de hoc habet, sed ibi designatur tamquam Patronus civitatis S. Blasius; id tamen numquam in annuali Calendario notatum fuit. Quaeritur ergo, an Sancti praedicti retinendi sint tamquam veri Patroni minores civitatis, qui in Calendario sint uti tales designandi?

Resp. Quod praesertim ab Auctoritate competenti factum est, supponitur recte factum, nisi aperte constet de errore. Hinc, silentium Synodi postremae, et Calendarii approbati, cui concordat praxis negativa circa festum S. Gregorii tamquam Patroni, accipiendum est uti norma etiam in posterum. Non ita dicendum de festo S. Blasii, quia pro eo standum est Calendario approbato, usque ad novam per S. R. C. reformationem. Occasione vero talis reformationis rerum conditio aperte exponenda erit; sed de hoc Auctoritas dioecesana videbit.

III. In loco *Satriano* nuncupato habetur S. Theodorus, die 9 novembris, uti Patronus principalis; cuinam diei assignandum erit Officium Dedicationis SS. Salvatoris?

Resp. Iuxta novissimas rubricas, festum Dedicationis, utpote duplex II cl. locum accipiet die 10 nov., et cum agatur de assignatione perpetua, S. Andreas Avellinus reponendus erit die prima libera a festo novem lectionum.

Notae pro R. Inquirente. Circa Missas de requie cum cantu celebrandas nihil a novis rubricis immutatum est, ideoque etiam in Vigiliis non privilegiatis, de quibus novae rubricae, tit. X, n. 2, iugiter celebrari poterunt.

Festa secundaria Sanctorum non gaudent Officio festivo, nisi in iis partibus, in quibus antiphonae propriae, vel ex principali festo desumptae, si saltem sub ritu semiduplici recoluntur, habentur. Ut haberetur *per se* Officium festivum, oporteret quod Sanctus distingueretur dignitate insigni, v. gr. Apostolica, vel ex privilegio concesso, uti habetur apud Fratres Minores, pro S. Fundatore.

Pro Ragusa in Sicilia. — I. Oratoria ad instar armarii nequeunt admitti, nisi locus in quo collocantur sit a quocumque domestico usu liber; sed etiam in hoc casu caveatur, ne sua forma minus rei cui destinatum est conveniat. Oratoria debent ex muro constare, saltem, iuxta S. Alfonsum, ex maiori parte.

II. Dies, quibus in Indulto expressum est, non posse Missam in Oratorio privato celebrari, si fuerint ex elencho

festorum de praecepto expuncti, non amplius sunt in vetito comprehendendi, iuxta decretum S. R. C. n. 3896. Si vero festum non est totaliter suppressum, sed ad proximam Dominicam translatum quoad solemnitatem, in hac Dominica profecto Missae celebratio ibi erit vetita.

III. Praeter Crucem, quae in anteriori parte planetae, iuxta praesentem morem, vel in posteriori. ope taeniae (vulgo *gallone*) efformatur, quamvis plus minusve aestheticae(!) composita, nulla alia describenda est.

IV. Inclinatio ad SS.mum Nomen Iesu, in Praefatione Missae, ad Crucem facienda est, non vero versus Missale.

V. Si quae expensae redimendae sunt in traditione obiecti Indulgentiis ditati, oportet ut ante Indulgentiarum applicationem res componatur, ne Indulgentiae pereant. Non tamen est necessarium quod materialiter pretium sit traditum, sufficit enim quod pactio praecedat.

VI. Nullae preces statutae sunt in oratione, quae praescribitur ad mentem Summi Pontificis ad Indulgentias lucrandas; sunt qui sufficientem reputant recitationem unius *Pater, Ave* et *Gloria*, alii vero saltem quinque exigunt.

VII. Circa Indulgentias tertiorum Ordinum, nulla habetur communicatio, sed unusquisque fruitur propriis.

Nota pro R. Inquirente. Thesaurus authenticus Indulgentiarum habetur in libro, cui nomen *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le SS. Indulgenze*, qui apud omnes ecclesiasticos bibliopolas venalis prostat.

Pro Iameda in Belgio. — In parochia Malavia in Belgio, Ecclesiae Titularis recolitur Sancta Cornelia, die 31 martii, loci vero Patronus, S. Ulricus, die 1° aprilis. An recte resolvit parochus, festum Annuntiationis B. M. V. hoc anno transferendum esse sine feriatione non tantum post praedicta festa Titularis et Patroni, sed etiam post translatam Commemorationem Solemnem S. Ioseph, quippe quae primaria permanet et feria IV post Dom. in Albis tanquam in die propria recolatur?

Resp. Affirmative, quia, in casu, scilicet hoc anno, sedes propria Annuntiationis est dies 31 martii, sedes propria S. Ioseph est 2 aprilis; nunc vero Annuntiatio quae exulare debet a die 31 martii, sedem liberam quaerere debet, quae erit post 2 aprilis.

II. An feria quarta Cinerum, occurrente festo duplici S. Agathae, quemadmodum dicuntur preces feriales et suffragium, ita in Missa dicenda sit, necne, tertia oratio *A cunctis?*

Resp. Preces feriales ita propriae sunt feriae poenitentialis IV cinerum, ut nequeant dimitti; non ita procedit ratiocinium circa suffragium et tertiam orationem in Missa. Attamen, quia Rubrica de suffragio iam reformata est et non loquitur nisi de Dominica, ad effectum de quo agimus, videtur standum litterae, et non argumentationi, secundum quam, quod valet de Dominica item valet de feria, in casu.

Nota pro Coronis a S. Via Crucis:

Cum desit in authentico documento, quod prae oculis habuimus quando scripsimus (*Ephem. Liturg.* 1912, 619) de Coronis a S. Via Crucis, desit, inquimus, conditio de *manu teneudo* Crucifixo a PP. Ord. Min. benedicto, de ea siluimus; hic autem monemus RR. Lectores, ut velint hanc conditionem, de qua alia Documenta item authentica loquuntur, tamquam necessariam retinere.

Redactio.

Archaeologia Liturgica.

Archaeologica res.

(Continuatio, V. n. 6 anni elapsi, pagg. 682-689).

Indicium 15. — « Uni e praedictis baptisteriis conveniunt ac tribui possunt duo carmina sylloge Virdunensi relata, in quibus agitur de S. Petro cathedraque apostolica, sicut abunde demonstratum est, etc. ».

Carmina ista iam lectoribus humanissimis apprime nota sunt, ut clarior tamen argumentatio evadat, huc iterum sunt adducenda:

Sumite perpetuam sancto de gurgite vitam
Cursus hic est fidei mors ubi sola perit
Roborat hic animos divino fonte lavacrum
et dum membra madent mens solidatur aquis
Auxit apostolice geminatum sedis honorem
Christus et ad celos hinc dedit esse viam
Nam cui siderei commisit limina (lumina) regni
hic habet in terris altera regna poli.
Simacus hunc statuit sacri baptismatis usum
Sub quo quicquid erat incipit esse novum
Istic insontes celesti flumine lotas
Pastoris summi dextera signat oves
Huc undis generande veni quo sanctus ad unum
Christus ut capias te sua dona vocat
Tu cruce suscepta mundi vitare procellas
Disce magis monitus hac ratione loci.

Haec carmina tamquam baptisterio Priscillae coemeterii apposita habita sunt, uti fuse, in alio fasciculo harum Ephe-

meridum anni 1910 (mensis Augusti), explicavi, auctore Horatio Marucchi, qui in hac nova sua opinione exhibenda magistro suo clarissimo I. B. de Rossi contradixit. Putaverat enim De Rossi carmina illa pro Vaticano bapisterio fuisse composita; ac procul dubio veri haud videtur simile, ipsa *puteo-cisternae* coemeterii Priscillae aptata fuisse, propterea quod, quidquid egregius Marucchi de pulchritudine amplitudineque illius piscinae dicit, illam tamen valde angustam esse nemo negabit.

Sed in quadam sylloge epigraphica apud Cambridgensem bibliothecam, tribus abhinc annis, reperta, carmina illa dicuntur ad baptisterium ecclesiae S. Michaelis Archangeli fuisse affixa ac papae Symmacho tamquam auctori tribuuntur. Marucchi tunc demonstrare conatus est, carmina initio in coemeterio Priscillae fuisse, Symmachum autem ea pro baptisterio ecclesiae S. Michaelis, ab ipso quidem constructo aut restaurato, transcribi iussisse (N. Bull. di arch. crist. 1910, pp. 69-129). Verum enimvero tota eius demonstratio animo admirationem ingerere potius quam illi quidquam suadere dixerim, eamque statim impugnavi, in quo quidem comitem validissimum habui patrem Iosephum Bonavenia Universitatis Gregorianae professorem. Sic statim his in Ephemeridibus et alibi *(Rivista Storica di Pavia)* meam explicari sententiam, nempe carmina pro baptisterio basilicae S. Michaelis fuisse concinnata ac de hoc Archangelo intelligi deberi. Mea quidem prioris carminis interpretatio ista erat:

« Christus auxit duplicem honorem Sedis Apostolicae (alium ipsius Sedis Patronum eligens, Michaelem Archangelum), et hanc (insuper) dedit esse viam ad caelum (scilicet fecit ut novum institueretur baptisterium in hac S. Michaelis Archangeli ecclesia. Nam cui (Christus) commisit lumina regni syderei (id est, cui commisit principatum militiae caelestis ac paradisi) hic habet in terris altera regna poli, (seu hic etiam in terris atque hic in templo suo regnat) ».

Equidem hunc esse carmini sensum mihi fortiter persuasum est pluribusque aliis; egregius autem Ludovicus

Duchesne licet sensum antiquiorem esse retinendum putaverit, sententiam tamen Horatii Marucchi de loco primaevo ac de carminis transcriptione prorsus reiecit, eiusque proinde verba hanc circa rem praestat referre:

« (I) Dans son article déja cité du Nuovo Bullettino, M. Marucchi cherche à arranger les choses en affirmant que les inscriptions Sumite perpetuam et Istinc insontes se lisaient à la fois à S. Silvestre et à S. Michel, et que, dans cette dernière église seulement, la première était pourvue de la finale Symmachus, etc. Les deux receuils de Verdubn et de Cambridge nous donneraient ainsi des copies exécutées à des endroits différents. Mais il est infiniment peu probable que des inscriptions solennelles aient été reproduites d'une église de Rome à une autre, surtout à l'epoque où celles-ci remontent. Que, dans un cimetière, certaines formules passent d'une épitaphe a l'autre, cela ce conçoit. Que, dans la barbarie du IX[e] siecle, on ait copié, pour l'ambon d'une église secondaire l'inscription qui figurait sur celui de Saint Pierre, cela se comprend encore. Mais le cas est ici tout différent. Du reste, si l'on veut s'en tenir aux indications du ms. de Cambridge, ce n'est pas deux inscriptions, c'est quinze ou seize qui deuraient avoir été ainsi repetées en des églises differentes (*Bulletin d'Arch. et d'Hist.* 1910, p. 301-303) ».

E relato textu colligimus, egregio auctori minime novam Marucchi opinionem probasse, atque ad De Rossi revertisse sententiam, iuxta quam scilicet carmina nostra baptisterio Vaticano apposita fuissent. Conclusit insuper, coemeterium Ostrianum ac *Fontes beati Petri* esse situm inter coemeterium S. Agnetis ac basilicam S. Silvestri, non autem in coemeterio Priscillae esse quaerendum. En eius textus:

« Dans la *Passio Marcelli* il est dit que les saints Papias et Maurus furent enterrés *in Via Nomentana, ad Nynphas B. Petri, ubi baptizabat*. Dans les *Gesta Liberii,* apocryphe du commencement du VI siècle, on lit: « *Erat ibi non longe a Cymiterio Novellae Cimiterius Ostrianus, ubi Petrus apostolus*

baptizaverat » (*P. L.*, to. VIII, p. 1394). Sur une des fioles de Monza était collée l'étiquette « *Oleum de Sede, ubi prius sedit s. Petrus;* « enfin, la table des cimitières qui a trouvé place dans les *Mirabilia*, mentionne un cimitièr *Fontis S. Petri.* De ces deux derniers textes on peut conclure, comme du deuxième, que le Cimetière Ostrien était entre Ste-Agnès et St-Sylvestre, mais plus près de la Voie Nomentane que de la Voie Salaria, puisque, des quatre textes allégués, le seul qui mentionne une voie mentionne la Nomentane. Des fouilles exécutées au fond du Cimetière de Priscille ont amené la découverte d'une eau courant et d'un bassin, mais rien jusqu'ici n'a permis d'identifier avec sureté soit le Cimetière Ostrien. Qu'il y ait eu de ce côté un souvenir plus ou moins légendaire de l'apôtre Pierre, c'est ce qui résulte des textes ci-dessus reproduits. Mais il est clair que ce souvenir n'a été consacré, ni par la liturgie ni par des monuments matériels. L'Eglise officielle semble s'en être désintéressée. Le *Liber Pontificalis* n'en fait jamais mention, ni, ce qui est plus concluant encore, les *Itinéraires* aux lieux saints de Rome, compilés au VII siècle » (*Bulletin d'Arch. et d'Hist.*, 1910, p. 292).

Igitur non *Index oleorum* qui oleum de sede S. Petri nominat ante Iordanorum coemeterium (quod quidem prius quam coemeterium Priscillae occurrit); non Sylloge Virdunensis, quae duo carmina supra relata refert, opinionem Marucchi roborant. Nec dicat egregius auctor praefatam Syllogen ordine topographico esse redactam, nam, ut aiebat De Rossi: « in Virdunensi codice excepta vel fragmenta ex amplioris libri superstitibus chartis, iisque *solutis* et *perturbatis* videntur servata (*Inscrip. Christ.* V. II, p. 133 n. 3) »; ac si ordinem huius Syllogis ad viam Salariam quod spectat volumus examinare, illum revera perturbatum inveniemus. Sic inscriptio pueri cuiusdam martyris nomine Mauri, in Sylloge Virdunensi legebatur *in introitu basilicae (S. Felicitatis?)* una cum epitaphiis filiorum S. Felicitatis, aut saltem videtur hoc ordine lectum esse, quia statim, nulla interiecta

distinctione vel indicatione loci Mauri inscriptio illis epitaphiis subiungitur hoc modo:

Isti versiculi sunt scripti in introitu ecclesiae (S. Felicitatis)
(sequitur inscriptio)

Item epitaphium filiorum eius (scil. S. Felicitatis)
id. ut supra

Item epitaphium...
id.

Epitaphium sancti Mauri Martyris
id.

In Itinerario Malmesburiensi S. Maurus nominatur quasi in coemeterio Iordanorum esset reconditus:

« Deinde basilica S. Felicitatis ubi requiescit illa et Silanus filius eius et non longe Bonifatius martyr. Ibidem *in altera ecclesia* sunt Crisantus et Daria, et Saturninus, et *Maurus,* et Iason et mater eorum Hilaria et alii innumerabiles. Et in altera basilica, S. Alexander, Vitalis... etc... Deinde basilica S. Silvestri... etc. ».

Itinerarium Salisburgense s. Maurum non commemorat.

In Libro *de locis sanctorum martyrum,* S. Maurus in coemeterio Priscillae collocatur.

Patet igitur, in Sylloge Virdunensi epitaphium S. Mauri suo loco non esse, sed subiungi inscriptionibus filiorum S. Felicitatis, sicut carmina supra descripta inscriptionibus basilicae S. Silvestri subiunguntur: ergo ordo Syllogis perturbatus est relate ad viam Salariam.

Indicium 17. — In hoc consistit, quod coemeterium Priscillae proximum erat coemeterio Novellae, immo *quam maxime proximum,* ut ait auctor *(vicinissimo);* et quia Liberius in eius *Gestis* non dicitur alio ivisse ut baptizaret, baptizavit autem ubi Petrus baptizaverat; hinc Marucchi concludit: magis prope Salariam viam quam prope Nomentanam Ostrianum coemeterium situm fuisse. Deinde auctor ait: « Cum autem supra vidissemus, coemeterium Novellae non se extendisse inter viam Salariam et viam Nomentanam,

sicut De Rossi putaverat, sed in sinistro latere iacuisse viae Salariae ab Urbe exeuntis; cumque ipsum coemeterium contiguum coemeterio Priscillae et cum ipso unitum esset, tamquam unum idemque coemeterium constituissent: en alia magni momenti ratio cur coemeterium Ostrianum potius in via Salaria ac iuxta coemeterium Priscillae verisimilius situm dicimus ».

Verba Gestorum Liberii quae nostram respiciunt quaestionem haec sunt: « *Erat enim ibi, non longe a coemeterio Novellae, coemeterium Ostrianum, ubi Petrus Apostolus baptizaverat* ». Porro, verba ista non dicunt, Liberium alio ivisse ut baptismum ministraret, sed tamen id non excludunt. Ceterum, ubinam revera auctor demonstravit, coemeterium Novellae esse in coemeterio Priscillae? Hoc est probandum, non solummodo affirmandum. In latere dextro viae Salariae coemeterium extat totum ad saeculum quartum pertinens, sed nondum totaliter exploratum. Hoc I. B. De Rossi coemeterium Novellae esse putavit, cur hodie ne nominatur quidem quasi non existeret? Nonne hoc vel aliud in eodem latere, nam non omnia coemeteria illic inventa sunt, coemeterium Novellae esse potest, cui aetas prorsus convenit?

Equidem puto hunc modum incompletum vulgo quaestiones exhibendi non esse laudabilem. Si extat hoc coemeterium, et quidem ad tertium milliarium ac in latere dextro viae Salariae, cur in controversia de eo mentio nulla fit quasi non existeret?

Marucchi maximi facit particulam IBI atque in nota quadam ait: « Si percorrano tutti gli Itinerari dei pellegrini, e si vedrà che quando si trova l'espressione *ibi* si tratta sempre di un luogo vicinissimo a quello nominato immediatamente prima ». Sed ita omnino esse non videtur res. Ut exemplum afferam, in libro *de locis sanctorum martyrum*, Haec leguntur circa martyrum sepulcra viae Nomentanae:

« Iuxta viam Nomentanam est S. Nicomedes, et iuxta eamdem viam basilica S. Agnes mirae pulchritudinis ubi ipsa corpore iacet, propeque ibi soror eius Emerentiana, in

alia tamen basilica dormit. Ibi quoque in singulari ecclesia Constantia Constantini filia requiescit, sanctusque Alexander, s. Felicis, s. Tapia, s. Victor et alii ibi dormiunt ».

Iam vero, omnes, qui nominantur in hoc textu, *ibi* dicuntur sepulti, in eodem loco ubi iacet basilica S. Agnetis; et tamen crypta S. Emerentianae a Constantiae Mausoleo, quod statim post illam cum adverbio IBI nominatur, trecentos circiter passus ab illa distat.

Cum vero coemeterium Ostrianum in *Gestis Liberii* memoratur, dicitur quidem ibi esse, sed etiam *non longe*. Itaque Ostrianum coemeterium a coemeterio Novellae potuit plura passum centena distare in dextero viae Salariae latere, ac proinde multo magis a coemeterio Priscillae in sinistro eiusdem viae latere iacente.

Indicium 18. — « Coemeterium Novellae fundatum est a papa Marcello, et ista plane notabilis est res. Fundatio enim coemeterii papalis illo in loco ac tempore persecutionum cogitationem suggerit quod ibi specialis ratio huiusmodi fundationis fuerit, eaque localis magni momenti memoria probabiliter extiterit aliqua. Neque est praetereunda quaedam phrasis in tardiori tamen *Passionis S. Marcelli* redactione apparens, quae dicit: *Marcellus sedem suam et ipsum caput mundi, Romam scilicet, nobilitavit quantum permisit rabies temporum. Fecit denique coemeterium via Salaria et propter baptismum et poenitentiam multorum et sepulcra martyrum constituit titulos XXV in urbe Roma.* Recentior scilicet auctor putavit Marcellum fundatione coemeterii viae Salariae sedem suam nobilitasse; idque ostendit quam magni coemeterium illud habitum est, cuius rei optima esset ratio si admittatur illic coemeterium stabilitum fuisse, ubi insignis apostolica aliqua memoria extitisset (MARUCCHI, *N. Bull. di Arch. crist.* 1903, p. 228) ».

Valor huius indicii nullus esse potest, quia hypotesibus constat, ut probe lector humanissimus videt. At neque quod ibi e verbis Passionis Marcelli deducitur, illud rite deducitur. Marcellus nempe iam nobilitaverat sedem suam quando

denique fecit coemeterium viae Salariae, non autem sedem nobilitavit illud construendo coemeterium.

Putat insuper egregius Marucchi, coemeterium *Novellae* ideo sic vocatum, quia ibi multi baptizati erant, neophyti vero *novelli* vel *novicii* vocabantur. Atqui in coemeterio Priscillae multa sunt baptismi administrationis indicia ita ut dici possit « il *cimitero classico* del battesimo primitivo (l. c. p. 230) » qui quidem titulus convenit coemeterio Ostriano ubi Petrus baptizaverat. Indicia vero administrationi baptismi sunt supradictae piscinae et baptisteria, aliquae inscriptiones quae ad hoc sacramentum alludunt, et, in quadam regione secundi plani, plurima infantium sepulcra; infantes denique baptismum sine dubio receperunt ante mortem ac sunt revera *novelli* seu *novicii*. Hactenus in epitomen redacta opinio Marucchi (*N. Bull.*, pp. 229-231).

At, etiamsi datam velimus admittere interpretationem nominis *Novellae*, observandum tamen est, indicia quae afferuntur ubique existere catacumbarum in regionibus praesertim saeculi quarti. Ut lector humanissimus videt, totum in coemeterio Priscillae debet S. Petrum ac baptismum respicere, quod tamen alibi eumdem respectum habere nequit.

(*Continuabitur*).

P. SYXTUS, O. Cist. R.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

I. Aliquantisper mutata fuit inscriptio officiorum in his tribus novis tabellis, non tantum servato ordine praecedentiae et nobilitatis cuiusvis officii, sed etiam, quia ex divisione necessaria duarum tabellarum occurrentiae, in prima inscribi debuerunt festa fixa ex. gr. Vigilia Nativitatis, Circumcisio, Dies octavus Epiphaniae etc. E contra in secunda tabella occurrentiae accidentalis, inscripta rite fuere officia mobilia, nempe dies octavus Corporis Christi, dies infra Octavam Paschatis et Pentecostes, etc. Ex usu autem practico trium tabellarum apparebit ratio variationum, quae inductae fuerunt.

Pro occurrentia perpetua Duplicis j et ij classis, cum dominica maiori, positum est signum 5 in tabella occurrentiae perpetuae, nam impossibile est quod aliquod festum duplex j vel ij classis, perpetuo admittatur in dominicis maioribus.

Quod duplex j classis aliquo anno in dominica ij ordinis occurrat et in ea celebretur, ut ex. gr. Immaculata Conceptio b. Mariae Virginis, quando per accidens incidit in dominicam II Adventus, transeat; sed si perpetuo id accideret, detrimentum non parvum haberent dominicae, quae ob earum celebritatem *maiores* dicuntur. Cf. not. 48 nostri Comm. in constit. *Divino afflatu*. (Ephem. Lit. 1912 p. 77).

II. In reformatione rubricarum sub Leone xiij peracta, quando abrogata fuit translatio accidentalis duplicium minorum et semiduplicium, negata fuit commemoratio duplicis

simplificati in festis ritus duplicis primae classis; attamen, in iisdem festis permissa erat commemoratio cuiuscumque diei octavae. De huiusmodi non parva incongruentia, vide quae disseruimus in nostra Expositione Rubricarum breviarii romani (Vol. I p. 273-275, et Vol. II p. xij-xiij). In hoc ultimo citato loco ita conclusimus: « Ob has ergo rationes nobis videtur, quod commissio specialis, a S. R. C. constituta, ut videat et examinet decreta et leges rituales, super hoc inconveniens, quod invenitur in reformatis rubricis, animum et studium intendere debebit. Vel enim in duplicibus j classis non est admittenda commemoratio diei octavae, vel si haec retineatur, admittenda quoque videtur, et multo magis, commemoratio duplicis et semiduplicis simplificati ». Quod ergo usque ab anno 1889 optavimus, nunc factum videmus, nam commissio pontificia, disposuit ut in duplicibus j classis, non amplius admittatur commemoratio diei octavi cuiuscumque, nisi agatur de octava privilegiata.

III. Cum ex rubricis, antiquis et novis, impossibilis sit occurrentia Vigiliae Nativitatis, et Circumcisionis, cum aliqua die octava, vel infra octavam, aut cum aliqua alia vigilia, ut patet, positum fuit in tabella signum 0. E contra, cum die 24 decembris, vel 1 ianuarii, in martyrologiis multa inscribantur natalitia Sanctorum, si alicuius ex ipsis, novum festum alicubi institueretur, ex hac tabella probe noscitur quid sit agendum; positus enim est numerus 1, pro occurrentia duplicis cuiuslibet, et semiduplicis, et numerus 4, pro occurrentia simplicis.

IV. Leges occurrentiae perpetuae diei octavi, cum festo duplici maiori vel minori, et semiduplici, non sunt mutatae, ideoque positus fuit numerus 6; fit enim in casu de die octavo, et festum perpetuo in aliam diem reponitur.

Nova tamen regula habetur in occurrentia festi duplicis maioris, cum die octavo ritus duplicis minoris; antiquitus enim duplex ij classis tantum, praeferentia gaudebat super diem octavum non privilegiatum. Placentini ergo, qui a saeculis, die 17 augusti celebrant translationem s. Iustinae Pa-

tronae, cum commemoratione diei octavae s. Laurentii, hoc idem facere poterunt hodie, licet a S. R. C. obtinuerint, ut eadem translatio ritu duplici maiori deinceps celebretur.

V. Officium vigiliae Epiphaniae verum officium dominicae, vel ad instar dominicae, est, prouti et rubricae et auctores docent (Gavantus VI, vij, 4).

Ac revera, sicuti dominica hucusque praeferentiam habuit super semiduplici occurrente, ita vigilia; et sicuti dominica suam commemorationem asservabat etiam in duplici primae classis, sic et vigilia ista. In rubricis enim generalibus (tit. VI, num. 2) dicitur: « *Si... in vigilia occurrat festum solemne alicuius loci, vel ex solemnioribus infra annum, quae inferius in rubrica de commemorationibus numerantur* (veluti *si in vigilia S. Ioannis Bapt. venerit festum Corporis Christi*), *nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de vigilia, excepta vigilia Epiphaniae* ». Atque (tit. IX, n. 2) dicitur: « *in primis vesperis et laudibus huiusmodi festi* (duplicis primae classis) *nulla fit commemoratio festi simplicis occurrentis, nec alicuius vigiliae* (*excepta vigilia Epiphaniae*) ».

Et merito sane, quia officium vigiliae huius, nihil aliud revera est, quam officium dominicae, quae a die 1 usque ad diem 6 ianuarii occurrit. Sicuti enim dominica, quae in Nativitatis, s. Stephani, s. Ioannis, et Ss. Innocentium festo occurrit, reponitur in die minus nobili, nempe 30 decembris, ita dominica, quae in die octava recurrit, reponitur in die minus nobili, nempe die 5 ianuarii. Si vero dominica die 31 occurrat, licet dies 5 ianuarii non repraesentet officium dominicae repositae, vel anticipatae, attamen iura officii dominicalis servat.

Audiatur Guyetus (*Heort.* IV, 5, q. 5): « Imo si vera dominica est vigilia Epiphaniae, ut infra esse probabitur... cum vigiliam hanc dominicae rationem habere sim dicturus postmodum, consequens est, ut in ea non possit fieri officium de occurrente festo semiduplici, quod et asserit Gavantus ». Ac deinde (ibid. 12, q. 8): « Quod autem praedicta vigilia,

aut dominica sit, aut instar dominicae, constat vel ex hoc uno, quod de ea fiat commemoratio pridie in vesperis, contra rationem vigiliae, cuius officium nonnisi a matutino incipit. Item ex Evangelio reversionis pueri Iesu de Aegypto, quod, utpoté mysterio adorationis Magorum posterius, haud apte satis huic vlgiliae quadrat; nisi dixeris eam nomine tenus esse vigiliam, re autem vera dominicam, seu poni in ipsa Evangelium dominicae, quae occurrere potest, et de facto plerumque occurrit inter Circumcisionem et Epiphaniam, quaeque vacans in triduo praecedenti, hac die, quae libera est ab omni festo, commode resumitur, sicut resumitur die 29 (lege 30) decembris; quae vacans fuit post Nativitatem Domini, in festis s. Stephani, s, Ioannis et Ss. Innocentium ». Ita alii omnes, ut Cavalerius, Grancolas, locuti esse sciuntur.

Itaque vigilia Epiphaniae semper fuit et habita est ut dominica anticipata, vel occurrens, vel reposita; ita etiam in posterum computanda erit, et ideo duplici maiori et minori erit praeferenda, iuxta novas rubricas, sicuti, iuxta veteres rubricas, praelata fuit semiduplici occurrenti, non vero duplici. Hac de causa, paucis ab hinc annis, in calendario Cleri romani repositum est festum s. Telesphori in hac vigilia, eo quod ritu duplici celebratur: et sicut, occurrente festo duplici in dominica, agebatur de festo cum commemoratione dominicae, ita et in casu occurrentiae illius sancti Pontificis cum vigilia Epiphaniae.

Cum autem hodie per novas rubricas, debitus honor diebus dominicis restitutus fuerit, ita ut praeferanrur duplicibus minoribus et maioribus; et cum statutum sit, quod officium dominicae, etiam translatae, vel anticipatae, hoc eodem iare praelationis gaudeat, necessarium erat corollarium, quod et vigilia Epiphaniae praeferri deberet duplici minori vel maiori. Itaque in calendario cleri romani, denuo officium s. Telesphori reponendum erit in alia die libera, nempe die 27 februarii, cum dies 12, antea ipsi assignata, nunc occupata sit a festo Ss. septem Fundatorum.

(continuabitur)

Bibliografia.

D. Robert Trilhe Ord. Cisterc. « La Constitution Divino afflatu et les nouvelles rubriques du Bréviarie romain ». Tournai Casterman, 1912, in-16° pagg. 298-LXXXIV.

Inter nostri aevi praestantiores Rubricistas procul dubio emicat cl. dom Trilhe, qui multis ab hinc annis in Ephemeridibus Tornacensibus (Nouvelle Revue Théologique) tum rubricas Breviarii et Missalis Romani, tum S. R. C. Decreta doctis expositionibus illustrat, Commentarium hoc in Constitutionem « Divino afflatu » conscripsit, in eiusque novas rubricas. Ut ipse notat in conclusione huius operis sui, consulto omisit notitias theoricas et historicas illustrationes, quas aliis commentatoribus reliquit, mens autem sua fuit, ut clerici ad Officium divinum recitandum iuxta ritum stricte romanum, et Calendariorum maxime redactores facile novas rubricas in praxi deducere possent. In decem et octo capitula dividit opus suum ; in I agit de fine et obligatione novae Constitutionis; in II de praescriptionibus temporaneis, quae novas rubricas sequuntur; in III de novis ipsis rubricis, de mente legislatoris in eis edendis; ac de earum divisione. In sequentibus capitulis, explicat per ordinem rubricas ipsas; denique, in appendice, ponit decreta S. R. C. quibus nonnulla circa novas rubricas declarata fuerunt a die 17 nov. 1911 usque ad 25 oct. 1912.

Insignis rubricista perlucide rubricas explicat, quaestiones ac dubia scite resolvit, ita ut quaequae aliquis circa modum recitandi officium iuxta novum psalterium et circa leges occurrentiae ac concurrentiae etc. exquirat, in hoc volumine invenire poterit.

Quod autem attinet opportunitatem novae huius reformationis psalterii, aperte declarat quod antiquae rubricae illusoriam eam reddisent nisi novae rubricae redigerentur, quae definitivae esse nequeunt, nisi quando antiquae ac novae in unum corpus compositae fuerint. Licet autem aliquid inveniat in novi psalterii distributione quod parum placeat, uti ex. gr. duplex schema Laudum quibusdam in Dominicis ac Feriis, nihilominus concludit quod reformatio ipsa finem suum perbelle attingit, scilicet ut in pristinum honorem rediret recitatio totius psalterii in hebdomada, sine gravamine quotidiani oneris clericorum, atque Proprium de Tempore praeponderantiam acquireret, uti omnes scriptore liturgici exoptabant, sine aliqua cul-

tus sanctorum diminutione. Nunnulla imo proponit quae futuris correctoribus Breviarii utilia erunt, praesertim quod attinet ad interpunctionem in libris liturgicis corrigendam.

Valde ergo gratulamur cum clarissimo d. Trilhe, qui per opusculum hoc suum, et de nova Psalterii eiusque rubricarum reformatione et de sodalibus clericis optime meritus est.

Dr. P. P.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygrafica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM SEU DECLARATIO

circa novas Rubricas tit. X, num. 2 et 5 de Missis votivis et « de Requie ».

In nova Rubrica Constitutioni Pianae *Divino afflatu* adiecta, Tit. X, num. 2 et 5, « prohibentur Missae votivae privatae seu lectae et privatae pro defunctis, in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II. Rogationum, in Vigiliis, et in feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae; in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario ecclesiae in qua Sacrum celebratur ».

Nunc vero, ad dirimendas quaestiones nonnullas huic S. Congregationi propositas (1) circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis, tum in Ecclesia universali, tum certis in locis (2) per Indultum apostolicae Sedis concessis, firmis manentibus legibus et privilegiis Missas solemnes, seu in cantu respicientibus (3), quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur:

I. Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari

possit in duplicibus I. et II. classis, seu etiam II. classis tantum; et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam Rubricam exclusis (4).

II. Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis, aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum (5), ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictae Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata Rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes (6). Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit, quoties Missa in cantu commode haberi nequeat (7).

III. Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis (8).

IV. Privilegium Missae pro defunctis lectae, aliquibus locis vel Ordinibus concessum, ita ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit, etiamsi occurrat aliquod Duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus, in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra (9). Quapropter in huiusmodi feriis vel vi-

giliis Missae lectae pro defunctis semper prohibitae sunt, exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus, in ecclesiis ubi celebratur funus alicuius defuncti cum Missa in cantu (10); item excepta unica Missa quae pro defuncto paupere celebrari potest iuxta decretum 9 maii 1899, n. 4024; item exceptis Missis quae in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti 19 maii 1896, n. 3903 (11); item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscuiusque hebdomadae in Quadragesima iuxta novas Rubricas. Ex indulgentia vero Sanctae Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus dioecesibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario (12).

Contrariis non obstantibus quibuscumque, die 8 februarii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius.*

Commentarium.

(1) Nova Rubrica (Tit. X, nn. 2 et 5) in feriis missam propriam habentibus et in vigiliis, prohibet quominus missae votivae privatae, et privatae defunctorum, celebrari possint; cum autem nonnulla privilegia concesserit Apostolica Sedes quibusdam Sanctuariis, vel Ecclesiis, vel Communitatibus religiosis, celebrandi missas vel votivas, vel pro defunctis, in festis duplicibus minoribus et maioribus, et aliquando etiam secundae, imo et primae classis, plurima dubia exorta sunt, an praedicta privilegia adhuc perdurent, non obstantibus no-

vae rubricae dispositionibus praedictis. En ratio praecipua huiusce Decreti.

Ante omnia animadvertendum est, quod privilegii natura ea est, ut cessare non debeat, ratione alicuius novae legis in contrarium, nisi legislator aperte declaret voluisse privilegium per novam legem auferre.

Huiusmodi sententia pacifica est apud omnes iurisperitos, qui docent unanimiter: quod « per legem generalem subsequentem.... non revocantur privilegia specialia et in iure communi non inserta; etenim Romanus Pontifex, cum ista privilegia ignorare praesumatur, ab abrogandi voluntate censetur esse alienus ». Cf. Wernz I, 162 IV, et Ferraris voc. *Privilegium,* art. III, nn. 39 et seq.

Cum autem novae rubricae nil petitus dicant de specialibus privilegiis, circa quasdam missas lectas, sive votivas, sive pro defunctis, summo iure et stricte loquendo, dicendum est, quod revera revocata non fuerint (Cf. *Ephemer. Liturg.* 1912, p. 387). Re sane vera, alibi, in novis rubricis (Tit. VIII, n. 1) ubi officia votiva per decretum generale anni 1883 concessa abrogantur, quia legislator voluit et alia votiva officia, *ex specialibus indultis concessa,* haec ipsa expresse sublata esse declarantur.

Hoc tamen non obstante, si consideretur mens ipsius legislatoris in casu, dicendum est eam fuisse mentem eius et esse, ut quoad fieri potest missa de feria celebretur; in hunc enim finem et conceditur sacerdotibus ut celebrare possint, etiam in festis duplicibus, vel missam de die, vel de feria. Item, ut augeatur numerus feriarum, non tantum suppressit omnia officia votiva, sed et libentissime concedit ut expungantur e calendario festa dominicis et feriis affixa, et etiam officia, quae revera propria non sint; ergo apparet desiderium esse legislatoris, ut omnino missae votivae vel pro defunctis, in quorum suffragium potius conceditur ut addi possit oratio in missa feriali, dici nequeant dictis feriis et vigiliis.

Distinguendum porro est inter privilegium concedens missas votivas lectas in duplicibus II, et aliquando etiam

I classis, et privilegium permittens easdem missas tantummodo iuxta modum ut infra dicetur.

(2) ... *Quibusdam missis votivis privilegiatis, tum in ecclesia universali, tum certis in locis.* In ecclesia universali missae votivae lectae privilegiatae sunt ex. gr. missa votiva s. Cordis Iesu, in prima feria vi cuiusque mensis, nec non missa votiva pro sponsis; aliae vero missae votivae lectae privilegiatae tantummodo sunt concessae pro aliquibus ecclesiis vel locis.

(3) *Firmis manentibus legibus et privilegiis missas solemnes seu in cantu respicentibus.* Missae ergo votivae in cantu, sicut et missae decantatae pro defunctis, iisdem iuribus et privilegiis gaudent, prout ante publicationem novarum rubricarum fruebantur; sicuti alioquin declarat ipsa nova rubrica (Tit. X, n. 5).

(4) *Privilegium missae votivae nonnullis Sanctuariis concessum...* Hic loquitur decretum de maioribus Sanctuariis, in quibus privilegium concessum permittit, ut celebrari possint missae votivae lectae, etiam in duplicibus secundae, et aliquando etiam in aliquibus primae classis; ut ex. gr. Hierosolymis in illis magnis Sanctuariis; Romae in altari super sepulchrum s. Petri in Vaticano; Laureti in alma domo b. Mariae Virginis, et alibi. Certo certius, ut explicite hic tradit Decretum, huiusmodi privilegium in suo robore permanet omnino, non tantum ex dictis in nota 1, sed et etiam propter sequentem rationem.

Animadvertendum est enim quod novae Rubricae prohibent quidem missas votivas lectas, et lectas pro defunctis, in omnibus feriis missam propriam habentibus et in vigiliis, sed permittunt in festis IX lectionum, ut ad libitum sacerdotis celebrari queat vel missa de festo, vel missa de feria aut vigilia. Attamen, diebus, in quibus occurrit duplex I vel II classis, hanc facultatem non concedunt, sed Rubricae antiquae manent in hac re intactae; ergo in duplicibus I et II classis, vi antiquarum rubricarum, tu debes omnino missam de festo celebrare. Cum au-

tem per privilegium concessum aliquibus maioribus Sanctuariis, missa votiva licita erat in duplicibus II classis, clare patet, quod in casu missa haec votiva, praeferebatur missae duplicis II classis; ergo, et missae feriali, ob notum principium: *Ego vinco vincentem te, ergo vinco te.* Scilicet, missa votiva, ratione *privilegii*, praeferri potest duplicibus II classis, et missa huiusmodi duplicis praefertur missae feriali; ergo missa votiva privilegiata praefertur eidem missae feriali.

Quod si in rescripto, quo conceditur privilegium missae votivae, permittuntur omnes missae in die, non vero una tantum, etiam hodie huiusmodi concessio permanet in suo robore, non enim praesens decretum aliquid dicit in contrarium.

(5) *Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel Communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum.* Per haec verba decretum comprehendere voluit quascumque missas votivas lectas concessas in duplicibus minoribus et maioribus, sive ratione peregrinantium ad aliquod Sanctuarium minus, sive ratione devotionis specialis alicuius religiosae familiae quibusdam diebus erga B. V. Mariam aut aliquem sanctum; ex. gr. missa votiva de Immaculata Conceptione in quolibet sabbato celebranda a fratribus s. Francisci, et missa votiva in tredecim feriis VI ante festum s. Francisci a Paula, Ordini Minimorum concessa etc.

De hoc autem privilegio, licet rigorose loquendo, uti innuimus, dicendum sit non esse abrogatum, nihilominus, quia in novis rubricis feriae missam propriam habentes, et vigiliae, aliquomodo aequiparantur Octavis privilegiatis, in quibus missae ipsae votivae sunt prohibitae, valde opportune S. R. C. per hoc suum decretum declarat, missas huiusmodi votivas nunc prohibitas quoque esse in feriis praedictis. Et sane, si rigorose loquendum sit, clare patet, quod novae Rubricae prohibent missas votivas diebus semiduplicibus et simplicibus, in dictis feriis et vigiliis occurren-

tibus, etsi in antiquis rubricis licitae essent; ergo, *ratione novae rubricae*, missae ipsae votivae nunc prohibentur in diebus semiduplicibus et simplicibus, ac proinde res esset abnormis, si, *ratione privilegii*, licitae essent in diebus duplicibus minoribus et maioribus. Quae hic diximus de missis votivis lectis, profecto dicendum quoque venit iisdem ex rationibus, de missis pro defunctis, quae ex privilegio, aliquibus locis concesso, semel, vel bis aut etiam ter in hebdomada celebrari poterant etiam in duplicibus minoribus et maioribus imo eo vel magis, quia novae rubricae iam sufficienter provident pro suffragio defunctorum, permittendo orationem adiiciendam pro ipsis, in missa feriali.

(6) *Loco tamen huiusmodi missae votivae extra feriam IV Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes, adiungi poterit oratio ipsius missae votivae.* Huiusmodi concessio nova non est omnino, nam S. R. C. ultimis hisce temporibus, potius quam concedere ex novo missas votivas, permittebat ut in missa de die adiungi posset oratio de Sancto, in cuius honorem quaerebatur ipsa missa votiva. Cum autem privilegium, de quo hic loquitur decretum, permittens missas votivas in festis duplicibus minoribus et maioribus adhuc per se, uti diximus, valeret, ideoque, ne omnino deleatur concessio aliquibus Sanctuariis minoribus, aut ecclesiis vel communitatibus, a benignitate Apostolicae Sedis factae, S. R. C. annuente Summo Pontifice, opportunissime concessit, ut saltem iis diebus, in missa feriali addi posset oratio respondens missae votivae, quae hodie illis in feriis et vigiliis dici amplius nequit.

(7) *Quod si adsit specialis concursus populi, unica missa lecta ex praedictis missis votivis celebrari poterit, quoties missa in cantu commode haberi nequeat.* Huiusmodi concessio pariter cohaeret cum aliis indultis iam factis, ac etiam aliquomodo cum Rubrica Missalis VI. Concursus enim populi ad celebrandum aliquem Sanctum, aut Mysterium, semper ab Ecclesia habitus est tamquam bona causa, ut relicta missa de die, alia missa in cantu celebrari posset. Ex. gr. in festo s. Marci,

ubi habetur una tantum missa, et fiat processio, missa esse debet de Rogationibus, non vero de s. Marco, uti pluries S. R. C. declaravit (Cf. decr. 2319, 2682, 2740, 3069 et 3189). Siquidem populus ea die accedit ad templum, non proprie pro colendo sancto Evangelista, bene quidem ad petendam abundantiam frugum intervenit processioni; itaque ratione huiusmodi concursus et intentionis populi, decet omnino ut functio litaniarum compleatur cum sua missa propria, nempe de Rogationibus, relicta missa de sancto. Igitur eadem ex causa, per hoc decretum conceditur, ut missa votiva lecta celebrari possit, loco missae in cantu, quandocumque habeatur concursus populi ad audiendam eamdem missam votivam. Haec tamen concessio, uti patet, fit tantummodo in feriis propriam missam habentibus et in vigiliis, de quibus loquitur nova Rubrica, scilicet in feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, et secunda Rogationum, ac in Vigiliis, non vero in privilegiatissimis Feriis, IV Cinerum, et maioris hebdomadae, nec in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes.

(8) Missa pro Sponsis ex speciali Rubrica Missalis, permittitur omnibus diebus non festivis, licet occurrat aliquod festum duplex minus vel maius; huiusmodi enim missa habetur tamquam praecipuum complementum benedictionis nuptialis; ad hoc enim Ecclesia officium huiusce missae admittit in Missali, ut celebretur, nisi occurrat aliqua solemnitas magna, vel dies dominica. Igitur opportune permittit decretum, ut dictis feriis et vigiliis, dici possit missa votiva lecta pro sponsis, quae permissio non est nisi applicatio legis antiquae, in citata Missalis rubrica, quae proinde, stricto iure, non est privilegium, sed vera lex generalis. Iure meritoque excluduntur feriae Quadragesimae et Adventus, in quibus missa pro sponsis interdicta est, ratione temporis clausi, ut patet.

(9) *Privilegium missae pro defunctis lectae, aliquibus locis vel Ordinibus concessum.* Multis in dioecesibus, in quibus mos est colligendi eleemosynas pro animabus in purgatorio detentis, concessit Apostolica Sedes, ut celebrari posset missa

in cantu, etiamsi occurreret festum duplex maius vel minus, bis vel aliquando etiam ter in hebdomada. Hoc indultum praecipue donabatur pro ecclesiis parochialibus per agros dispersis, ut parochi viciniores simul convenientes et sibi invicem adiuvantes, facilius possent oneri satisfacere per dictas eleemosynas assumpto, quod fieri nequibat, si officia et missae pro defunctis, decantari debuissent tantummodo diebus ritus semiduplicis.

Per dictam porro concessionem, una tantum missa, et quidem in cantu, permissa erat in ecclesia ubi conveniebant parochi ut supra; postea vero, diminuto clero, atque aucto numero dierum ritus duplicis, Episcopi quaesierunt, et S. R. C. concessit ut etiam missae lectae celebrari possent in festis duplicibus minoribus et maioribus. Hoc autem decreto declaratur quod huiusmodi indultum ita erit intelligendum et applicandum, tantummodo diebus in quibus non occurrat aliqua feria propriam missam habens, vel aliqua vigilia. Et optime quidem, nam Summus Pontifex, quem Deus benigne sospitet, per S. R. C. decretum d. d. 12 iunii 1912 concessit, ut oratio pro defunctis, pro quibus applicatur Sacrificium, addi posset in missa feriali, etiamsi occurrat commemoratio facienda de aliquo duplici minore vel maiore, ideoque satis provisum est pro suffragio defunctorum.

(10) .... *Exceptis missis in die Obitus vel pro die Obitus....* Etenim missae istae, licet sint lectae, et votivis privatis aequiparentur, nihilominus, pro ipsis valet quodammodo ratio concursus populi. Reapse in ecclesia, ubi celebratur funus cum missa solemni in cantu, habetur concursus fidelium, ad suffragandam animam defuncti; igitur, sicuti concursus ad honorandum aliquem Sanctum, sufficit ut missa votiva lecta celebretur in feriis et vigiliis, de quibus est sermo in hoc decreto, sufficit etiam quando concurrit ad exorandum Dominum, pro sublevatione animae alicuius nuper defuncti. Recte igitur pro die obitus manet lex in nova rubrica contenta (Tit. X, n. 5), ut scilicet celebrari possit in dictis feriis et vigiliis, exceptis excipiendis, nempe feriis IV Cine-

rum, et maiori hebdomada, ac Vigilia Nativitatis et Pentecostes.

(11) *Item excepta missa lecta pro defuncto paupere, et missis quae in sepulcretis celebrantur.* Iuxta decretum n. 4024 hic citatum, nolens sancta mater Ecclesia, ut nemo ex suis fidelibus sepulturae tradatur, quin una saltem missa pro eo celebretur, si familia defuncti, vel inopia non valeat, vel ex avaritia aut impietate non velit, celebrare funus cum missa in cantu, libenter permittit ut missa lecta pro ipso in die obitus, vel pro die obitus, celebrari queat, *iisdem clausulis et conditionibus quibus missa cum cantu conceditur;* nempe, licet occurrat duplex etiam II classis, aut dominica, dummodo non omittatur missa officio diei currentis respondens. Ergo multo magis in feriis (exceptis excipiendis) missam propriam habentibus et vigiliis.

Quod autem attinet missas celebrandas in sepulcretis, licet aliquibus visum esset, ut in feriis huiusmodi celebrari non possent, nihilominus S. R. C. disposuit ut in suo robore maneret privilegium alias concessum, salvis limitationibus in ipso privilegio determinatis.

(12) *Rescripta, donec expirent, perdurant pro diebus quibus dantur.* Quoniam S. R. C. nuper, uti assolet, concesserit aliquibus dioecesibus, aut provinciis religiosis, praesertim extra Italiam, indultum celebrandi missam lectam pro defunctis diebus obitus, III, VII, XXX et Anniversaria, licet occurrat aliquod duplex maius vel minus, et cum huiusmodi indulta ad quinquennium sint concessa, Apostolica Sedes benigne permittit, quod ipsa indulta perdurent ac valida existant, donec expirant, etiamsi occurrant feriae missam propriam habentes et vigiliae. In posterum vero, petentibus indulta huiusmodi, S. Congregatio tantum est concessura, extra dictas ferias et vigilias, dummodo rationes validae proponantur, et Ordinarii petitionem rite commendent.

Dr. P. Piacenza.

S. R. C. decretum d. d. 24 febr. 1912 quod in Ephemerid. Liturg. editum fuit (an. 1912 pag. 230) sine commentario, hic in commodum lectorum nostrorum commentario illustratur.

Commentarium.

N. I. Agit de rubrica speciali ante unicum suffragium in Psalterio, quae rite in novis editionibus relata fuit, et nulla indiget elucidatione.

N. II. Tradit: « Duplicia I et II classis sua die impedita, iuxta Tit. III novarum rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio duplici I vel II classis et ab officiis huiusmodi festa excludentibus, transferri tamen non possunt in Dominicam etiam minorem, iuxta n. 3 eiusdem Tituli ».

Licet sufficenter nova Rubrica indicet quid sit agendum, quando aliquod Duplex I vel II classis impeditum sit a nobiliori officio, et nemo sanae mentis unquam excogitare potuisset quod festum huiusmodi impeditum in diem Dominicam transferri possit, cum et in antiquis rubricis idipsum vetitum erat, nihilominus ad maiorem claritatem, et ad tollendum omne dubium, si forte in mentem alicuius obvenire posset, hic declarat S. R. C. quod Duplex I et II classis in casu, nequit transferri in diem Dominicam, si forte ipsa esset prima dies ab officio I vel II classis non impedita. Exemplum sit: Festum Corporis Christi hoc anno 1913 occurrit die 22 maii, eiusque Octava, die 29, cum autem agatur ea die in Trevirensi dioecesi festum I classis patroni S. Maximini Ep. quod hoc anno transferri debet; et die sequenti nequit celebrari, quia occurrit festum Ss. Cordis, ac neque in sabbato 31, quia occurrit festum S. Angelae Titularis meae Ecclesiae, aliquibus forsan videbatur quod transferri posset die 1 Iunii, scilicet in Dominica, eo quod sit Dominica minor, quae admittit festa duplicia I et II classis. Attamen, aliud est celebrare in die Dominica *festum* aliquod I vel II classis *occurrens*, aliud in ea agere *officium* alicuius du-

plicis I vel II classis accidentaliter *translati.* Etiam in antiquis rubricis hoc vetitum erat, cum Officium Dominicae occurrit sua die, ideoque non est dies vacua, ut in ea admitti possit officium translatum et non occurrens.

Scimus quod ex novis rubricis hodie transferuntur in proxima die duplicia I vel II classis, etiamsi in ea occurrat duplex minus vel maius; ergo aliqui dubitare poterant, quod item in diem Dominicam bene transferri valerent dicta duplicia classica, quando impediuntur. Cum autem novae rubricae totae sint in restituendo antiquo honore Dominicis diebus, ac magnum detrimentum officium Dominicae attulissent, si in illud transferri potuissent ipsa classica officia, oppornissime S. R. C. hoc suo decreto dubium e medio abstulit omnino, dicens, quod Dominica dies impedit quominus in eam transferri possit aliquod duplex I vel II classis sua die impeditum.

N. III. Praescribit: « Duplicia I et II classis certis Dominicis vel Feriis affixa, si perpetuo impediantur, iuxta novas rubricas Tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio duplici I vel II classis, aut ab aliqua die octava, vel ab iis officiis huiusmodi festa excludentibus, non vero, ut censent nonnulli Liturgistae, in primam diem ut supra liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt ».

Sententia aliquorum ex liturgistis, de qua hic agitur, fundamentum habuerat in decreto S. R. C. d. d. 22 apr. 1741 ad 3, n. 4110 ant. coll., in quo legitur: « Faciendum esse in regno Poloniae, in Dominica infra Octavam Assumptionis officium S. Hyacinthi, assignata prima die officio S. Ioachim, cum eius festum non possit celebrari ante Dominicam infra Octavam Assumptionis ». Huiusmodi responsio omissa fuit in citato decreto edito in nova collectione, sub n. 2360, ideoque dicendum est, quod non amplius servari debuerat iam ab anno 1898.

Ad rem ita scribit p. Aloisius a Carpo (Bibliot. Lit. parte II, n. 152 in nota): « Festa cuipiam Dominicae affixa,

uti festum SS. Rosarii, S. Ioachim, etc. si perpetuo impediantur, ad aliam diem fixe sunt tranferenda...; at si prima dies libera reperietur, intra latitudinem respectivae hebdomadae, non idcirco erunt ibi reponenda, sed alteri diei non impeditae adsignanda post illam latitudinem, ne unquam ante propriam Dominicam celebrentur. Quapropter si, ex. gr. perpetuo transferendum sit festum Rosarii B. M. V. statuenda erit prima dies libera post VII Octobris; et sic in similibus ».

Haec autem sententia, a recentioribus doctoribus non amplius admittitur, qui post novam S. R. C. decretorum collectionem scripserunt, ut videre est apud De Herdt (editio X), Van der Stappen et cl. Aristidem Gasparri (*Manuale liturg.* 1909) cum citatum responsum expunctum fuerit a nova ipsa collectione. Hodie vero clarius, quid in casu sit faciendum, decernit novum hoc decretum, nempe, quod festa duplicia I et II classis mobilia, perpetuo sua die impedita, celebrari debent in feria sequenti per singulos annos libera iuxta Rubricas. Itaque in regno Poloniae, de quo agit decretum in Vilnen. 1741, nunc festum s. Joachim, perpetuo impeditum a celebratione festi mobilis s. Hyacinthi, celebrari debet exinde in feria II post Dominicam infra octavam Assumptionis B. M. V., dummodo tamen aliquo anno non occurrat in dicta feria II aliquod festum I vel II classis aut aliqua dies octava.

N. IV. tandem declarat: « Licet iuxta novam occurrentiae Tabellam in concursu Duplicis maioris cum aliquo Duplici maiori, totum fieri debet de nobiliori cum commemoratione de alio, ideoque festum Domini duplex maius secundarium cedere debeat festis eiusdem ritus B. Mariae V. aut Sanctorum primariis; nihilominus, quando festum Domini duplex maius secundarium in Dominica die occurrens concurrit cum festo duplici maiori primario B. Mariae vel Angelorum, vel Sanctorum, Vesperae erunt de praefato festo Domini, quia in casu Officium festi Domini subrogatur Officio Dominicae ».

Rem explicabit exemplum: In civitate Florentiolae Placentinae dioecesis, Dominica IV post Pascha agitur festum S. Sepulcri D. N. I. C., eo quod impedita sit perpetuo Dominica II a festo duplici II classis. Quando dicta Dominica IV occurrit die 13 vel 15 maii, concurrit cum festo primario s. Bonifacii Mart. quod illa in civitate celebratur sub ritu duplici maiore, quia est antiquus Titularis primitivae ecclesiae, et eius servatur reliquia insignis. Igitur in casu, vesperae, nisi adesset officium S. Sepulcri, essent de Dominica IV post Pascha, cum commemoratione s. Bonifacii sequentis vel praecedentis.

Quia vero, ut diximus, ea in Dominica celebratur Officium S. Sepulcri, quod est festum secundarium, ac proinde cedere deberet vesperas integras festo primario s. Bonifacii, officium ipsum S. Sepulcri subrogatur officio dominicali, et ideo, licet sit secundarium, habet integras vesperas cum commemoratione sequentis, vel praecedentis s. Bonifacii.

Itaque decretum ipsum, quod hic exponimus, rationem reddit de huiusmodi exceptione; dicens: « quia in casu Officium festi Domini subrogatur Officio Dominicae ».

Dr. P. P.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM

Circa Missas tricenarias Gregorianas et Altaria item Gregoriana.

Supremae S. Congregationi S. Officii sequentia exhibita sunt dubia de Missis triginta quae Gregorianae nuncupantur, nec non de Altaribus, tum Ecclesiae S. Gregorii in Monte Coelio Urbis, tum alibi

existentibus, quae ad instar illius appellata sunt Gregoriana:

I. Utrum sit necessarium quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? Et quatenus affirmative:

II. Utrum in casu satisfaciat Sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. die natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur? Et quatenus negative:

III. Utrum idem Sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam?

IV. Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium Gregorianum, si pluribus Sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem?

V. Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a Rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum?

VI. Utrum Altare S. Gregorii in Monte Coelio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum?

VII. Quaenam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium Altaris Gregoriani « ad instar »?

VIII. Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani « ad instar »? Et quatenus negative:

IX. Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis?

Quibus dubiis mature perpensis, E.mi Patres

una mecum Generales Inquisitores, feria IV, die 11 Decembris 1912, dixerunt:

Ad I. Affirmative, prout in decisis a S. Congregatione Indulgentiarum, die 14 Ianuarii 1889.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus quibus licet et decet.

Ad VI. Affirmative, iuxta Rescriptum ex Audientia SS.mi, diei 18 Februarii 1752.

Ad VII. Deinceps, Altaria Gregoriana non esse concedenda.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

Et feria V, die 12, iisdem mense et anno, SS.mus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, supra relatas E.morum Patrum resolutiones, benigne adprobare dignatus est.

M. Card. RAMPOLLA

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Acta
Academiae Liturgicae Romanae.

QUAESTIO

De anticipatione vel repositione Missae Dominicae.

Ex novis rubricis (Tit. X, n. 2) prohibentur Missae votivae et defunctorum *in Feria, in qua anticipanda, vel reponenda est Missa Dominicae.* Cum autem anticipatur Dominica aliqua, ex. gr. II post Epiphaniam, celebrari potest eius officium etiam si occurrat semiduplex, et eo deficiente, etiam duplex; putat ergo Opilius, quod officium Dominicae, in casu, transferendum vel anticipandum sit, sicut transferuntur officia Sanctorum, ideoque ait, quod ad Matutinum, cum antiphonis et psalmis de feria occurrenti in tres nocturnos distributis, legendae sint novem lectiones. Quaerit ideo:

1. *Quomodo interpretandus est locus citatus novarum rubricarum; et utrum quis possit recitare officium Dominicae impeditae a festo classico in aliqua feria hebdomadae sequentis?*

2. *Quanam lege anticipari debeat Dominica II post Epiphaniam, et qua lege reliquae Dominicae?*

3. *Utrum quis possit, quando aliqua Dominica anticipatur, integrum eius officium recitare?*

SOLUTIO.

Ex Dissertatione Rev. Dom. Eugenii Gerbaldi, habita in sacra Aede Cong.nis Missionis apud Curiam Innocentianam, die 4 decembris 1912. Post Censorum animadversiones, alter ex ipsis, R. P. D. Petrus Piacenza Proton. Apost. de Numero, epitomen earum fecit, ac dein pia collatio de officiis ecclesiasticis de more habita est.

Ad I. Iam a mense Octobri Director eximius huius nostrae Accademiae quaestionem istam proposuerat, die 4 decembris persolvendam, interim ipsa quaestio pluribus ex locis S. Congregationi Rituum proposita fuit, ita ut die 6 eiusdem mensis pertractata sit et soluta, hisce verbis: « *Dicitur Missa reponenda, quae Dominica praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria, in qua prima vice resumenda est Missa Dominicae* ».

Ad quam responsionem illustrandam vide commentarium ad Decretum 6 dec. in praecedenti fasciculo harum Ephemeridum pag. 69.

Utrum vero Officium Dominicae impeditae, quis recitare possit in aliqua feria libera sequentis hebdomadae, sicuti transfertur officium Sanctorum, usquedum aliter a S. R. C. disponatur, nemo proprio marte id agere potest. Etenim sicut de Sancto impedito cuius ago commemorationem ad instar simplicis in sua die, officium transferre nequeo, ita et officium Dominicae impeditae, cuius sua die egi iam commemorationem. Attamen vide quae dicuntur in responsione ad III.

Ad II. Duobus aliis suis decretis 2 martii et 19 aprilis 1912 S. R. C. declaravit, quod Dominica II post Epiphaniam anticipari debeat etiam in duplici minori, aut quoque duplici maiori, quando aliter fieri nequeat anticipatio.

Uti omnes norunt, officium Dominicae ij post Epiphaniam, privilegio gaudet, quod hucusque nulli Dominicae concessum est; ipsa enim, quando impeditur a Dominica Se-

ptuagesimae, anticipari debet, etiamsi ponendum sit officium eius in die a festo semiduplici impeditum. Ita disponunt antiquae rubricae. Ratio huiusce privilegii in eo sita est, quia dicta Dominica evangelium habet primi miraculi a Christo Domino patrati in Cana Galileae, de quo memoria agitur solemnis in ipsa die Epiphaniae; cum autem evangelium, in quo narratur miraculum istud, omitti non deceat, antiquae rubricae praescripserant, ut officium huiusce dominicae anticipari deberet.

Quod si festa semiduplicia non haberentur in hebdomada, tunc in festo duplici agenda erat commemoratio anticipatae Dominicae, prout declaraverat S. R. C. suo decreto 12 sept. 1853, n. 3019.

Nunc autem S. R. C. per citata decreta disposuit, ut anticipetur etiam in festo duplici, quando in hebdomada non habeantur festa semiduplicia; imo etiam in festo duplici maiori. Ratio est, quia iuxta novas rubricas, officium Dominicae praevalet festo duplici minori et maiori, ergo etiam quando anticipatur eius officium.

In seligenda autem feria, in qua ponendum sit officium huiusce Dominicae, principium servari debet, relinquendi maiorem numerum feriarum Dominicae primae post Epiphaniam. Ratio est, quia Dominica ij, quando anticipatur, intrat in hebdomadam non suam, ideoque de hac ipsa hebdomada sibi appropriare debet tantummodo quod ei occurrit: hinc, si festum minoris ritus est in sabbato, hac die persolvi debet officium Dominicae ij. Item si duo habeantur festa duplicia minora, unum feria iv, et aliud feria vj, in hac ultima celebrabitur officium Dominicae anticipatae, ut, quoad fieri potest, iura praecedentis Dominicae minus laedantur.

Quod autem attinet alias Dominicas per annum anticipandas, usquedum aliter non praescribat S. R. C., officium earum anticipari nequit nisi in die libera ab officio IX lectionum. Quod si nulla in praecedenti hebdomanda habeatur dies libera, tunc in sabbato fit commemoratio anticipatae

Dominicae per ant. et Orationem ac IX lectionem, et etiam in Missa, cum ultimo eius Evangelio in fine.

Ad III. Per se negative est respondendum, attamen ad rem audiatur quid scripserit Dr. P. Piacenza in suo Commentario in tres Tabellas pag. 160:

« Notandum hic placet, quod iuxta antiquas rubricas, officium anticipatae Dominicae erat feriale, scilicet cum psalmis de feria, et cum tribus tantum lectionibus; quod sane omnino servandum erat, alioquin perturbatus exiisset ordo psalterii. Nunc vero, cum officium feriale habeat solummodo novem psalmos, sicut habet Dominica: et cum iidem psalmi feriales adhibeantur, etiam in festis novem lectionum, bene posset, quando anticipanda (vel posticipanda) sit aliqua Dominica, servari totum suum officium, scilicet cum novem suis lectionibus, utendo tamen psalmis et antiphonis de occurrenti hebdomadae die. Huiusmodi nostra sententia, quam amicis nostris exposuimus, non displicuit, ideoque sperandum est, ut, opportuna facta postulatione ad S. R. C., obtineatur decretum hoc ipsum praecipiens. Et sane, mens est ecclesiae, ut de officio aliquo impedito, omnia dicantur, quoad fieri potest; atqui in casu nostro, de Dominica anticipata bene possunt servari lectiones omnes; ergo ».

Hic autem sentiendi modus citati auctoris aequo sustineri potest, sed pro privata tantum recitatione; iuxta enim sententiam S. Alphonsi (Lib. IV, n. 160) aliorumque, « ex rationabili causa... specialis devotionis erga aliquem Sanctum, nec veniale est (mutare officium diei), ut dicunt Viva, Navarrus, Cardena, ac Tamburrinus apud Lacroix ». Atqui in casu nostro non mutatur officium, sed in officio diei prout notatur in calendario ego addo lectiones I et II nocturni, ergo bene huiusmodi additio mihi licebit.

QUAESTIO.

De benedictione cum SS. Sacramento.

Sunt qui distinguunt inter *expositionem* proprie dictam Ss. Sacramenti, et simplicem *benedictionem* cum ostensorio; pro expositione requirunt thronum in altari, non vero pro benedictione. Quia vero passim in ecclesiis consuevit benedictionem cum Ss. Sacramento impertiri, exposito SS.mo super throno vix tempore *Tantum ergo*, factum est ut super altare iugiter remaneat, inter candelabra thronus ipse, etiam tempore Missarum solemnium et pontificalium. Quaeritur:

1. *Quid decernant rubricae circa simplicem benedictionem cum Ss. Sacramento?*

2. *Quid pro expositione proprie dicta?*

3. *Utrum liceat thronum semper in altari retinere?*

SOLUTIO.

Disserens Rev. Hermannus Bonazzi, ex almo Collegio Capranicensi: epitomator R. Petrus M. De Amicis Cong.nis Missionis. Conventus habitus fuit die 10 Ianuarii 1913.

Monitum Epitomatoris.

In opusculo, cui titulus *Normae theorico-practicae quoad expositionem et benedictionem Ss. Sacramenti*, ausi minime fuimus super istam quaestionem mentem nostram candide aperire, praesertim aspicientes libros perplurimos auctorum in re liturgica clarissimorum, nec non consuetudinem fere universalem, indiscrimatim in omni solemni Sanctissimi benedictione cum ostensorio thronum praescribentes. Sed cum in Academia Liturgica haec magni momenti quaestio vali-

dissimis argumentis inter Rev.mos Censores in sensu infra exposito ventilata fuerit, vehementer gratulantes, lectores nostros mentem sapientissimi Conventus fidenti animo suscipere exhortamur.

P. M. De Amicis.

Ad I. Ignota erat antiquis benedictio cum Ss. Sacramento, quae dabatur tantumodo a parocho in regressu ad Ecclesiam post delationem sacri Viatici ad infirmos, cum vasculo clauso et velo cooperto, prout hodie quoque adhuc servatur. Vas autem Eucharisticum, quod Ostensorium vocamus, nonnisi exeunte saeculo XIV aliquibus locis inductum fuit. Etenim quando instituta est processio in festo Corporis Christi, non statim delatum fuit Ss. Sacramentum in Ostensorio aperto, sed in vasculo aut calice clauso et velato, ut clare demonstrat Thiers (Traité de l'Exposition du Ss. Sacrament, ed. 1777 vol. I pag. 234), atque Ostensoria seu monstrantiae in quibus sacra Hostia collocatur vitris perlucidis inclusa, tardius, ut diximus, apparuerunt.

Quapropter, cum post processionem consuetudo invecta est benedicendi populum cum Ostensorio, prout fit in delatione Viatici, in Rituali Romano, nec non in Caeremoniali Episc., posita fuit rubrica specialis, de modo eamdem benedictionem impertiendi.

In Rituali ergo sequens habetur rubrica in fine processionis Ss. Corporis Christi: « Peracta processione, et Ss. Sacramento ad Ecclesiam reportato, et super Altare deposito, omnes Ecclesiastici qui adsint hinc inde ordine genuflexi, illud reverenter adorantes, dum de more Sacerdos incensat, sequentem Hymni partem concinant: *Tantum ergo....* ℣. *Panem de coelo....* Or. *Deus, qui nobis...* » et post Orationem, Rubrica sequitur dicens: « Tunc Sacerdos, facta genuflexione, cum Ss. Sacramento, semel benedicit populum in modum Crucis, nihil dicens; postea illud reverenter reponit ». Item in Caeremoniali Episcoporum (Lib. II, c. 33, n. 24, 25, 26, 27), idem ritus describitur pro Episcopo, qui trinam benedictionem impertitur.

Postquam autem ultimo saeculo, paulatim usus coepit dimittendi populum in paroeciis, praesertim ruralibus, cum Eucaristica benedictione, adhibitus fuit ritus, prout in citatis rubricis describitur.

Quo in ritu, clare patet, Ostensorium collocandum esse super mensa altaris, non vero in throno, ut ait citata rubrica dicens: « Sacramento super altare deposito... » ideoque, pro huiusmodi benedictione, minime utebantur parochi throno in altari, sed, recitatis vel decantatis aliquibus precibus, vel hymno ad Sanctum, cuius festum agebatur, vel litaniis ad B. Mariam Virginem cum sua oratione; Sacramentum e tabernaculo educebàtur, et super altare, quod est profecto thronus Dei nostri, in ostensorio collocabatur, ac posito incenso semel tantum, ut ait praecitata rubrica (1), atque decantato *Tantum ergo*, cum suis versiculis et Oratione, parochus populum benedicebat.

Quod autem mos iste fere ubique invaluerit, saeculo praesertim xviij, testantur quamplurimae leges synodales et dioecesanae; et ipsa S. R. C. eum, non modo non improbavit, sed variis decretis saepius nonnulla, circa ritum benedictionis, declaravit (Cfr. DD. 2464, 2722, 2725, 3058), statuens ut rubrica Ritualis et Caeremonialis adamussim servaretur. Nihil hic dicimus de benedictione cum Pyxide, quia exulat a nostra quaestione.

Ad II. Distinguendum est inter simplicem Benedictionem cum Ss. Sacramento, et Expositionem proprie dictam. Simplex Benedictio cum Ostensorio consistit in extractione Ostensorii e Tabernaculo (2), in incensatione, in cantu

(1) Decretum S. R. C. 5 iulii 1907, n. 4202,I, ut in opusculo *Normae theorico-practicae quoad expositionem et benedictionem Ss. Sacramenti*, notavimus, circa duplicem incensationem SS.mi in ostensorio, obligat sine dubio, et vetus consuetudo semel Sanctissimum incensandi prorsus abolenda est.

(2) Habenda est quoque tamquam simplex benedictio, licet praemittantur nonnullae preces in honorem alicuius Sancti, aut B. Mariae Virginis, puta in novendialibus vel triduis. Tunc enim,

Tantum ergo cum suo ℣. et Oratione, in ipsa benedictione, et in repositione in tabernaculo; ita ut celebrans toto tempore quo Sacramentum extra Tabernaculum manet, Altare non deserat, ideoque Rubrica tum Ritualis tum Caeremonialis, non in Throno, sed super Altare collocandum Ostensorium praescribunt. Expositio autem consistit in solemniori ritu quo Ss. Sacramentum adorationi fidelium per notabile tempus proponitur, scilicet tota die, vel aliquibus horis, quae consuetudo retineri potest (D. 31245), ita ut Celebrans, facta Expositione, ab Altari recedat. In casu, tum ratione maioris solemnitatis, tum quia Altare manet sine suo ministro, decet ut Sacramentum in Throno cum luminibus hinc inde accensis collocetur, non vero simpliciter super Altare.

Pro huiusmodi solemnibus Expositionibus, extant plures Instructiones synodales (1) saeculi xvij, et percelebris Instructio Clementina pro Urbe Romae, quae omnes omnino praescribunt, ut in eminentiori loco Altaris Thronus cum superimposito baldachino statuatur, in quo exponendum est Ostensorium. Utrum vero huiusmodi Thronus habere debeat

antequam Ss. Sacramentum e Tabernaculo educatur, possunt recitari preces in honorem Sanctorum vel B. Mariae, etiam in lingua vernacula, a competenti auctoritate rite approbatae, cum Versiculo et Oratione liturgica. Dein facta Expositione in Altari, ut supra dictum est, suo tempore benedictionem Sacerdos impertitur. Quoad preces vero in honorem vel Sanctorum, vel B. M. V., in novendialibus, aut triduis, aut die eorum festivo, aut aliquacumque occasione, notandum est an ipsae preces ad divinitatem directe effundantur an non, in primo casu possunt et merito coram Eucharistia sive supra altari in ostensorio sive ante ostium tabernaculi in pyxide exposita, recitari, secus ante expositionem; cum ita et debita reverentia, et sensus liturgicus, et pietas rite ordinata satis consulant, orto enim sole necesse est ut alia sydera evanescant.

(1) S. Carolus Borr. in Synod. prov. IV anno 1576 celebrata, atque in Instructione de Sacramentorum administratione (Act. Eccl. Mediol. pag. 578), nec non Synod. Placentin. 1646; Bobien. 1673; Ostien. et Veliterna 1699; Avenionen. 1725; Cremonen. 1728; et aliae quamplurimae, ante Instructionem Clementinam, quae anno 1731 promulgata fuit.

suum parvum baldachinum, licet super Altare in quo fit expositio, adsit amplum tentorium, seu baldachinum columnis suffultum, quod totum Altare tegat, disputant auctores. Vide ad rem hanc ipsam disputationem in Ephemeridibus Liturgicis (An. 1910 pag. 145, 290 et 489). S. R. C. interrogata (die 27 maii 1911 ad VI respondit: « Servari posse consuetudinem, quae in locis viget, collocandi, vel non, alium thronum cum suo parvo baldachino, in altaribus in quibus adest magnum baldachinum seu ciborium » (Cf. Acta Apost. Sedis. an. 1911 pag. 279). Sed hoc Decreti comma in Collectione authentica non fuit insertum.

Ad III. Procul dubio thronus expositionis in Altare permanenter non est retinendus, nam, ut plurimum, impedit quominus suo loco digniori et eminentiori, inter candelabra Crux cum imagine Crucifixi statui queat. Et sane, ut vidimus, nulla lex praescribit appositionem throni pro simplici Benedictione cum Ss. Sacramento, imo Rubrica tum Ritualis tum Caeremonialis illum excludit; thronus enim non requiritur nisi pro solemni Expositione per aliquod tempus; ergo cum huiusmodi Expositiones rare in eadem ecclesia fiant per annum; liquido patet, quod continua permanentia throni super Altare, tempore vesperarum, Missarum solemnium, necnon et pontificalium, est verus abusus, omnino removendus a rectoribus et custodibus, et ab ecclesiarum inservientibus ad parcendum labori excogitatum.

Hac de re opportunissime S. R. Congregatio, decreto 27 maii 1911 ad IV, aperte declaravit: Non licere super tabernaculum erigere thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione Ss. Sacramenti, sed debere erigi thronum tantummodo propter expositionem, et amoveri post ipsam (Decr. auth. n. 4268).

Ergo, ne Rubrica missalis, quae exigit magnam Crucem inter candelabra Altaris, perpetuo contemptui habeatur, ecclesiarum rectores debent omnino praescribere suis clericis, ut thronus, peracta Expositione, ab Altari amoveant, imo ne pro simplici Benedictione illud in Altari ipso apponant.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIAE UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1914

Pascha occurrente die 12 Aprilis

IULIUS.

1. Fer. IV. *Alb.* **De Oct. S. Ioannis Bapt.** *semid.* Off. ut in festo et pr. Com. Oct. Ss. App. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* Cr. Praef. App. - Vesp. de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*
2. Fer. V. *Alb.* **Visitatio B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Ss. Processi et Martiniani Mm. - Com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. Praef. B. M. V. (*Et te in Visitatione*) - In Vesp. (pr. loc.) com. Oct. S. Ioannis (ut in 1. Vesp. festi) - Compl. de Dom.
3. Fer. VI. *Alb.* **De Oct. S. Ioannis Bapt.** *semid.* - Off. ut in festo et pr. Com. Oct. Ss. App. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* Cr. Praef. App. - Vesp. de Oct. com. Oct. Ss. App. - Compl. de Dom.
4. Sabb. *Alb.* **De Oct. S. Ioannis Bapt.** *semid.* - Off. ut in festo et pr. Com. Oct. Ss. App. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* Cr. Praef. App. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. Oct. S. Ioannis (ut in 2. Vesp. festi) et S. Antonii Mariae Zaccaria C. - Compl. de Dom.

✠ 5. **Dom. V. p. Pent.** *Rub.* **PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9 Hom. Dom. - com. Dom. Oct. S. Ioannis et S. Antonii in Laud. et Miss. Cr. Praef. de Cruce Ev. Dom. in fine - In Vesp. (pr. loc.) com. Oct. Ss. App. Dom. et Oct. S. Ioannis - Compl. de Dom.

6. Fer. II *Rub.* **Octava Ss. Petri et Pauli App.** *dupl. mai.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. *Incip. liber. 2. Regum.* (de Dom. praec.) In Miss. Cr. Praef. App. - In Vesp. (ut in festo et pr.) com. seq. - Compl. de Dom.

7. Fer. III. *Alb.* **Ss. Cirylli et Methodii Epp. Cc.** *dupl.* - In Vesp. com. seq.

8. Fer. IV. *Alb.* **S. Elisabeth Reg. Vid.** *semid.* - Off. de comm. et pr. - Lectt. 1. Noct. *Mulierem fortem* - Ad Laud. Pss. de Dom. rel. pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (Ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - In Vesp. (de Comm. et pr.) Suffr. - Ad Compl. Prec.

9. Fer. V. *Vir.* De ea. - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

10. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Septem Fratrum et Soc. Mm.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - In Vesp. com. seq. S. Pii I. P. M. et Suffr. - Ad Compl. Prec. - Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

11. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum. ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. pr. com. S. Pii et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui natus* et Prec.) Cap. et rel. pr. - Miss. *Salve* (a Pent. ad Adv.) Gl. 2. or. S. Pii 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. (*Et te in veneratione*) - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. S. Ioannis Gualberti Abb. et Ss. Naboris et Felicis Mm.

✠ 12. **Dom. VI. p. Pent.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. Com. S. Ioannis et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Ioannis - Compl. de Dom.

13. Fer. II. *Rub.* **S. Anacleti P. M.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. Ev. *Si quis venit* - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

14. Fer. III. *Alb.* **S. Bonaventurae Ep. C. D.** *dupl.* - In Miss. Cr. - In Vesp. com. seq.

15. Fer. IV. *Alb.* **S. Henrici Imp. C.** *semid.* - m. t. v. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

16. Fer. V. *Alb.* **B. M. V. de Monte Carmelo** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. B. M. V. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. - Compl. de Dom.

17. Fer. VI. *Alb.* **S. Alexii C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. de seq. (m. t. v.) com. praec. et Ss. Symphorosae et Filiorum Mm.

18. Sabb. *Alb.* **S. Camillis de Lellis C.** *dupl.* - Lect. 9. et com. S. Mm. in Laud. et Miss. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psal. et pr.) com. praec. ac S. Vincentii a Paulo C.

✠ 19. **Dom. VII. p. Pent.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. Com. S. Vincentii in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Vincentii ac S. Margaritae V. et M. - Compl. de Dom.

20. Fer. II. *Alb.* **S. Hieronymi Aemiliani C.** *dupl.* - m. t. v. - Com. S. Margaritae in Laud. et Miss. - In Vesp. com. seq.

21. Fer. 2. *Alb.* **S. Praxedis V.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de ferr. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 2. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. de seq. sine com.

22. Fer. IV. *Alb.* **S. Mariae Magdalenae Poenit.** *dupl.* - Invit. et Hymn. pr. - Lectt. 1. Noct. cum ℟℟. pr. - Ad Laud. Hymn. ℣. et Ant. ad *Bened.* pr. - In Miss. Cr. - Vesp. (*Rub.*) a cap. de seq. com. praec. ac S. Liborii Ep. C.

23. Fer. V. *Rub.* **S. Apollinaris Ep. M.** *dupl.* - Com. S. Liborii in Laud. et Miss. - In Vesp. com. S. Christinae V. M.

24. Fer. VI. **Vigilia S. Iacobi Ap.** *Viol.* De ea - Off. ferial. ut in Psalt. - Lectt. de Vigil. cum ℟℟. fer. curr. - Ad Laud. Prec. ferial. com. S. Christinae et Suffr. - Ad Hor. Prec. - Miss. de Vigil. sine Gl. 2. or. S. Christinae 3. *Concede* et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) - Compl. de Dom.

† 25. Sabb. *Rub.* **S. IACOBI AP.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. Com. S. Christophori M. In Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. et Dom. - Compl. de Dom.

✠ 26. **Dom. VIII. p. Pent.** *Alb.* **S. ANNAE MATRIS B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. *Mulierem fortem.* - Lect. 9. Hom. et com. Dom. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. et Dom. - Compl. de Dom.

27. Fer. II. *Rub.* **S. Pantaleonis M.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 1. Noct. - Lectt. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Pirm. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* - Vesp. (*Rub.*) de. seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

28. Fer. III. *Rub.* **Ss. Nazarii et Celsi Mm. Victoris I. P. M. ac Innocentii I. P. C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) a cap. de seq. com. prec. Ss. Felicis et Soc. Mm. et Suffr. Ad Compl. Prec.

29. Fer. IV. *Alb.* **S. Marthae V.** *semid.* - Ad Laud. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *A cunctis* - In Vesp. com. seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

30. Fer. V. *Rub.* **Ss. Abdon et Sennen Mm.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 1. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (Ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.

31. Fer. VI. *Alb.* **S. Ignatii C.** *dupl.* - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. S. Pauli Ap. (pr. loc.) praec. ac Ss. Machabaeorum Mm. - Compl. de Dom.

AUGUSTUS.

1. Sabb. *Alb.* **S. Petri * ad Vincula** *dupl. mai.* - Off. de Comm. App. et pr. - Lect. 9. Ss. Mm. - Com. S. Pauli Ap. ac Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. S. Pauli Ap.

S. Alphonsi Mariae de Ligorio Ep. C. D. et S. Stephani I. P. M. Compl. de Dom.

✠ 2. **Dom. IX. p. Pent. I. Aug.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. Com. S. Alphonsi et S. Stephani in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Alphonsi - Compl. de Dom.

3. Fer. II. *Rub.* **Inventio S. Stephani Protom.** *semid.* - Lectt. trium Nocturnor. cum ℟℟. pr. - Ad Laud. Pss. de Dom. rel. de Comm. et pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a Cap. pr. loc. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

Cras Annivers. Electionis SS. D. N. Pii Papae X, quem Dominus ad multos annos conservet.

4. Fer. III. *Alb.* **S. Dominici C.** *dupl. mai.* - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu tibi... qui natus.*

5. Fer. IV. *Alb.* **Dedicatio S. Mariae ad Nives** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. B. M. V. - Vesp de seq. (pr. loc.) - com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu tibi... Qui te revelas.*

6. Fer. V. *Alb.* **TRANSFIGURATIO D. N. I. C. Titul. Eccl. Lateran. quae Omn. Ecclesiar. Urbis et Orbis est Mater et Caput** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. - Lect. 9. et com. Ss. Xysti et Soc. Mm. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Nativ. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. et S. Donati Ep. M. - Compl. de Dom.

7. Fer. VI. *Alb.* **S. Caietani C.** *dupl.* - Lect. 9. et com. S. Donati in Laud. et Miss. - In Vesp. com. seq.

8. **Sabb. Vigilia S. Laurentii M.** *Rub.* **Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.** *semid.* - Lect. 9. Hom. et com. Vigil. et Suffr. in Laud. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. Vigil. 3. *A cunctis* Ev. Vigil. in fine. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. S. Romani M. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

Cras Annivers. Coronationis SS. D. N. Pii Papae X, quem Dominus vivificet et beatum faciat.

✠ 9. **Dom. X. p. Pent. II. Aug.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. com. S. Romani. et Suffr. - Ad Prim. Symbol. *Quicumque* et Prec. - In Miss.

2. or. S. Romani 3. *A cunctis* Cr. Praef. Trinit. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. - Compl. de Dom.

† 10. Fer. II. *Rub.* **S. LAURENTII * M.** *dupl. 2. cl. cum Oct.* - Off. de Comm. et pr. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. Ss. Tiburtii et Susannae Mm. - Compl. de Dom.

11. Fer. III. *Rub.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in Festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Lect. 9. et com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. Oct.

12. Fer. IV. *Alb.* **S. Clarae V.** *dupl.* - Com. Oct. in Laud. et Miss. In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. Festi) et Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

13. Fer. V. *Rub.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Lect. 9. et com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. 3. or. *Concede* - Vesp. de Oct. com. S. Eusebii C. - Compl. de Dom.

14. Fer. VI. **Vigilia Assumptionis B. M. V.** *Rub.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in Festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Lect. 9. Hom. et com. Vigil. et S. Eusebii in Laud. - Miss. (*Viol.*) de Vigilia sine Gl. 2. or. Oct. 3. S. Eusebii - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Per tot. Oct. Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

✠ 15. Sabb. *Alb.* **ASSUMPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. B. M. V. per tot. Oct. nisi aliter notetur - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. Dom. et S. Hyacinthi C. - Compl. de Dom.

✠ 16. **DOM. XI. P. PENT. III. AUG.** *Alb.* **S. IOACHIM Patris B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - m. t. v. - Off. de Comm. et pr. - Lectt. 1. Noct. *Beatus vir.* - Lect. 9. Hom. et com. Dom. et S. Hyacinthi in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq. (ut in 1. Vesp. Festi or. pr.) Dom. et S. Hyacinthi - Compl. de Dom.

17. Fer. II. *Rub.* **Octava S. Laurentii * M.** *dupl.* - Off. ut in Festo et pr. - Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Sapientiae* (de Dom. praec.) - Com. Oct. Assumpt. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (ut in Festo or. pr.) com. Oct. Assumpt. (ut in 1. Vesp. Festi) et S. Agapiti M. - Compl. de Dom.

18. Fer. III. *Alb.* **De Octava Assumpt.** *semid.* - Off. ut in Festo et pr. - Lect. 9. et com. S. Agapiti in Laud. et Miss.

3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in 2. Vesp. Festi) sine com. - Compl. de Dom.

19. Fer. IV. *Alb.* **De Octava Assumpt.** *semid.* - Off. ut in Festo et pr. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Cr. - Vesp. de seq. com. Oct.

20. Fer. V. *Alb.* **S. Bernardi Abb. C. D.** *dupl.* - com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. a Cap. de seq. com. praec. et Oct.

21. Fer. VI. *Alb.* **S. Ioannae Franciscae Fremiot de Chantal Vid.** *dupl.* - com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de seq. (ut in 1. Vesp. Festi) com praec. ac Ss. Timothei et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

22. Sabb. **Vigilia S. Bartholomaei Ap.** *Alb.* **Octava Assumptionis B. M. V.** *dupl. mai.* - Off. ut in Festo et pr. - Lect. 9. Hom. et com. Vigil. et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. Oct. et S. Philippi Beniti.

✠ 23. **Dom. XII. p. Pent. IV. Aug.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. Com. S. Philippi in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (de Comm. et pr.) comm. Dom. et S. Philippi - Compl. de Dom.

† 24. Fer. II. *Rub.* **S. BARTHOLOMAEI * AP**. *dapl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) comm. seq. - Compl. de Dom.

25. Fer. III. *Alb.* **S. Ludovici Reg. C.** *semid.* - Ad Laud Suff. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - In Vesp. com. seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

26. Fer. IV. *Rub.* **S. Zephirini P. M.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣ (omiss. 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1 et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 3. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* - Vesp. (*Alb.*) de seq. (m. t. v.) sine com.

27. Fer. V. *Alb.* **S. Iosephi Calasanctii C.** *dupl.* - Vesp. a cap. de seq. com. praec. et S. Hermetis M.

27. Fer. VI. *Alb.* **S. Augustini Ep. C. D.** *dupl.* - Com S. Hermetis in Laud et Miss. Cr. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) com. praec. ac S. Sabinae M. - Compl. de Dom.

29. Sabb. *Rub.* **Decollatio S. Ioannis Baptistae** *dupl mai.* - Off. de Comm. un. M. et pr. - Lect. 9. et com. S. Sabinae in Laud. et Miss. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. S. Rosae Limanae V. ac Ss. Felicis et Adaucti Mm.

Dom. V. Augusti cum sua hebdomada hoc anno omittitur.

✠ 30. **Dom. XIII. p. Pent. I. Sept.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Rosae et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Rosae.

31. Fer. II. *Alb.* **Raymundi Nonnati C.** *dupl.* - In Vesp. com. seq. et Ss. Duodecim Fratrum Mm.

SEPTEMBER.

1. Fer. III. *Alb.* **S. Aegidii Abb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 2. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. Ss. Mm. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (m. t. v.) et Suffr. - Ad Compl. Prec.

2. Fer. IV. **S. Stephani Reg. C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit - In Vesp. Suffr. - Ad Compl. Prec.

3. Fer. V. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - A Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. (ut in Psalt.) et Suffr. - Ad Compl. Prec.

4. Fer. VI. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (m t. v.) et Suffr. Ad Compl. Prec.

5. Sabb. *Alb.* **S. Laurentii Iustiniani Ep. C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de

Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

✠ 6. **Dom. XVI p. Pent. II. Sept.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Symbol. *Quicumque* et Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr). et Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

7. Fer. II. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Fdelium* 3. *A Cunctis* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Per tot. Oct. Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

† 8. Fer. III. *Alb.* **NATIVITAS B. M. V.** *Dupl. 2. cl. cum. Oct.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. et com. S. Hadriani in Laud. et Miss. Cr. et Praef. B. M. V. per tot. Oct. (nisi aliter notetur) - In Vesp. (pr. loc.) com. S. Gorgonii M. - Compl. de Dom.

9. Fer. IV. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Lect. 9. et com. S. Gorgonii in Laud. et Miss. 3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. de seq. com. Oct.

10. Fer. V. *Alb.* **S. Nicolai da Tolentino C.** *dupl.* - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) et Ss. Proti et Hyacinti Mm.

11. Fer. VI. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Lect. 9. et com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. 3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom.

12. Sabb. *Alb.* **SS. Nominis Mariae** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. B. M. V. (*Et te in Festivitate*) - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec.

✠ 13. **Dom. XV p. Pent. III. Sept.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. et Oct. - Compl. de Dom.

14. Fer. II. *Rub.* **Exaltatio S. Crucis** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - Com. Oct. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de Cruce - In Vesp. (pr. loc.) com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) et S. Nicomedis M. - Compl. de Dom.

15. Fer. III. *Alb.* **Octava Nativitatis B. M. V.** *dupl.* - Off. ut in festo et pr. - Lect. 9. et com. S. Nicomedis in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (ut in festo) com. seq. ac Ss. Euphemiae et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

16. Fer. IV. **Quat. Temp.** (*Rub.*) **Ss. Cornelii P. et Cypriani Ep. Mm.** *semid.* - Lectt. 1. Noct. *De libro Tobiae* (de fer. 3. praec.) - Lect. 9. Hom. et com. fer. Ss. Mm. et Suffr. in Laud. (ad Prim. Prec.) et Miss. Ev. fer. in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec.

17. Fer V. *Alb.* **Impressio Sac. Stigmatum S. Francisci C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. pr. - ℟. 8. pr. - Vesp. de seq. com. praec.

18. Fer. VI. **Quat. Temp.** *Alb.* **S. Iosephi a Cupertino C.** *dupl.* Lectt. 1. Noct. pr. - Lect 9. Hom. et com. fer. in Laud. et Miss. Ev. fer. in fine - Vesp. (*Rub.*) a cap. de seq. com. praec.

19. Sabb. **Quat. Temp. et Vigilia S. Matthaei Ap.** (de qua nihil in Off.) - *Rub.* **Ss. Ianuarii Ep. et Soc. Mm.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *De lib. Tobiae* (de fer. 5. praec.) - Lect. 9. Hom. et com. fer. in Laud. et Miss. 3. or. Vigil. Ev. fer. in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. praec., Dom. et Ss. Eustachii et Soc. Mm. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu tibi... Qui passus.*

✠ 20. **Dom. XVI p. Pent. IV Sept.** *Alb.* **SEPTEM DOLORUM B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. et com. Dom. et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Sequentia Cr. Praef. B. M. V. Ev. Dom. in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. (de Com. or. pr.) com. praec. Dom. et Ss. Mm. - Compl. de Dom.

† 21. Fer. II. *Rub.* **S. MATTHAEI * AP.** *dupl 2. cl.* Off. de Comm. et pr. - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm.) com. seq. ac Ss. Mauritii et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

22. Fer. II. *Alb.* **S. Thomae de Villanova Ep. C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Iudith* (de Dom. praec.) - Lect. 9. et com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. - In Vesp. com. seq. et S. Teclae V. M.

23. Fer. *Rub.* **S. Lini P. M.** *semid.* - Lect. 9. et com. S. Theclae et Suffr. in Laud. (ad Prim. Prec.) et Miss. 3. or. 3. *A cunctis* - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

24. Fer. V *Alb.* **B. M. V. de Mercede** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. - In Miss. Cr. et Praef. B. M. V. - In Vesp. (pr. loc.) nulla com. - Compl. de Dom.

25. Fer. VI. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de fer. a Cap. de seq. com. Ss. Cypriani et Iustiniae V. Mm. et Suffr. - Ad Compl. Prec. - Doxol. *Iesu tibi... Qui natus.*

26. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et. 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. pr. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui natus* et Prec.) Cap. et rel. pr. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. pr. loc.) com. Ss. Cosmae et Damiani Mm. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

✠ 27. **Dom. XVII p. Pent. V Sept.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr, - Ad Laud. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Prim. Symbol. *Quicumque* et Prec. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *A cunctis* Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. Ss. Mm. et Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

28. Fer. II. *Rub.* **S. Wenceslai M.** *semid.* Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom.

† 29. Fer. III. *Alb.* **DEDICATIO S. MICHAELIS ARCH.** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. - In Miss. Cr. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. - Compl. de Dom.

30. Fer. IV. *Alb.* **S. Hieronymi C. D.** *dupl.* - In Miss. Cr. - In Vesp. com. seq.

Consultationes.

E Tilburgo in Hollandia. — **De octavis privilegiatis B. Mariae et S. Francisi Salesii in ecclesiis Sororum a Visitatione.** — Per privilegium concessum Ecclesiis Sororum a Visitatione a S. Sede (4 Aug. 1674), Octava S. Francisci Salesii fundatoris Ordinis, et Octava Visitationis B. Mariae Tituli eiusdem, celebrantur tamquam octavae privilegiatae, ita ut Cappellani earundem Sororum, missam de S. Francisco et de Visitatione respective celebrare possint, per totam eorum octavam. In quibusdam autem notis explicativis nuperrime editis iuxta Bullam « *Divino afflatu* » dicitur, quod Commemoratio huiusmodi ocavarum, praecedere debeat quamcumque aliam commemorationem, quae non sit de aliquo duplici I vel II classis. Quod si infra dictas octavas occurrat aliquod duplex I vel II classis, commemoratio octavae praecedere debet alias commemorationes, excepta commemoratione Dominicae, ad normam novarum rubricarum. Quaeritur ergo: I. Quid intelligitur per Octavam privilegiatam in casu?

II. Quaenam festa excluduntur diebus infra octavam, et die Octava?

Responsum: Supponitur extare revera privilegium citatum a Requirente; attamen, cum Sorores a Visitatione B. Mariae ad officium divinum non sint adscriptae, quia quotidie recitant officium parvum B. Mariae, procul dubio agitur de privilgio concesso tantummodo pro Missa, non vero pro officio. Prout exponitur quaestio, supponitur secundo, quod privilegium se extendat tantummodo ad excludendas missas de sanctis, quae sub ritu semiduplici ac duplici minori vel maiori occurrunt infra dictas octavas; ergo, in casu, agitur de octava privilegiata ad instar octavae

Corporis Christi, quae ante annum 1912 aliquibus locis excludebat festa quae non essent sub ritu saltem duplici II classis. Hisce praemissis, dicendum est, quod Octavae S. Francisci et Visitationis, apud Sorores a Visitatione privilegiatae pertinent ad tertium ordinem inter octavas privilegiatas; scilicet, cum octavae Paschatis et Pentecostes excludant omnia festa etiam I classis, et sint octavae I ordinis; et Octava Epiphaniae admittat tantummodo duplicia I classis, et excludat duplicia II classis, ideoque sit octava II ordinis; Octavae S. Francisci et Visitationis, quae ut supponitur admittunt festa duplicia I et II classis, pertinet ad tertium ordinem; nam Octava Nativitatis Domini, est privilegiata quarti ordinis, quia de ea fit commemoratio etiam in duplicibus I classis, licet admittat quodcumque officium duplex, vel etiam semiduplex, prout erat usque ad Leonem XIII festum s. Thomae Cantuariensis.

Quoniam vero, uti innuimus, privilegium, de quo hic agitur, se extendit tantummodo ad celebrationem missae, Cappellanus, sicut deberet celebrare missam quotidie conventualem, iuxta officium monialium, si officium divinum recitarent, ita in casu ratione privilegii, debet celebrare infra dictas octavas missam de octava, quandocumque non occurrat aliquod festum I vel II classis. Hodie vero post bullam *Divino afflatu* etiam in Dominica, infra dictas Octavas, missam de Dominica, non autem de Octava, celebrabit. Quapropter, uti decernitur de aliis octavis plus minusve privilegiatis, si occurrat aliquod duplex I vel II classis, aut Dominica, in missa de die occurrenti fit commemoratio ipsius octavae, ante commemorationes alias eo die praescriptas; scilicet, etiam ante commemorationem duplicis cuiuscumque simplificati minoris vel maioris. Quando vero occurrat aliquod duplex maius vel minus, aut semiduplex dicenda est a Cappellano missa de octava cum commemoratione duplicis vel semiduplicis occurrentis. Imo infra dictas octavas, nequit Cappellanus celebrare missam ullam ex votivis, neque pro defunctis. Quae autem festa excludantur

diebus infra octavas privilegiatas S. Francisci et Visitationis b. Mariae, liquet ex dictis; scilicet omnia festa, excluduntur, quae saltem non sint sub ritu duplici II classis. Quae vero festa excludantur die octava, nisi explicite aliud exprimatur in privilegio, quod nobis non innotescit, dicendum est quod pariter excluduntur duplicia, quae non sint I vel II classis. Notandum tamen est, quod ut plurimum, dies octava festorum, quorum octava sit privilegiata, aliquid semper habet maioris iuris, quam dies infra octavam, ideoque si infra octavam admittuntur duplicia II classis, in die octava excluduntur; videat ergo Inquisitor utrum in decreto 4 Augusti 1674 concedente privilegium de quo agimus, aliquid dicatur de die octava, et iuxta illud concludat, quid sit agendum in ipsa die octava. P.

E Galicia. — **De duabus Missis votivis Ss. Cordis in eadem ecclesia.** *Quaeritur:* Prima Feria VI mensis in pluribus ecclesiis peraguntur cum consensu Ordinarii variae preces in diversis linguis, v. g. polonice, germanice. Potestne in casu cantari Missa votiva privilegiata de SS. Corde Iesu primo pro una communitate, v. gr. Polonorum. Deinde altera Missa pro communitate Germanorum? Ratio dubitandi est, quia, licet una sit ecclesia, in qua hae devotiones fiunt, in praxi locum tenet duarum ecclesiarum.

Resp. Prouti exponitur casus, videtur quod affirmative sit respondendum; ratio est, quia revera adsunt duo *communitates* seu *congregationes* fidelium, ut ita dicam, quae diverso tempore, in eadem tamen ecclesia, preces in honorem Ss. Cordis Iesu persolvunt ad mentem Leonis XIII facultatem missae votivae concedentis. Sicut enim in Sanctuariis, ad quae accedunt peregrinantes varii fidelium coetus, pro unoquaque diversa hora canitur missa, vel post meridiem canuntur vesperae et datur cum Ss. Sacramento benedictio; sicuti in ecclesia S. Andreae a Valle in Urbe, in octava Epiphaniae plures missae solemniter celebrantur quotidie in diversis ritibus, et vespere plures dantur benedictio-

nes, quia ibi diversi accedunt coetus fidelium, ita et in casu proposito. Et sane; licet enim una sit *ecclesia* materialis, duo sunt *Ecclesiae* fidelium, seu *congregationes* quae in ea convocantur (unde nomen Εκκλησια), ideoque, non sunt in casu accipienda verba decreti in sensu rigoroso de una tantum ecclesia, seu templo materiali, sed de ecclesia mystica, quae est corpus fidelium; favet huic nostrae conclusioni etiam locutio decreti generalis 28 iun. 1899 n. 3712, quod loquitur de *Clero et Populo* qui officiis interveniunt in honorem Ss. Cordi Iesu. P.

Pro N. N. — **De Sanctis Sociis separandis necne.** — Titularis Ecclesiae est S. Cyriacus Mart., qui cum sociis Largo et Smaragdo celebratur in Breviario die 8 Augusti; quaeritur: Socii Largus et Smaragdus suntne separandi a Titulari S. Cyriaco? et si separari debeant, quae lectiones in 2 et 3 nocturno adhibendae pro S. Titulari; et quae in officio sanctorum Largi et Smaragdi?

Responsio. Cum inter sanctos Cyriacum et socios suos *non intercedat necessaria consanguinitatis vel affinitatis ratio,* uti ait nova rubrica (inter notand. 12 post Tres Tabellas), procul dubio socii sunt separandi, ideoque alia die celebrandi sub ritu suo semiduplici, quem habent in breviario. Iuxta enim doctores, non sufficit quod plures sancti eodem die et loco, eademque de causa martyrium subierint (Cf. Cavalerium Tom. I, c. 5, et Meratum sect. III, c. 10, n. 8), sed oportet quod inter se aliquam affinitatem vel consanguinitatem habuerint, cuius rationis sunt ex. gr. Cosmas et Damianus fratres, Symphorosa et eius filii, etc. Cum autem in casu Cyriacus, devinctus non sit huiusmodi vinculis cum suis sociis, agenda est separatio.

In festo porro S. Cyriaci Titularis agendum erit officium de communi unius Martyris cum Oratione propria *ut qui,* cum lectionibus I nocturni *Fratres, debitores* de comm. plurimorum Martyrum; lectio IV propria historica ut in breviario, reliquae lectiones V, VI, nec non VII, VIII et IX de com-

muni 1° loco; ac proinde Missa erit de communi 1° loco *In virtute*, cum evangelio *Si quis venit* e Missa *Statuit* prout passim praescribitur in breviario et in missali pro uno Martyre non Pontifice.

In officio autem de sanctis sociis Largo et Smaragdo, omnia dicenda sunt prout notantur in breviario et in missali die 8 Augusti, omisso tantummodo nomine Cyriaci in orationibus.

P.

Ex Hollandia. — **De Missa in aliquibus oratoriis monialium celebranda.** — In oratoriis monialium aut religiosarum, quae chorale officium recitant v. g. officium Franciscanum, etsi ad hoc non teneantur sub peccato, sed tantum vi Constitutionum, quae non obligant sub peccato, quaeritur an sacerdos oratorio addictus seu rector (aut alius) missam conventualem, ad quam religiosae tenentur, officio earumdem conformem semper dicere teneatur, ita ut nequidem in feriis Quadragesimae pro missa festi dicere possit missam feriae?

Resp. Procul dubio cappellanus, de quo in casu proposito, numquam potest celebrare missam conventualem monialium; nisi prouti notatur in earum calendario. Licet enim moniales de quibus agitur, tantummodo vi Constitutionum Ordinis, ita ut non peccent mortaliter si non recitant officium, ad illud tenentur; nihilominus, si revera iuxta Constitutionem suam officium divinum recitant, capellanus missam de die, et quidem post horam a Rubricis praescriptam, omnino celebrare debet; cum notum sit, missam conventualem esse partem principalem totius officii diei. Ideo in Quadragesima cappellano liberum non est celebrare missam de feria vel de sancto, sed missam officio monialium convenientem prorsus celebrare debet.

P.

BREVIORA RESPONSA

Pro Monte Vico. — Feria in quam anticipatur officium Dominicae, iuxta praesentem disciplinam, non perdit suum proprium typum; ideoque in Missa non dicitur *Credo,* neque ratione Dominicae, neque ratione octavae forte commemoratae; schema ferialis Missae nequit umquam immutari, prout mutatur schema Missae festivae, quae *Credo* aliquando admittit.

Pro Utino. — Quae in nostris Ephemeridibus diximus circa Vicarium generalem subdelegantem ad benedicendam sacram supellectilem, ex hac consideratione roborantur: quia non constabat, facultatem huiusmodi esse *habitualem,* de qua tantum loquuntur Decreta S. Officii 24 nov. 1897 — 20 april. 1898 — 3 maii 1899, et 5 sept. 1900; et revera S. Officium declaravit, facultates habituales mittendas esse ad *Ordinarium* non ad *Episcopum* N. et N.; atqui in casu desiderabatur haec locutio, ergo.....

Pro Dioecesi Caiacen. — Canonicus cathedralis, Magistri caeremoniarum Episcopi munere fungens in Pontificalibus in ipsa cathedrali celebratis, lucratur, absque dubio, distributiones chorales, quemodmodum eas lucratur canonicus, qui munere fungitur v. g. Presbyteri assistentis vel Diaconi, neque obstat habitus diversitas, quia unusquisque eo habitu qui ei convenit assistit. Ceterum id munus minime canonicis prohibetur: ergo..... Ita resolvit S. R. C. n. 3398, II, ubi citat Decretum S. C. Concilii, diei 27 iulii 1839, in Pisana, ad VIII.

Pro « Oudorp » in Hollandia. — An feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae, libera sit pro commemoratione generaliter pro defunctis die 1ª non impedita mensis facienda iuxta rubr. gen. Missalis Tit. V, et pro oratione pro defunctis pro quibus Sacrificium applicatur iuxta novas rubr. Tit. X, 5?

Resp. Affirmative; quamvis rubrica Missalis, tit. cit. non loquatur de Missa Dominicae anticipatae: quoad primum

casum, constat ipsis verbis rubricae, quae ad Dominicam anticipatam referri possunt, quando loquitur de die non impedita a festo duplici vel semiduplici; quoad secundum, clare patet ex verbis novarum Rubricarum, loco in dubio citato, et n. 2.

Pro Dertusa in Hispania. — Occasione data ex responsis inter breviora fasciculi *Ephem. Liturg.* 1. Ian. huius anni, ad X et XIII, putat R. Consociatus noster hanc adducere rationem, pro velamine *non* apponendo ante venerabile Sacramentum expositum dum habetur concio praecipue de ipso Sacramento, et ait: « Hac in regione fideles ad concionem audiendam, licet factam e suggestu, situm non mutant nec faciem ab Altari avertunt, sed stant vel sedent aut genuflectunt prout in ceteris functionis partibus, ita ut ex concione nulla prorsus sequatur irreverentia erga Sacramentum; quin potius haec maxime excitetur, praecipue si de ipso Sacramento sit concio. Cum vero in responsione XIII citata, et in alia earumdem *Ephem.* (an. 1909, pag. 290, ad III) praecipua ratio appositionis veli videatur reverentia erga Venerabile consulenda, hac non deficiente, veli obligatio fortasse non esset urgenda; ideoque in hac ultima responsione citata excipitur casus brevis conciunculae quae *fervorino* nuncupatur ». Sed animadvertimus: 1° Non esse sufficientem rationem quod se ita gerat populus; 2° velum esse apponendum iuxta Decretum S. R. C. n. 3728, II, si concio non sit simplex *fervorino,* sed homilia post Evangelium (Dec. cit.), vel oratio v. gr. apologetica: si autem ageretur de vero et simplici *fervorino,* tunc standum Decreto S. R. C. n. 3599, II, quod illum permittit et nil dicit de velo.

II. Utrum necne servari possit consuetudo generalis in Hispania solemniter exponendi Venerabile non in throno, sed in tabernaculis immobiliter positis in eminentiori loco Altaris et ad hoc tantum destinatis, considerandum est an haec tabernacula sint revera ad instar throni confecta, et non impediant Crucis locum, iuxta Decretum S. R. C. n. 4268, IV; tunc enim tolerari queunt.

III. Die 31 maii, celebratur in Hispania Festum B. M. V. Reginae Sanctorum Omnium, ritu dup. II cl. cum privilegio illud anticipandi, casu quo impediatur, in diem primam liberam a festo dupl. I et II cl., ne celebretur extra mensem maium: non obstat, ut in posterum ita fiat, rubrica novi Psalterii, Tit. III, n. 3. Etenim privilegia particularia quae substantialiter non opponuntur novis rubricis nullimode abolita censenda sunt.

IV. Licita non est publicatio indulgentiarum, de qua Caeremon. Episcoporum L. I, cap. XXV, lingua vernacula: sed licebit post emissam formulam sermone latino, ut in Caeremoniali, eamdem repetere lingua vernacula ad populi intelligentiam, quemadmodum faciendum praescribitur pro lectione litterarum apostolicarum ad Indulgentias publicandas, quas cum benedictione nomine Summi Pontificis, Episcopi bis in anno concedere solent.

Pro Dioecesi Bredana. — Canonici Ecclesiae Cathedralis sunt cum veri Canonici tum veri Parochi vel alterius Ecclesiae servitio addicti, et ante rubricarum reformationem commemorationem utriusque Tituli, nempe Cathedralis et alterius Ecclesiae inter suffragia facere debuerunt. Hodie vero, in unico Suffragio de omnibus Sanctis iidem Canonici-Parochi ad litteram N. exprimere debent non tantum nomen Tituli Ecclesiae, cuius servitio sunt adscripti, sed etiam nomen Tituli Cathedralis: applicantur enim in casu regulae quae habebantur antea, eo modo quo novae rubricae et Decreta ferunt.

Pro Hasseleto in Belgio. — Ex Decreto S. R. C. 23 April. 1875, *Lisbonen.* n. 3350, in Missa cantata sine ministris sacris, si nullus adsit clericus inserviens, qui superpelliceo indutus Epistolam decantet iuxta rubricas, satius erit quod Epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante. Ex his ultimis verbis nequit concludi Epistolam non alta voce, sed quasi submissa, legi posse dum interea organa pulsantur; quia organi sociatus tunc prohibetur sive ex regulis pro Missis cum cantu, sive ex aliis pro Missis lectis, ut finis

rubricae, praecipientis aliqua clara voce dicenda, apprime attingatur, ut scilicet, *quod dicitur*, respective *audiatur*.

Nota pro R. Inquirente. Decretum S. R. C. diei 21 Iunii 1912, VI loquitur de *occurrentia perpetua* Duplicis minoris cum vigilia Epiphaniae, non vero de concurrentia. Ideo nihil in specimine Kalendarii, quod vulgavimus, reprehendendum est die 4 Ianuarii. Ceterum privilegium vigiliae Epiphaniae perspicuum est.

Pro Messana. — Sacerdotes nulli ecclesiae addicti nullum sanctum nominare *debent* in Suffragio, uti titularem; sed *possunt*, ratione subiectionis cathedrali, huius sanctum titularem nominare.

Pro Avila. — I. Rubrica Missalis, Tit. V, n. 2, praescribit ut diebus quibus resumatur Missa Dominicae praecedentis impedita, in Cathedralibus dicantur duae Missae, altera de Requie, altera de Dominica. Novae Rubricae e contra prohibent Missas de Requie privatas feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae (Tit. X, n. 2). Quaeritur, An in Cathedralibus praeter Missam de Dominica alia Missa de Requie dici debeat in praedictis diebus?

Resp. Affirmative, extra chorum, quia haec Missa de requie non est privata, sed manet cum privilegiis conventualis.

II. Dominica II post Epiphaniam anticipari debet etiam in diem ritus duplicis maioris. Hic dies primus dies liber mensis esse videtur quamvis Duplex commemoratur. An die hoc Missa de Requie dici debet iuxta Rubricas Missalis, vel omitti secundum Novas Rubricas?

Resp. Casus iste novus est, sed videtur affirmativa sententia resolvendus, et ut in resp. ad I. Non audemus tamen contradicere oppositae sententiae.

III. Nunc Missa 2ª de feria in Cathedralibus videtur esse privata. An in hac Missa fieri debet commemoratio de officio diei et in Missa de die commemoratio de feria?

Resp. Negandum omnino est, hanc Missam esse privatam, quia obligatio chori imminuta, nihil characteri eiusmodi Missae detraxit.

IV. Num in feria IV Cinerum, si duplex commemoretur, omitti debeat Suffrag. Sanctorum in Officio, et 3 or. in Missa?

Resp. Si consideratur novissima *(reformata)* rubrica, Suffragium, videtur non esse omittendum (sed vide Menghini *Norme etc.* 3ª ed. pagg. 8 et 27).

V. Quaenam esse debet conclus. hymnorum in Dominica quae occurrit infra oct. Immacul. Conceptionis B. M. V.?

Resp. Conclusio quae in Breviario exhibetur; 1° ad vitandam contradictionem: *Qui natus - Qui venturus*, qui ultimus versiculus profecto dicendus est in casu, 2° quia sic decrevit S. R. C. in casu festi commemorati de B. M. V. (Menghini *Norme etc.* pagg. 42, 43).

Pro loco N. — I. Occurrente Titulari Ecclesiae, Inventione S. Crucis (d. I cl. cum Oct.), cum festo Solemnitatis S. Ioseph (Dom. 3 p. Pascha) transfertur festum Titularis non autem Solemnitas S. Ioseph, eo quod haec ultima est de festis solemnioribus I classis Ecclesiae universalis, quae nulli alii festo cedunt, etiam personali dignitate potiori.

II. Occurrente Anniversario Dedicationis Ecclesiae (d. I cl. cum Oct.) cum Sancto Titulari Ecclesiae eiusdem (d. I cl. cum Oct.), fit de Anniversario Dedicationis Ecclesiae, non vero de Titulari, quia haec duo festa sunt in eodem gradu, sed dignitas personalis praevalet in Dedicatione.

III. Decretum S. R. Congr. diei 6 Dec. 1912 ad 2, dicit: Celebranda est Missa principalis de S. Maria in Sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicae praecedentis, et in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis post Primam et extra Chorum celebranda est sine cantu Missa pro Defunctis, si Sabbatum istud in quo dicitur Offic. B. M. V. in Sabbato est dies prima libera mensis; dicitur in hac Missa de B. M. V. ab omnibus 2. or. *Fidelium* 3. *Deus, qui corda*, iuxta Rubricam gen. Missalis, tit. V., n. 1, in fine.

Pro Annecio aliisque locis. — I. Circa Missas cum cantu pro defunctis, nihil per novas rubricas immutatum est (Tit. X, n. 5); ergo etiam Indulta, quae cantatas Missas de requie spectant, sive

extra sive intra tempus quadragesimale, integra manent. Res igitur etiamnum componendae sunt *iuxta terminos* ipsorum Indultorum, ut prius.

II. Iuxta S. R. C. decretum n. 3049 ad 11^{m}, a supradicta concessione exclusa non erat Vigilia Epiphaniae. Nunc autem res aliter se habet. Dictum est enim per decretum S. R. C. 21 iunii 1912, ipsam Vigiliam privilegiorum Dominicae esse participem.

Varia de re liturgica.

I. — **De Absolutione Generali et Benedictione cum Indulgentia plenaria.**

Vi Indulti Apostolici existit inter I, II et III Ordinem, etiam saecularem, S. P. Francisci mutua communicatio *Indulgentiarum et fructuum spiritualium*. Hinc quaeritur: quaenam formula Absolutionis adhibenda sit pro Religiosis, diebus quibus ipsi ex communicatione cum Tertiariis saecularibus eam recipere possunt; ac contra, per quam formulam impertienda sit Absolutio generalis Tertiariis saecularibus diebus quibus hi vi communicationis cum Religiosis eam recipere valent?

Resp. Circa hanc quaestionem cl. P. Vermeersch in suis « *Periodicis de Religiosis et Missionariis* » (tom. VII, n. 3, pag. 4 et 5) sequentia dicit: « *hanc putamus esse vim communicationis indulgentiarum et fructuum spiritualium, ut ipsam absolutionis formam mutuo communicet* ». Idem auctor suam opinionem ita probare conatur: « Quod non tantum per se probandum videtur, sed etiam responsis S. Sedis confirmari potest. Postquam enim, die 18 Aug. 1903, religiosae Tertiariorum communitates indulgentias duorum priorum Ordinum participare coeperunt, S. C. Indulgentiarum, responso 11 Novembris 1903, quo prius responsum 10 Dec. 1885 retractavit, declaravit communitatibus istis utendum iam esse prima formula absolutionis, id est regularium. Idque fecit, « attento decreto 28 Aug. 1903 », quo Tertiarii in communitate viventes communicare coeperunt in indulgentiis duorum priorum Ordinum. Quare Beringer, *Die Ablässe*, p. 38*, communionem formulae in communione indulgentiarum inniti diserte declaravit. Quod si ita res se habet, mutua omnium

indulgentiarum communicatio etiam mutuam formularum communicationem inducere videtur ».

Huic cl. doctique canonistae opinioni liceat aliam opponere, unice veritatis causa, eamque lectorum harum Ephemeridum iudicio submittere, ut videant quaenam ex his duabus opinionibus magis probabilis sit censenda.

Mea sententia est quod, vi communicationis mutuae Indulgentiarum et fructuum spiritualium, sine speciali S. Sedis indulto, mutua Absolutionis formula adhiberi non potest. En argumenta mea:

I. In Brevi Apostolico Leonis Pp. XIII, d. 7 Iulii 1882 (Decr. auth. S. R. C., n. 3550), pro Regularibus cuiuscumque Ordinis atque pro Tertiariis saecularibus, etc., sequentes duae formulae praescribuntur, abrogatis penitus et suppressis quibusque aliis formulis hucusque usitatis: 1ª est formula *Absolutionis generalis pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus*, cuius prima verba sunt: « *Ne reminiscaris, Domine* ». — 2ªᵉ formulae, incipienti « *Intret oratio mea* », praemittuntur sequentia verba: « *Formula Benedictionis cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis saecularibus* CETERISQUE OMNIBUS COMMUNICATIONEM PRIVILEGIORUM ET GRATIARUM CUM IISDEM VEL CUM REGULARIBUS CUIUSCUMQUE ORDINIS HABENTIBUS ». — Ergo iuxta Breve Leonis XIII haec secunda formula adhibenda est non solum pro Tertiariis *saecularibus*, sed etiam *pro ceteris omnibus qui communicationem privilegiorum et gratiarum habent cum Tertiariis saecularibus, vel cum Regularibus cuiuscumque Ordinis*. Nonne haec verba clare indicant in casu hanc secundam formulam adhibendam esse pro omnibus, sive ipsi sint Tertiarii saeculares, sive quicumque Regulares, qui statis diebus ius habent ad Absolutionem generalem vel Benedictionem cum Indulgentia plenaria *vi communicationis privilegiorum et gratiarum?*

II. Prima formula Absolutionis generalis *pro Regularibus cuiuscumque Ordinis hoc privilegio fruentibus* continet non solum Indulgentiam plenariam, « *Concedens vobis* (dicit Sacerdos) *remissionem et indulgentiam omnium peccatorum quibus contra*

Deum et proximum fragilitate humana vel malitia deliquistis ac de quibus iam confessi estis », sed continet insuper Absolutionem a censuris, ab omni transgressione votorum, regulae, constitutionum, ordinationum et admonitionum maiorum nostrorum, necnon Absolutionem ab omnibus poenitentiis oblitis et neglectis. Quae verba certissime non invanum proferuntur et a S. Sede in hac Absolutione non frustra inserta fuerunt. Praefata itaque Absolutio plus continet quam quamdam Indulgentiam plenariam seu quemdam fructum spiritualem, ad quod Tertiarii saeculares ius non habent vi eorum communicationis cum Regularibus. Et nonne in magna parte verba dictae Absolutionis, v. g. a transgressione votorum, constitutionum etc., omnino ridicula et frustanea essent pro Tertiariis saecularibus, cum ipsi vota non emittant, nec constitutiones, ordinationes etc. habeant?

III. Cum cl. P. Vermeersch praesertim triplici S. C. Indulg. Decreto nitatur ad affirmandum in communicatione mutua Indulgentiarum etiam includi mutuam communicationem formularum Absolutionis, hinc necessarium iudico ea Decreta in extenso hic afferre, et deinde videbimus quomodo ea intelligenda sint.

a) Vicarius Generalis Oranensis Dioecesis S. Congregationi Indulgentiarum exponebat: piam Sororum Societatem a Ss. Trinitate nuncupatam, et uti *Congregationem votorum simplicium* a S. Sede approbatam, plurimas habere domos in Oranensi Dioecesi: eamdem Societatem aggregatam fuisse Ordini Fratrum Discalceatorum Ss. Trinitatis: huius aggregationis vi Sororibus dandam esse novies in anno aut Absolutionem generalem, aut Benedictionem cum Indulgentia plenaria; sed disceptationem haberi de formula, quae in iisdem impertiendis adhiberi debeat post editas Apostolicas Litteras in forma Brevis die 7 Iulii 1882, quae incipiunt: « *Quo universi* ». Hinc a S. Congr. quaerebat: Quaenam formula adhibenda sit in casu? — Et S. Congregatio die 18 Decembris 1885 respondit: *Adhibendam esse formulam secundam,* cuius videlicet initium: *Intret oratio mea in*

conspectu tuo etc. — Quam responsionem die sequenti approbavit Summus Pontifex Leo XIII (*Acta S. Sedis*, vol. XVIII, pag. 413; *Nouv. Revue Théol.*, tom. XVIII, p. 259).

b) Petrus Oomen, Procurator Generalis Congregationis Ss. Redemptoris, S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium dirimendum proposuit: Utrum in impertienda Absolutione Generali iis Tertiariis, qui *in communitate degunt votaque simplicia* nuncupant, adhibenda sit prima formula: *Ne reminiscaris*, an potius altera: *Intret oratio?* — Et sacra Congregatio respondendum mandavit: Attento Decreto diei 28 Augusti 1903 (1) pro

(1) Hoc Decretum ita sonat: « An generali dispositione omnibus Institutis Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium ab Apostolica Sede sint concedendae indulgentiae primo et secundo Ordini respective propriae? » — S. C. Indulg. resp.: « *Affirmative* ». Die 28 Aug. 1903. — Sanctitas Sua hoc Decretum confirmavit, decrevitque: 1° Ut Instituta Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus, a quibus nomen et habitum mutuantur, legitime sint aggregati, participent omnes Indulgentias a Romanis Pontificibus primis et secundis Ordinibus *directe* tantum concessas; — 2° Ut eorumdem Ecclesiae eisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur; — 3° Ut aliae Indulgentiae huiusmodi tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sint propriae ».

« Occasione istius responsionis novum dubium exortum est, scilicet: « Num quando agitur de lucrandis praefatis Indulgentiis sub nomine *Ecclesiae* Tertiariorum veniant non solum Oratoria publica, sed etiam semipublica, in quibus ex Decreto S. Rit. Congr. d. 23 Ian. 1899, non modo qui sunt de communitate, sed alii etiam Christifideles satisfacere queunt diebus festis praecepto audiendi Sacrum? » — S. C. Indulg. resp.: « Negative et supplicandum SS.mo, ut benigne extendere dignetur etiam ad Oratoria semipublica Tertiariorum privilegium lucrandi Indulgentias, de quibus in casu, sed favore tantum eorumdem Tertiariorum ceterarumque personarum cum ipsis in communitate degentium ». — SS.mus et responsionem confirmavit et petitam extensionem concessit. Die 23

Tertiariis in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus adhibenda est prima formula: *Ne reminiscaris* (Die 11 Novembris 1903: *Nouv. Revue Théol.*, tom. XXXVI, p. 36; Acta Ord. Minor., ann. XXIII, p. 89). — Ita cl. P. Petrus Mocchegiani, *Iurisprud. Ecclesiast.*, tom. II, n. 704.

Quoad intelligentiam horum Decretorum, triplex afferri potest sententia:

1ª Sententia est cl. P. Vermeersch (in Op. et loc. cit.); ipse dicit: « Postquam enim, die 18 Aug. 1903, religiosae Tertiariorum communitates indulgentias duorum priorum Ordinum participare coeperunt, S. C. Indulgentiarum, *responso 11 Nov. 1903, quo prius responsum 19 Dec. 1885* **retractavit,** *declaravit, communitatibus istis utendum iam esse prima formula, i. e. Regularium* ».

Illa sententia cl. P. Vermeersch mihi nullimode placet, quia iuxta me in explanandis Ss. Romanarum Congregationum Decretis servanda sunt universalia Iuris Canonici praescripta, inter alia nempe: 1. « *Cum expediat concordare iura iuribus, eorum correctiones si sustineri valeant, evitari* » (C. *Cum expediat*, 29, *De electione* etc. in 6°); — 2. Iuristarum axioma: « *Non censetur plus de priori lege mutatum, quam est expressum in posteriori* ». — Cum autem duo praefata Decreta rite concordari possint, uti videbimus infra, et in posteriori Decreto nihil reperiatur expressum de mutatione prioris Decreti, en rationem ob quam sententiam cl. P. Vermeersch circa hunc punctum admittere non valeo.

2ª Sententia est cl. P. Petri Mocchegiani qui (in suo Opere cit., tom. II, n. 704) ea de re sequentia habet: « Haec autem resolutio *(scilicet S. C. Indulg. d. 11 Nov. 1903)* minime concordat cum resolutione *(eiusdem S. C. Ind. d. 18 Dec. 1885)*, a Summo Pontifice *approbata*, quaeque ceteroquin

---

Mart. 1905 (Vide B. Oietti, *Synops. Rerum Moral. et Iur. Pontif.*, tom. III, verb. *Tertiarii*, n. 3937).

Vide ibidem etiam Indultum S. C. Episc. et Regul. d. 18 Nov. 1905, Ministro Generali Ord. Capuccinor. concessum, de huiusmodi aggregatione Tertiariorum primo et secundo Ordini.

non reperitur expresse revocata. Ergo dubium *a multis propositum* circa formulam Absolutionis generalis adhibendam *pro Congregationibus votorum simplicium*, adhuc subsistit. — Porro, liceat nobis super re opinionem nostram pandere. — Quando anno 1885 lata fuit declaratio (in resolutione d. 18 Dec.) descripta, Congregationes *votorum simplicium* nondum recognitae fuerant et nuncupatae *formales* seu *verae religiosae Congregationes votorum simplicium*, sed tantum *piae Sodalitates*. Anno vero 1889 die 11 Aug. in Decreto S. Congr. Ep. et Regul. cuius initium est: *Ecclesia Catholica* (Collect. Indulg. n. 1359; Lib. V huius Oper., n. 654) et in Constitutione *Conditae a Christo* a nobis relata in Lib. IV, n. 655, praedictis Congregationibus votorum simplicium a S. Sede approbatis tribuitur denominatio « *religiosae Congregationes* » et etiam *formales* seu *verae religiosae Congregationes votorum simplicium*. Per citatam autem Constit. *Conditae*, ius commune et uniforme pro ipsis constitutum est in Ecclesia Dei. — Ex quo sequi videtur, quod in impertienda praefatis Religiosis Absolutione Generali, si hoc privilegio gaudeant, congruentius adhibeatur formula, quae incipit « *Ne reminiscaris* » pro Regularibus praescripta.

« Insuper per Decretum diei 28 Augusti 1903, quod *(supra)* retulimus, Tertiarii de quibus hic loquimur, *aequiparantur quoad Indulgentias Regularibus primi et secundi Ordinis*. Ergo congruum est, ut iisdem modis, id est *eadem formula* in casu nostro assequantur Indulgentias. — Tandem notetur, Decretum diei 18 Decembris 1885, datum esse *in casu* ac proinde non generale, sed particulare fuisse, dum contra responsum in *b) (i. e. 11 Nov. 1903)* generale est. Approbatio autem Summi Pontificis relate ad cit. Decretum anno 1885, cum non in forma speciali, si ita dicere licet, at *communi* concessa fuerit, praemissis animadversionibus non obstat, siquidem approbatio taliter facta vim Decreti substantialiter seu intrinsece non auget, seu Decreti S. Congregationis naturam haud mutat. — Unde infertur, in Absolutione Generali Tertiariis in communitate degentibus et

vota simplicia nuncupantibus impertienda, adhibendam esse (attento Decreto d. 28 Aug. 1903 a Summo Pontifice Pio X *approbato et confirmato*) primam formulam *Ne reminiscaris*, et hoc sit responsum ad praemissum dubium » (Ita cl. P. Petrus Mocchegiani, l. c.).

Hanc alteram sententiam, scilicet cl. P. Petri Mocchegiani, de intelligentia Decretorum in casu, pariter admittere non possum. Rationes, ob quas eam reiicere debeo, sunt praecipue sequentes :

1° In Decreto S. C. Indulg. d. 18 Dec. 1885 agitur de pia Congregatione Sororum a Ss. Trinitate nuncupata, quae uti *Congregatio votorum simplicium a S. Sede approbata fuit* (N. B. hoc explicite dici in ipso Decreto). Quam recognitionem et approbationem apostolicam illae Sorores certe non amiserunt, nec per Decretum S. Congregationis Episc. et Regul. d. 11 Aug. 1889, incip. *Ecclesia Catholica*, neque per Constit. *Conditae a Christo* Leonis Pp. XIII d. 8 Decembris 1900. — Ex quo sequitur, quod si in impertienda Absolutione Generali Sororibus *Congregationum Votorum simplicium* (quae vere *formales*, seu *verae religiosae Congregationes votorum simplicium*, seu, uti hodiedum vocantur, *Iuris Pontificii* sunt, utpote recognitae ceu Congregationes votorum simplicium et uti tales a S. Sede approbatae) congruentius adhibeatur (iuxta cl. P. Petrum Mocchegiani) formula, quae incipit « *Ne reminiscaris* » pro Regularibus praescripta, tunc certe haec formula adhiberi oportet pro illis Sororibus, de quibus loquitur Decretum S. C. Indulg. d. 18 Dec. 1885. Nihilominus responsum huius Decreti est: « *Adhibendam esse formulam secundam* » (scilicet Tertiariorum saecularium). Si ergo concludi nolumus huic Decreto derogatum fuisse per alterum subsequens, diei scilicet 11 Nov. 1903, vel unum Decretum alteri esse oppositum, dicere debemus explicationem duorum Decretorum in casu, a cl. P. Petro Mocchegiani excogitatam, nihil valere.

2° Insuper cl. P. Petrus Mocchegiani dicit: « Per Decretum d. 28 Aug. 1903 *(supra allatum in nota)* Tertiarii,

de quibus hic loquimur (*scilicet de iis qui hodiedum sunt* Iuris Pontificii), aequiparantur quoad Indulgentias Regularibus primi et secundi Ordinis. Ergo congruum est, ut iisdem modis, i. e. eadem formula in casu nostro assequantur Indulgentias », ut nempe pro Absolutione generali impertienda (ad quam ipsi ius habent vi eorum aggregationis 1° et 2° Ordini) utantur prima formula, i. e. Regularium. — Hic iterum respondendum est, quod si res ita se habet, tunc pro impertienda Absolutione generali dictis Sororibus, de quibus loquitur Decretum S. C. Indulg. d. 18 Dec. 1885, adhiberi oportet prima formula, i. e. Regularium. In hoc enim Decreto expresse dicitur: « *huius aggregrationis vi Sororibus dandam esse novies in anno aut Absolutionem generalem, aut Benedictionem cum Indulgentia plenaria* ». Nihilominus S. Congregatio resolvit: « *Adhibendam esse formulam secundam* » (scilicet Tertiariorum saecularium). Conclusio itaque hic iterum eadem est ac supra in 1°.

3° Tandem cl. P. Petrus Mocchegiani observat: *a)* Decretum d. 18 Dec. 1885 esse particulare, alterum autem (d. 11 Nov. 1903) esse generale; — *b)* Approbationem Decreti anni 1885 a Summo Pontifice non esse in forma speciali, sed *communi* concessam, et consequenter Decreti S. Congregationis naturam non mutare. — Ad haec respondemus:

a) Iuxta me, tum Decretum anni 1885 (18 Dec.) tum illud 1903 (11 Nov.) sub quodam respectu dici potest *particulare,* siquidem ambo Decreta fuerint edita seu sint responsa ad postulata personae particularis; sed sub alio respectu utraque responsa pariter dici possunt *generalia* seu *aequivalenter generalia,* nempe illud anni 1885, quo petitur: qualis formula adhibenda sit pro impertienda Absolutione generali Sororibus Congregationum simplicium, quae uti tales a S. Sede approbatae sunt, et vi aggregationis primo Ordini (scilicet Fratrum Discalceatorum Ss. Trinitatis) novies in anno ius habent ad Absolutionem generalem aut Benedictionem cum Indulgentia plenaria? Et in hoc sensu S. Congregatio respondit: « *Adhibendam esse formulam secundam* ».

Item illud Decretum d. 11 Nov. 1903 uti *generale* considerari potest; ibi enim ipsa S. Congregatio dat responsum generale, dicens: « Pro Tertiariis in communitate degentibus et vota simplicia nuncupantibus adhibenda est prima formula « *Ne reminiscaris* », i. e. formula Regularium.

b) Quod attinet ad adprobationem Decreti anni 1885, a Summo Pontifice factam, quamvis fuerit concessa in forma *communi* et naturam ipsius Decreti non mutet, ea adprobatio tamen dat robur et valorem iuridicum, ita ut iuxta me eiusmodi Decretum a S. Congregatione per alterum subsequens Decretum non sit revocandum, quin de eo prius fiat relatio ad summum Pontificem.

3ª **Sententia** est auctoris huius articuli, quam Lectoribus harum Ephemeridum submittere volo tamquam magis probabilem, utpote magis conformem utrique Decreto in casu, necnon Brevi Apostolico « *Quo universi* » Leonis Pp. XIII, d. 7 Iulii 1882.

Hanc sententiam ita exprimo: *prima* formula Absolutionis generalis adhibenda est pro omnibus Regularibus et Religiosis cuiuscumque Ordinis seu Instituti Iuris pontificii, quibus eae Absolutiones *directe* fuerunt concessae; *secunda* autem formula pro omnibus Tertiariis saecularibus et pro ceteris quibuscumque (cuiusvis Ordinis vel Instituti religiosis), qui ius habent ad illas Absolutiones modo *indirecto*, scilicet vi communicationis seu aggregationis alii Ordini.

In Decreto enim d. 28 Aug. 1903, ubi agitur de debita aggregatione Tertiariorum in communitate degentium et vota simplicia emittentium statuitur inter alia, quod si eiusmodi Instituta sint legitime aggregata primo et secundo Ordini, participent omnes Indulgentias a Romanis Pontificibus primo et secundo Ordini directe tantum concessas. Consequenter talia Instituta ius habent *vi aggregationis seu communicationis cum primo et secundo Ordine* ad omnes Absolutiones generales quae istis Ordinibus directe sunt concessae. Idcirco iuxta Breve Apost. « *Quo universi* » Leonis XIII d. 7 Iulii 1882, et iuxta ipsum Decretum S. C. Indulg.

d. 18 Dec. 1885, pro eiusmodi Tertiariis adhibenda est secunda formula, i. e. Tertiariorum saecularium.

Attentis autem Decretis d. 28 Aug. 1903 et d. 18 Nov. 1885, necnon Brevi Apost.: « *Quo universi* » Leonis XIII, iure merito inferri potest in Decreto S. C. Indulg. d. 11 Nov. 1903 quaestionem esse debere de iis Absolutionibus generalibus quae iis Tertiariis *directe*, et non vi communicationis seu aggregationis, a S. Sede concessae fuerunt; et tunc pro impertienda huiusmodi Absolutione adhibenda est prima formula seu Regularium. — En meam explicationem Decretorum in casu.

Pro coronide adhuc hic adiungere cupio: id quod dicit Beringer (*Les Indulgences*, etc., 77, App. II), nempe quod vi indulti S. R. C. d. 22 Martii 1905 Absolutio generalis Religiosis dari potest *privatim*, immediate post Absolutionem sacramentalem, cum formula brevi, in favorem Tertiariorum saecularium concessa, id sententiae meae nullimode officit seu illam infringit; e contra magis confirmat; si enim Regulares vi communicationis Indulgentiarum cum Tertiariis saecularibus gauderent mutua communicatione formularum, illud indultum omnino inutile esset. Insuper ego quoque firmiter teneo S. Sedem in praesentibus vigentibus legibus, ad hanc materiam spectantibus, dispensare easque mutare posse; sed quod vi indulti d. 22 Mart. 1905 in lege Brevis Apostolici « *Quo universi* » Leonis XIII d. 7 Iulii 1882 iam dispensatum sit, ita ut in communicatione Indulgentiarum communio formulae includatur, id Beringer (*loc. cit.*) nullimode dicit, nec ex praefato indulto deduci potest.

P. V. ab A.

II. — De consuetudine *contra legem* in iure Liturgico Romano iuxta praesentem disciplinam.

(*Continuatio (IV)*, v. n. Ian., pagg. 33-40)

Revera, ut silentio praetereamus Brevia Pii V (17 decemb. 1579), Gregorii XIII (30 dec. 1583), Clementis VIII (14 iul. 1600), Hispaniarum regnis data; Clementis VIII (14 iul. 1600), in fronte Caeremonialis; Pauli V (17 iun. 1614), initio Ritualis, memorasse sufficiat locum citatum Gavanti (Thesaurus SS. Rituum, t. II, sect. X, c. 2), « Laudabiles consuetudines... non tolli a Caeremoniali Romano, nec a Rubricis Breviarii saepius declaravit S. R. C. » (cf. *Decret. Auth.* 5 iul. 1603, 10 ianuar. 1604, 11 iun. 1605, 16 iul. 1605, 17 iun. 1606, 7 iul. 1612, 17 sept. 1612, 28 ian. 1612; et Catalanum in *Commentar. in Caerem. Episc.* in praef.). Praeclara exempla praeterea adprobationis vel tolerantiae quarumdam consuetudinum locorum, quamquam praescriptionibus liturgicis plus minus adversantium, praeterquam in decretis modo citatis, habemus in decisionibus etiam recentioribus eiusdem S. R. Congregationis et aliarum SS. Congregationum Romanarum, praesertim in sequentibus: 27 febr. 1847 (n. 2935), in Massen.; 15 febr. 1873 (n. 3287), in Salisburgen.; 17 sept. 1822 (n. 2623), in Tridentina; 14 iunii 1873 (n. 3303), in Firmana; 22 apr. 1871 (3248) ad I., in Urgellen.; 26 apr. 1898 (n. 3991), Nullius Montis Cassini; 9 iunii 1899 (4029), Dubiorum; 21 iul. 1855 in Briocen. (3035 ad 7); 30 iul. 1910, in Tunquen; 31 maii 1911, Quinque Ecclesiarum, et in aliis responsionibus *omnino particularibus*, etiam ultimis annis datis, sed, pro eorum indole, publici iuris non factis.

Merito proinde haec docet Wernz (III, p. II, pg. 14) circa praxim S. R. C.: « ... aliae consuetudines in sese rationabiles et longaevae licet iuri communi contrariae a S. R. C. ob iustas causas non raro fuerunt *approbatae*, cum aliae omnino reprobarentur ».

Tandem igitur concludere liceat, nec ex Constitutionibus Apostolicis, nec ex Decretis S. R. Congregationis, nec ex hodierna R. Curiae praxi statui posse, consuetudinem *contra legem* in disciplina liturgica a communi regula canonica de valore consuetudinis, generatim *excipi* debere.

Nec satis: argumentum ad tuendum valorem consuetudinis *contra legem*, etiam in iure liturgico, in genere, desumimus ultimo loco ex ipsis S. Sedis actibus et constitutionibus. In medium afferre possumus textus decretorum qui applicationi, in iure liturgico, principii canonici circa consuetudinem, apertissime et expresse favent, simulque demonstrant hanc esse mentem supremae auctoritatis ecclesiasticae, scilicet consuetudines contra legem liturgicam a priori non excludi, sed fieri posse quod particularibus in casibus, praevio examine, etiam nunc approbentur.

Revera Innocentius XIII, in brevi iam citato *Apostolici Ministerii,* ut vidimus, statuit: « *consuetudinem etiam immemorabilem* (contra Caeremoniale Epp. et a pari contra alios libros liturgicos) *suffragari* DE IURE *non posse,* (si Episcopi) *recognoverint aut eam non satis probari, aut... irrationabilem* ». Ergo Innocentius applicat in rebus liturgicis regulam iuris communis de consuetudine, ac supponit consuetudines rationabiles et legitime praescriptas vim habere etiam, positis ponendis, contra rubricas.

Ulterius habemus varia decreta S. Sedis, non parvi momenti in re nostra. Primum datum fuit in Conimbricen., die 14 aprilis 1753 (*Coll. Auth.* S. R. C. n. 2424). S. Congregatio ad quaestionem: « *An... toleranda sit asserta consuetudo cantandi unicam Missam, aliamque legendi iis diebus quibus a Rubrica duae praecipiuntur Missae?* »; respondit: « *Negative,* **reservato iure probandi antiquam consuetudinem** ». Haec decisio aperte supponit, quod, posita debita probatione antiquae consuetudinis, haec suum valorem etiam contra rubricas exerit.

Alio Decreto d. 17 Sept. 1822 (n. 2621, ad I), Dubiorum, S. R. Congregatio, super dubio: « *Quomodo se gerere debeant*

Magistri Caeremoniarum aliique, qui vident in Ecclesiis non peragi functiones iuxta Rubricas nec observari Decreta..., statuit: « *Adeundus est loci Ordinarius, qui stricte tenetur opportunis remediis providere, ut Rubricae et S. R. C. Decreta rite serventur; si quid vero dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. C. pro declaratione* ». Dubia praecipue oriri videntur ex conditione locorum, sive ex consuetudine alicubi vigente contra Rubricas et Decreta. Hoc in casu, stante de valore consuetudinis dubio, Episcopi adire debent S. R. C. quae, attento unoquoque casu, in particulari, diiudicat an consuetudo *servanda vel eliminanda* sit. Et haec est S. R. C. praxis, etiam in praesenti.

Denique aliquando S. Sedes *tolerare consuevit* — ut expresse declaravit S. Congregatio de Propaganda (*Collect.* ed. 2, vol. II, n. 1304) — nonnullas consuetudines contra regulas liturgicas; aliquando *servari solitum* etiam contra praefatas regulas, explicite *iussit* (*Coll. auth. S. R. C.* n. 3303 etc.).

Habemus igitur argumentum positivum etiam ex ipsius Apostolicae Sedis declarationibus, in favorem sententiae, quae merito vult, regulam generalem de vi consuetudinis contra legem canonicam vigere etiam et applicandam esse, generaliter loquendo et servatis servandis, in iure disciplinaque liturgica; licet fatendum sit, ut iam diximus, legislatorem se praebere rigidiorem erga consuetudines contra ius liturgicum, quam contra ceteras leges canonicas.

Antequam deveniamus ad secundam elucubrationis partem, satisfaciendum est adversariorum rationibus. Et imprimis iam responsum fusius est illis, qui, ut Ab Appeltern (*l. c.*) opinantur *in iure* omnes consuetudines contra Liturgicas regulas, haberi *ut abusus.*

Sed insuper frustra Rubricistae, omnino respuentes consuetudinem liturgicam contra ius, ut probent derogationem iuris canonici in hac parte, effugiunt ad *clausulas* Bullarum Summorum Pontificum ac decretorum S. R. C., quibus stantibus, nec consensus nec *legalis* Legislatoris, potest praesumi.

Nam unicae clausulae quae consuetudinibus auferunt efficaciam legalem etiam in futuro, *perdurantibus* tamen *circumstantiis*, quae legem contrariam suaserunt, sunt tantum clausulae *stricte reprobatoriae*, quae citatis documentis minime adiectae noscuntur, saltem *generaliter* et *absolute* pro universo iure liturgico, quidquid opinaverint Bouix supra cit., Gavanto et posteriores Liturgistae, qui inter clausulas proprie *reprobatorias* et *prohibentes* vel *irritantes* vel *abrogantes* non satis clare distinguunt. Quoad alias omnes sive *abrogatorias*, sive *prohibitorias*, sive *irritantes*, et etiam quoad *reprobatorias*, *mutatis* circumstantiis, haec docet cl. Sebastianelli (*De personis*, pag. 48), referens doctrinam celebriorum canonistarum et conformiter ad principia fundamentalia a nobis in principio delibata: « quocumque modo, et quibusvis verbis, etiam effraenatis, hae... clausulae (quae impediunt etiam consuetudines introducendas) concipiantur, per se consuetudinem in futurum introducendam non impediunt ». Et fusius P. L. de Regnon S. I. (1) tradit hanc eamdem doctrinam, quam reiicientes consuetudinem contra ius liturgicum, propter clausulas derogatorias documentorum Apostolicae Sedis, non, ut par est, perpendisse videntur: « Il n'y a pas des clauses qui puissent faire qu'une loi *humaine* cesse d'être revocable par une autre loi émanée de la même autorité; car le legislateur ne peut ni lier ses successeurs: *cum non habeat imperium par in parem* (*c. Innotuit, De Electione*), ni se lier lui même: *neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest* (*l. 51, D. De receptis*). Donc toute loi humaine ecrite peut être revoquée par une autre loi humaine écrite postérieure.

« Or la coutume, *loi non écrite* a la même vertu que la loi écrite « *Certum est*, dit Schmalzgrüber (De consuetud. § 5, n. 20), posse legem abrogari per consuetudinem. Ratio est, quia eadem vis est consuetudinis, quae legis: igitur sicut

---

(1) *Les coutumes liturgiques et le droit écrite in* « *Etudes de Theol.* » publ. par les PP. de la Comp. de Jésus, Paris 1860, pagg. 622 sq.

lex posterior abrogat priorem contrariam, ita et consuetudo, modo illa rationabilis et legitime praescripta sit», et plus loin (n. 21) «consuetudo potest, quod princeps potest per legem».

« Le raisonnement de Schmalzgrüber subsiste donc dans toute sa force, et par consequent, les lois liturgiques (quelles que soient les clauses qui les accompagnent) peuvent être abrogées par voie de coutume, en vertu du consentement légal, *comme toutes les autres lois ecclesiastiques humanes*».

Alii difficultati Rubricistarum, qui ex usu - *non absolute constanti,* ut vidimus - Apostolicae Sedis et S. R. C. reiiciendi perplures consuetudines (absque tamen *reprobatione*), deducere contendunt *officialem* et veluti authenticam confirmationem controversi aphorismatis: *contra Rubricas non praescribitur;* respondet optime Schmalzgrüber (*De Consuet.* § IV, n. 15): «mirum non est si princeps consuetudines (*complures*)... reiiciat », quia « a iure solum approbantur, et permittuntur consuetudines, quae rationabiles et legitime praescriptae sunt»; non ergo aliae, et multo minus omnes.

Ultimo, praesertim, obiici posset: in iure liturgico adest *ratio* omnino *specialis* ordinis superioris, quae generalem exquirit exceptionem.

Haec ratio viget utique pro ritibus substantialibus a Christo Domino statutis, ac pro ceteris qui directe vel indirecte ius divinum vel naturale attingunt; at minime, in genere pro omnibus singulisque ritibus et caeremoniis.

Hinc illud nonnullorum liturgistarum principium, cui accedit Solans superius, scilicet omnem consuetudinem contra leges liturgicas esse irrationabilem, sustineri nullo modo valet, quum, ut docet Schmalzgrueber (Op. cit. P. I, tit. IV, § 2, pg. 267), cum communi: «*consuetudo etiam adversa legi, si habeat, quae alias ad consuetudinem legitimam requiruntur, sit omnino rationabilis*»; quod et evidenter supponitur ex toties citato capite Decretalium, et facile ostendi potest a paritate: nam sicut lex abrogatur alia lege contraria, quin alterutra — modo adsit iusta abrogationis causa — inde evadat irrationabilis, ita consuetudo non evadit irra-

tionabilis si est contra legem eamque abrogat (Cf. De Luca, *Instit. Iur. Can.* pg. 181. Bauduin, *De cons. in Iur. Can.* pg. 53). Et hoc est verissimum etiam de iure liturgico.

Haec omnia clarius ipsa luce patebunt si consideretur in iure nostro principium de vi consuetudinis applicari, quidquid alii opinaverint, canonibus solemnioribus et potioris momenti quoad disciplinam, quales sunt canones Concilii Tridentini *non exclusa forma Sacramenti Matrimonii* (1), et, saltem aliqualiter, leges immunitatis personalis, et *fori* competentis clericorum (2). Ergo a fortiori sustineri valet in rubricis et praescriptionibus liturgicis, quae, salvis substantialibus et praecipuis, tanti momenti non videntur.

Deest ergo et evidens *ratio specialis* excipiendi ius liturgicum a principio seu regula generali de valore consuetudinis contra legem canonicam.

Itaque concludentes non dubitamus amplecti sententiam laudati P. de Regnon S. I. (*Etudes*, an. cit. pg. 614): «La doctrine... sur la revocation des coutumes liturgiques (et multo magis super eorumdem *reprobationem universalem* et absolutam),... est en opposition avec le droit ecrit tel qu' il a été compris par le docteurs les plus autorises» (3).

(Continuabitur).

F.

(1) Cf. Breve Pii VII ad Archiepiscopum Moguntinum, 8 Oct. 1803 et S. C. Inquis. 11 martii 1868, *Collect. de Propag. F.* n. 1408; et *Acta S. Sedis*, vol. IV., pag. 25, not. 1, ubi Editores animadvertunt: *modo... multas invaluisse consuetudines contra Concilium Tridentinum*, quae irrationabiles praesertim pro locorum adiunctis non reputantur. Ipsa S. Congr. Conc. nonnullas consuetudines contra Tridentinum habuit legitimas: cf. Wernz, Op. c. I, pag. 292 sq. not. 113, 114, 115. Ad rem facit quoque resp. eiusdem S. C. in Maceraten. 17 aug. 1901: «consuetudo *quae non est rationabilis* nequit praescribere contra Concilium Tridentinum».

(2) Super consuetudine contra *Privilegium fori in Germania etc.* Cfr. *Il Monitore Ecclesiastico* 28 Febr. 1912, pg. 543 sqq.

(3) Diximus suo loco in dubio de *rationabilitate*, consuetudinem praesumendam esse rationabilem, *si immemorabilis sit:* sed gravissimi Canonistae sustinent cum Reiffenstuel (*l. c.* n. 43) consuetudinem legitimam rationabilem praesumendam, quamquam immemorabiis non sit.

Bibliografia.

Officium Hebdomadae Maioris a Dominica in Palmis usque ad Dominicam in Albis, iuxta Rubricas a SS. D. N. Pio Pp. X reformatas editum. Cum approbatione S. Rit. Congregationis — Ratisbonae et Romae — sumptibus et Typis Fr. PUSTET, in 18° pag. 652.

Licet officium pro ultimo Triduo hebdomadae maioris intactum remanserit post Psalterii reformationem, quod attinet psalmos Matutini, Horarum minorum, Vesperarum, et etiam Completorii, in Laudibus vero nonnullae mutationes inductae fuerunt; eo quod, antiquitus, psalmi Laudum in isto Triduo, erant ii ipsi qui in feria relativa inveniebantur in antiquo psalterio. Cum autem hodie, psalmi pro Laudibus in feriis mutati fuerint, necessario et in Laudibus huius Tridui sacratissimi mutari debuerunt. Et ideo illi psalmi positi sunt qui in novo Psalterio inveniuntur in 2. schemate pro feriis V, VI, et Sabbato, excepto cantico in eodem sabbato, quod, uti antea, (quia brevius, et quia magis aptum), positum fuit *Ego dixi etc.* Quia vero eximius editor Fr. Pustet, voluit dare clientibus suis officium pro integra Quindena Paschali, scilicet a Dominica in Palmis, usque ad Dominicam in Albis, prout iam pluribus ab hinc annis fecerat, novum librum componere coactus est, in quo psalmi in tota hebdomada dispositi sunt, prout iacent in vero psalterio.

Editio ergo ista summopere laudanda est, non tantum quia antiquae editiones non amplius inservire possunt, sed quia, more suo librum istum perspicuis et grandioribus caracteribus illustravit, et quia in appendice opportunissime disposuit commemorationes festorum, quae occurrere possunt in dicta quindena. Valde autem consuluit commoditati separando officia a missis, quod in antiquis editionibus factum non fuerat.

Ista ergo nova editio Officii pro maiori Hebdomada et Paschali, valde utilis, imo necessaria evadit cuique de clero; eo magis quia iisdem caracteribus constat, quae perpulchrum Psalterium, ut vocant in 18. idem Fr. Pustet novissime ediderat, ita dispositum, ut unoquoque die Psalterium cum Ordinario perbelle coniunguntur, maxima cum commoditate et facilitate psallentium. De ipso Psalterio fusius in Ephemeridibus nostris prox. mense aprilis dicemus.

Officium Hebdomadae Sanctae venit solutum lib. 5; dictum Psalterium lib. 7,50; religatum lib. 11,00.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsori*

Ex Officina Polygrafica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

TE

VIR · MARIAE · IVSTISSIME

CVRATOR · EXIMIE · DIVINAE · PROLIS

OBNIXE · IMPLORAMVS

RESPICE · TVVM

PIVM · DECIMVM

INDVLGENTISSIMVM · PATREM · PERVIGILEM · PASTOREM

ECCLESIAE · VNIVERSAE

FAC · DIV · VIVIDA · CANITIE · INCOLVMEM

SOLARE · PRAESENS

CAELESTIVM · COPIA · GAVDIORVM

EIVSQVE · VOLENS · PERFICE

OPTATA · SANCTA · SALVBERRIMA

HOC · PRAECIPVVM

VT · CRVCIS · TRIVMPHALIS · MYSTERIVM

PRAECLARIVS · TOTO · ORBE · FVLGEAT

CVIVS · MIRIFICA · VI

REGNVM · FIDEI · CATHOLICAE : AMPLIFICETVR

FELICI · PAX · ET · IVSTITIA · COMPLEXV

REVIRESCANT · FLOREANT · FRVGIFERAE

NEQVITIA · TVMENTIS · SAECVLI

DEPRESSA · IACEAT

NON · INANE · POSTERITATI · DOCVMENTVM

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DUBIA

De caeremoniis quibusdam servandis coram augustissimo Sacramento, adsistente vel celebrante Episcopo.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt; nimirum:

I. In solemni benedictione cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quando Episcopus assistit cappa indutus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thurificare Ss.mum Sacramentum?

II. Si praedicta benedictio solemnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno debetne genuflectere a dextris Episcopi in infimo gradu altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda?

III. Si aliquando contingat, ut Episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito, absque mitra?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta decretum n. 3035, *Briocen.*, 21 iulii 1855, ad 1.

Ad II. Presbyter assistens accedit ad Episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem ; mox locum cedat diacono assistenti qui deinde ostensorium Episcopo est porrecturus.

Ad III. Affirmative in casu : sed iuxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium, et congruenter menti Caeremonialis Episcoporum, lib. I, cap. 12, numeris 8 et 9, Episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publice exposito.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 8 februarii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius.*

Commentarium.

Ad I. Vide quae ad rem docuimus in *Ephemerid. Liturg.* an. 1910, pag. 483. Procul dubio Episcopus, si ipse ponit incensum, dum benedictioni cum Ss. Sacramento interest, ab alio Sacerdote impertitae, debet et incensare, sed cum, iuxta Caeremoniale Episcoporum et S. R. C. decreta nn. 2106 et 3110, oporteat ut sit cappa indutus, hoc valet omnino pro sua Cathedrali ac pro aliis Ecclesiis civitatis episcopalis, nec non pro maioribus dioecesis; nam, uti loco citato notavimus, quando agitur de ecclesiis ruralibus, maxime in locis montanis, difficile potest suam cappam Episcopus secum deferre, ideoque Episcopi mozzeta induti Ecclesiam ipsam visitant cum eaque functionibus intersunt.

Ad II. Responsum istud per se patet, nam extra Missam, Presbyter assistens, tam pro ministrando incenso, quam

pro traditione thuribuli, inservit, Ostensorium vero tradi debet Episcopo a Diacono primo assistente iuxta solitum.

Ad III. Quod Missa, tum a Sacerdote decantata, tum ab Episcopo pontificaliter celebrata coram Ss. Sarcamento exposito licita sit, nemo umquam negavit, et ipsa s. Congregatio per hoc decretum expresse admittit. In ipsa alma Urbe, quoties festum S. Ioannis Baptistae infra Octavam Corporis Christi occurrit, Missa in basilica Lateranensi celebratur pontificaliter ab Eminentissimo Cardinali Archipresbytero, licet de more expositum sit Ss. Sacramentum.

Item Caeremoniale Episcoporum (lib. I, c. XII, n. 9) non prohibet quominus Episcopus celebrare possit pontificaliter Missam coram Ss. Sacramento exposito in throno, licet id passim fieri non deceat. Itaque hoc decreto, notatur quidem quod melius sit Missam pontificalem non celebrare in altari ubi sit expositum Eucharistiae Sacramentum, ob rationes quas tradit ipsum Caeremoniale loco citato; nihilominus, ubi solitum est celebrari Missam pontificalem Sancti Patroni, si aliquando hoc festum incidat infra octavam Corporis Christi bene poterit, iuxta consuetudinem, cum Ss. Sacramento exposito illa celebrari, nam caeremoniae ab Ecclesia institutae piissimae sunt ac decentissimae, ideoque, quando cum gravitate ac diligentia, qua par est, exerceantur, nullimode irreverentiam sapiunt, et bene perfici possunt ante Ss. Sacramentum expositum.

In casu autem proposito, quaeritur an Episcopus legere debeat Epistolam etc. in throno, vel ad altare, et responsum fuit, quod in throno sint iuxta solitum legenda. Ratio est, quia thronus ponitur in ecclesia, pro eminenti dignitate episcopali, quae eadem ipsa manet etiam coram Ss. Sacramento exposito. In basilica Vaticana, quando celebrat Summus Pontifex, in ipso throno Ss. Sacramentum sumit; ergo bene potest et Episcopus, in sua dioecesi, in throno solemniter functiones celebrare, licet expositum sit Ss. Sacramentum.

P. P.

II.

INSTRUCTIO

seu declaratio super kalendariis propriis reformandis.

Evulgata Instructione sacrae Rituum Congregationis die 23 iulii vertentis anni 1912, quum nonnulli R.mi locorum Ordinarii et Superiores generales Ordinum seu Congregationum religiosarum, expostulantes reformationem proprii Kalendarii, preces porrexerint haud omnino conformes memoratae Instructioni, sacra Rituum Congregatio, ut labor expeditior evadat, opportunum iudicavit ulteriorem edere instructionem, cui in posterum se conformare debeat quisque Kalendarii reformationem exoptat.

I. Supplex libellus ad S. Rituum Congregationem transmittatur, in quo, consentiente Capitulo ecclesiae cathedralis seu Consilio Ordinis, postuletur ut, relicto Kalendario hucusque adhibito, servari possit Kalendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo festis stricto sensu propriis, quae cum dioecesi aut instituto religioso particularem habeant relationem.

II. Supplici libello addatur elenchus praedictorum festorum, quae sunt stricto sensu propria.

III. In memorato elencho sequentia festa particularia praesertim inserantur:

Pro Dioecesibus:

a) Dedicatio ecclesiae cathedralis, aut omnium ecclesiarum (si collective recolatur),

b) Titulus ecclesiae cathedralis,

c) Patronus principalis dioeceseos, provinciae, nationis,

d) Patronus principalis civitatis episcopalis,

e) Patroni minus principales,

f) Sancti qui in dioecesi orti sunt, vel vixerunt, aut obierunt,

g) Sancti, de quibus habentur corpora, aut reliquiae insignes,

h) Cetera festa, quae cum dioecesi specialem habent relationem.

Pro Ordinibus seu Congregationibus:

a) Dedicatio omnium ecclesiarum (si collective recolatur),

b) Titulus principalis,

c) Sancti Fundatores,

d) Sancti qui Ordinis, seu Congregationis, regulam professi sunt,

e) Cetera festa, quae cum instituto religioso specialem habent relationem.

IV. De unoquoque festo sequentia praesertim referantur:

a) Dies, in qua nunc celebratur,

b) Dies natalis, si constet,

c) Ritus, quo gaudet,

d) Relatio cum dioecesi aut Ordine seu Congregatione.

V. Mittatur ad hanc S. C. Proprium Officiorum dioeceseos vel instituti religiosi, et Kalendarium perpetuum hucusque adhibitum, vel saltem, huius loco, ultimus *Ordo divini Officii*, etc. typis cusus.

Ex Secretaria S. Rit. Congr., die 12 dec. 1912.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius*.

Commentarium.

Opportunissime evulgatur huiusmodi *Instructio*, ut facilius Ordinarii locorum et Superiores Generales Ordinum Regularium normam habeant pro postulanda reformatione Kalendarii proprii.

Instructio per se patet, nullaque indiget elucidatione; nihilominus, notandum placet, quod indirecte saltem, adprobatur in praxi sententia nostra, quam in Commentario ad Bullam « *Divino afflatu* » sustinuimus, dicentes, quod Ordinarii locorum, bene poterant renunciare, audito Capitulo, Officiis ex mero indulto S. Sedis propriae Dioecesi concessis; quia, licet aliter decreverit ad rem S. Rituum Congregatio suo decreto 12 februarii 1912, nihilominus in hac Instructione nihil dicitur de antiquis officiis, quae vere propria non sunt, et ex mero indulto S. Sedis hucusque in dioecesi celebrata: scilicet non indicatur quod de illis sit sermo aliquis habendus, sed tantummodo praescribitur, quod apprime determinentur illa officia, quae uti **propria** sint retinenda. Ergo hodie Episcopi bene possunt dicta officia ex indulto concessa omittere, iuxta hanc Instructionem, quia officium ullum, nisi bonis rationibus sit demonstratum esse vere proprium, et cum Ecclesia relationem habere, non conceditur, licet esset postulatum.

In fine quidem invitantur Episcopi ut ad Congregationem mittant proprium officiorum dioeceseos, imo et Ordinem divini officii ultimo typis editum, in quibus inscribuntur et officia ex indulto concessa; attamen, uti patet, id requiritur maxime pro maiori elucidatione postulationis, quin explicite aliquid dicatur, de expunctione eorumdem officiorum ex indulto.

Ordinarii ergo locorum diligenter notitias de officiis propriis in hac Instructione requisitas lucidissime exhibeant S. Rituum Congregationi, et sic kalendarium revera reformatum, permultis cum sedibus vacuis, pro frequentiore recitatione officiorum ferialium habebitur.

Itaque, quia unaquaeque dioecesis exinde non habebit, nisi officia Ecclesiae Universalis, quae in Breviario continentur, et officia propria, non amplius necessaria erit appendix pro aliquibus locis in fine Breviarii, sed sufficiens erit parvula appendix pro officiis propriis, ita ut minoris molis et pretii, evasurum sit quoque Breviarium ipsum.

Dr. P. Piacenza.

III.

RUBRICAE

Inserendae Rituali et Breviario romano in officio defunctorum.

Ante Vesperas.

Quoties Vesperae separatim ab Officio divino recitantur, dicitur secreto *Pater* et *Ave;* secus absolute incipitur ab Antiphona: *Placebo Domino* etc.

Ante Matutinum.

Quoties Matutinum delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium: *Subvenite,* vel Matutinum diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto *Pater*, *Ave, Credo;* secus absolute incipitur ab Invitatorio.

Ante IX. Responsorium.

Sequens Responsorinm dicitur quando tres tantum Lectiones huius Nocturni dicuntur.

Post IX. Responsorium.

Sequens Responsorium dicitur loco praecedentis, quando dicuntur pro defunctis novem Lectiones.

Suprascriptas Rubricas, Rituali et Breviario Romano in Officio defunctorum addendas, ad normam

recentium dispositionum et praesertim Decreti *Romana et Aliarum* diei 25 octobris 1912, sacra Rituum Congregatio adprobavit, et in novis editionibus tum Ritualis tum Breviarii Romani inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 februarii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

IV.

ROMANA.

De kalendario pro clero almae Urbis.

E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Respighi, in alma Urbe Vicarius generalis et patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Archipresbyter, sanctissimum Dominum nostrum Pium Papam X suppliciter deprecatus est, ut facultatem concedere dignaretur, qua clerus suae ordinariae iurisdictioni subiectus, seposito Kalendario hucusque adhibito, in posterum Kalendario Ecclesiae universalis uti valeat, additis tantummodo quibusdam festis in supplici libello descriptis, specialem cum ipsa alma Urbe relationem habentibus. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ita precibus annuere dignata est, ut Kalendario Ecclesiae universalis, ab universo clero saeculari almae Urbis eiusque districtus integre servato, inde ab anno 1914, sequentes tantum fiant additiones et variationes; videlicet (1):

(1) Brevitatis causa, Sanctorum index infra referre abstinemus, praesertim quia, ab iis quae in commentario dicta sunt, satis Lectores de universo calendario pro clero Romano reformato notitiam accipere possunt.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut huiusmodi Kalendarium cleri Romani adhibeatur tum in Basilicis patriarchalibus Lateranensi et Liberiana, tum in minoribus almae Urbis Basilicis, Collegiatis, ceterisque ecclesiis non exemptis; itemque in dioecesibus et familiis religiosis utriusque sexus, quae sive ex iure, sive ex privilegio, Kalendario cleri Romani utuntur: facta potestate memoratis Basilicis, ecclesiis, dioecesibus et familiis religiosis festa respective propria adiiciendi iuxta rubricas et decreta, ac praesertim ad normam decreti *De repositione et translatione festorum in ecclesiis particularibus*, diei 3 maii 1911. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 februarii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius*.

Commentarium.

Sicut iam plurimi Antistites kalendarium propriae dioecesis reformare curarunt, redeuntes ad usum kalendarii universalis, retentis tantummodo Officiis vere propriis, iuxta novas Rubricas, eodem commodo privari non poterat clerus almae Urbis. Hinc est propterea quod Eminentissimus Vir Petrus Respighi Cardinalis Urbis Vicarius a s. Rituum Congregatione obtinuit, per hoc decretum, ut kalendarium pro Clero Romano reformaretur, ita ut, omissis officiis illis, quae revera propria non sunt, plures haberentur sedes vacuae pro officio de Tempore recitando. Cum autem alma Urbs Romae, adeo a Domino privilegiata fuerit, ut plurimi ex suis civibus et pontificibus inter Sanctos sint recensiti, omnes civitates superat in numero officiorum quae propria reputantur iuxta novas rubricas.

Ut ergo apparet ex elencho eorumdem Sanctorum qui prostat in decreto, ex 107 officiis particularibus, tantummodo 29 expuncti fuerunt.

Aliqui forsan mirabuntur, quia inter officia ab Eminentissimo Vicario non retenta, enumerantur septem officia Passionis, quae prius celebrabantur a Septuagesima usque ad Dominicam Passionis. Attamen animadvertendum est; I°, quod huiusmodi officia numquam fuerunt praeceptiva proprie dicta, sed concessa fuerunt ex mero Indulto S. Sedis; igitur, cum officia de Tempore, seu ferialia sint de praecepto, valde congruit quod Indultum praecepto cedat. II°. Quia officia Passionis propria pro Clero Romano dici nequeunt, et quia expuncta fuerunt e calendariis aliarum dioeceseon, nulla ratio extabat cur pro Clero Romano essent retinenda. III°. Propter haec officia perpetuo impedita erant officia septem feriarum, ita ut feriae ipsae impeditae tamquam penitus extinctae in Breviario manerent; insuper per septem hebdomadas perpetuo interrupta erat recitatio totius Psalterii, quod toto coelo contrarium est voluntati Ecclesiae, quae antiquam legem de recitatione totius Psalterii in spatio unius hebdomadae renovavit.

Adde quod huiusmodi Officia Passionis, ut bene notat cl. A Carpo (Bibliot. Liturg. p. 2, n. 33), recentissima sunt, et non secundum laudabiles antiquae Romanae traditionis leges composita; quia procul dubio, eorum constructores prae oculis non habuerunt antiquas normas liturgicas, quas habuit s. Thomas Aquinas, quando composuit pulcherrimum Officium Corporis Christi; igitur non multum est lugendum, ex hoc saltem capite, si ex Kalendariis particularibus respuantur.

Quod si ob laudabilissimam erga Dominicam Passionem devotionem, aliqui peroptant, ut officia ista recitentur, quod corrigantur proponant, ut et ad universam Ecclesiam extendantur, eo quod, non ad hanc vel ad illam dioecesim, sed ad totam Christianam familiam, pertinent.

Item dicatur de quibusdam aliis officiis omissis in hoc

kalendario pro Clero Romano, quae ab aliquibus magno cum dolore desiderantur (1).

Ut autem haberentur aliquot dies liberi ad celebrandam per annum Missam pro defunctis, festa nonnulla Sanctorum, qui cives romani non sunt, sed in alma Urbe supremum diem obierunt, eorumque corpus habetur, reducta fuerunt ad ritum semiduplicem, scilicet: s. Iosephi Benedicti Labre, b. Ioannis Leonardi, s. Stanislai Kostka, et s. Leonardi a Portu Mauritio. Quia vero s. Ioannes Baptista de Rossi, licet non civis, fuit tamen de clero romano, tamquam canonicus s. Mariae in Cosmedin, ritu duplici recoli continuatur. S. Catharina Senensis, uti patrona minus principalis, ritu a rubricis praescripto duplici maiore, non autem 2 classis, nunc decoratur; quod de s. Philippo Nerio agi non decuit, cum ipse tamquam Apostolus Romae honoretur.

Quod autem attinet dies pro celebratione officiorum quae propria sunt Cleri Romani, cum de nova constructione calendarii ageretur, consulto visum est opportunum, quod in die natalitia, quoad fieri potuit, unusquisque ex Sanctis recoleretur, aut saltem in die proxima sequenti. Hac porro causa, statim paranda erit nova editio Appendicis pro Romano Clero, tam pro Breviario, quam pro Missali. Notandum tandem est mandatum Summi Pontificis, quod legi-

(1) Sciendum est quod inter officia, quae expungenda erant a Breviario pro aliquibus locis, in correctione sub Benedicto XIV proposita, leguntur etiam: Desponsatio B. Mariae V.; Expectatio Partus; Translatio almae Domus Lauretanae (Cf. Roskovany, Coelibatus et Breviarium, Pestini 1861, tom. V, pag. 612-614). Quod autem attinet festum s. Hyacinthae de Mariscottis, quae aliquibus tamquam civis Romana recensenda esse videbatur, sciendum est quod Benedictus XIII, in decreto beatificationis huius Virginis officium eius recitandum concessit dumtaxat in Terra Vignanelli in qua nata est, in civitate Viterbiensi ubi ad coelos evolavit ac corpus quiescit, et in universo Ordine s. Francisci (Bullarium, Tom. XII, pag. 111); ergo Pontifex ille, hanc virginem civem romanam esse non censuit, quamvis id in lectionibus affirmetur: « Hyacintha, nobilis virgo Romana ».

tur in fine huius decreti: quo praecipitur, ut hoc novo calendario uti debeant omnes de Clero Romano, etiam Patriarchalium Lateranensis et Liberianae (non vero Vaticanae quia exempta est a subiectione Cardinalis Vicarii et suum Breviarium habet). Ideo unaquaequae Basilica vel Collegiata suum proprium calendarium annuum parare ut antea poterit, illud tamen construendum erit super hoc calendario, ad normam decreti 3 maii 1911, in quo disponitur:

« Calendarium tam perpetuum, quam annuale cuiusque Ecclesiae particularis respective redigatur super calendario Dioecesis,... ac proinde sicuti Officia, quae in propria Ecclesia quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in calendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die, quae prima libera reperitur in calendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis ».

Hoc autem Decretum d. d. 3 maii 1911 valet omnino pro repositione perpetua facienda, pro translatione autem accidentali, nunc valet tantummodo pro pro officiis ritus duplicis 1 et 2 classis, ideoque applicandum est iuxta novas Rubricas, quae huiusmodi festa celebranda praescribunt in die proxime sequenti, licet impedita ab alio festo duplici non classico, vel semiduplici.

Rem explicabit exemplum. In collegiata S. Mariae ad Martyres agitur festum Dedicationis illius Basilicae die 13 maii, ut notatur in Martyrologio. Cum autem ea die in calendario pro Clero Romano assignatum sit officium s. Stanislai Ep. et Mart. (ex 7), hoc pro dicta Basilica perpetuo assignandum erit die 22 eiusdem mensis maii. Officium vero S. Bernardini Senensis, perpetuo impeditum ob diem octavum ipsius Dedicationis, perpetuo reponendum erit in primam diem quae libera reperitur in calendario nempe in diem 9 iunii. P. P.

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

QUAESTIO.

De Missis votivis et defunctorum in *Quadragesima* alisque feriis Missam propriam habentibus.

Missae votivae et pro defunctis non amplius celebrari possunt in Feriis Missam propriam habentibus; nihilominus novae rubricae permittunt, imo praescribunt ad indulgentiam altaris privilegiati lucrandam, ut in Missa de feria addi possit oratio pro defunctis, ita ut huiusmodi oratio adiecta locum teneat Missae de Requie.

Cum autem Missae de requie celebrari nequirent diebus quibus occurrebat officium duplex, putat Sabinus quod similiter addi nequeat oratio pro defunctis in Missis ferialibus in quibus fiat commemoratio duplicis occurrentis. Similiter putat quod cessatae sint particulares concessiones pro Missis votivis, quae in sanctuariis celebrari poterant etiam diebus duplicibus minoribus et maioribus. Quaeritur:

1. *Qua de causa novae rubricae Missas votivas prohibeant in feriis Missam propriam habentibus?*

2. *Utrum in Missa feriali, in qua commemoratur duplex occurrens, addi possit oratio pro defunctis?*

3. *Utrum Missae votivae de quibus in casu mentio fit, adhuc celebrari possint in Quadragesima et Vigiliis?*

SOLUTIO.

Ex dissertatione Rev. Dom. F. I. Moretti Ord. Minim., habita in sacra Aede Congr.nis Missionis apud Curiam Innocentianam, die 29 ianuarii 1913. Post Censorum animadversiones, alter ex ipsis R. D. Aristides Gasparri, epitomen earum fecit, ac dein pia collatio de officiis ecclesiasticis de more habita est.

Ad I. Ex novis rubricis (1) haec deducuntur quae ad propositas quaestiones in casu faciunt:

1° In feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, II Rogat. et in Vigiliis (quae, aliis verbis, feriae sunt propriam Missam habentes), quibus est adiungenda feria in qua Dominica anticipetur, *prohibentur:* Missae privatae (h. e. *lectae*) a) defunctorum, et b) votivae Sanctorum.

2° Licebit tamen legere Missam de Requie (non vero votivam privatam Sanctorum) prima die cuiuscumque hebdomadae Quadragesimae, libera (ab officio duplici) in Kalendario Ecclesiae in qua Missa celebratur.

Rubricae istae, ut patet, agunt de Missis *stricte privatis:* non comprehenduntur ergo in prohibitione Missae privatae *die* aut *pro die obitus,* neque quae in sepulcretis, neque, uno verbo, quae *privilegiatae* appellari possunt eo quod specialibus normis reguntur aut indulto aliquo particulari concessae sunt (2).

Prohibentur tamen privatae (non cum cantu) de anniversario (3); et analogice de diebus 3°, 7°, 30°, pariter lectae vetantur. Unde concludentes: In istis feriis (si primam excipias liberam in Quadragesima) permittuntur tantummodo *lectae, die* aut *pro die obitus,* vel aliae *privilegiatae;* numquam licebit legere votivas *stricte privatas.*

Quaerenti nunc qua de causa ita disponant rubricae, facilis adest responsio. In pristinum honorem restituere Missae

(1) Tit. X, nn. 2 et 5.

(2) Vide tamen quae in Resp. ad III quaesitum dicenda sunt.

(3) S. Congr. Rit. 19 April. 1912 ad VII.

et Officii liturgiam universam: en quo tandem aliquando tendit recens reformatio in qua siquid adhuc optandum, hoc unum: *quamcitius perficiatur!* Evidentissima haec ratio generalis valet in primis pro iis quae nostra quaestione proponuntur. Missae huiusmodi feriales quae hucusque fere semper impeditae fuerant, « ex communi doctorum sententia, ait, cl. Piacenza, pulcherrimae sunt ac mira venustate ac pietate praeditae » (1); magnum etiam habere momentum pro cultore historiae Liturgiae docent Auctores (2).

Ad II. Ne quid subraheretur vivorum pietati aut defunctorum solatio (praeterquam Missa in nigris semel in hebdomada Quadragesimae conceditur, ut dictum est), in reliquis istis ferialibus Missis licebit Orationem addere pro iis quorum suffragio propitiatorium Sacrificium offertur.

Indulgentia Altaris Privilegiati una hac conditione, quae tamen in casu necessario exigitur, acquiritur.

Doctorum circa hanc orationem discordiis finem posuit S. Rit. Congr. per Generale Decretum, die 12 Iunii 1912.

Negari non potest, opinionem Sabini logice iure optimo concludere: reapse haec fuit mens plurium qui novas rubricas explanarunt, et etiam cl. Piacenza, ut ipse fatetur (4), sed post citatum decretum amplius sustineri non potest, et oratio pro defuncto est semper ponenda, licet *duplex* commemoretur, quoties ad normam novarum rubricarum (Tit. X, n. 2) Missa de feria legi potest.

Iam ex decreto apparet, huiusmodi orationem specialem esse et privilegiatam: non ergo attendamus ad regulas in Generalibus Rubricis statutis, sed ad speciales normas in ipso

(1) In Constit. « *Divino afflatu* » Comm Not. 66.

(2) Cfr. *Dom Cabrol.* « La Réforme du Bréviaire et du Calendrier », pag. 42-43.

(3) « *In tres tabellas* » pag. 186, Not. 127. — Et quod gravius didicimus ex discussione in Conventu habita, mens ipsius Congregationis anceps manebat num dicenda esset oratio pro defuncto si duplex commemorari oporteret. Re autem coram Pontifice relata, Ipse se hoc velle manifestavit.

decreto satis explicite expositas. Nihil maneret addendum circa hoc, nisi opportunius videretur aliquid declarare circa IV et VI punctum ipsius Decreti. Ex IV, ordinem Orationum prout sequitur deducimus, pro diversis casibus. Si occurrat *duplex* commemorandum, 1ª oratio feriae (ut patet); 2ª *specialis pro defuncto;* 3ª duplicis comm. quarto loco *Collectae* imperatae (1). Si vero *semiduplex* occurrat: 2ª Orat. de eodem semidupl. 3ª *pro defunct.* 4ª quae de tempore praescribitur (v. g. *A cunctis*), quinto loco: Collectae imperatae.

Quod si occurrat *simplex,* quia tunc permittuntur Orationes *stricte-votivae* (de quibus in nota praeced.), si ponuntur, hic ordo observetur: 2ª Or. *simplicis ;* 3ª *de tempore ;* 4ª v. g. *ad postulandam caritatem,* vel alia; 5ª *Pro defuncto;* 6ª v. g. *pro devotis amicis,* vel alia; septimo loco: Collecta imperata (2).

Quod attinet ad VI, addimus hic commentarium cl. Piacenza (3): « *Meminerint* ergo sacerdotes qui munus suscipiunt celebrandi Missam pro defunctis in altari privilegiato, quod in feriis et vigiliis propriam Missam habentibus, libertatem non habent celebrandi vel Missam de duplici vel semiduplici occurrenti vel Missam de feria. Cum enim obligationem susceperint Missam celebrandi in altari privilegiato, tenentur sub poena non adimplendi propriam obligationem (4)

(1) Notetur quod si *duplex* commemoratur, 3ª oratio omittenda est, etiam in Missis de feria (quamvis Oratio *pro defunctis* addenda non sit). Si autem occurrat *semidupl.* ponenda utique erit 3ª oratio *de tempore,* sed omitti debent orationes illae *stricte-votivae,* quas pro lubito sacerdotis (dummodo omnibus computatis, etiam collectis imperatis, septenarius numerus non excedatur) addendas permittit Rubrica Missalis Tit. IX, n. 12. — Hoc statuitur in Decreto 19 April. 1912 ad VIII.

(2) Quod ad *orationem super populum,* nihil immutatum est.

(3) *In tres tabellas,* pag. 192, not. 132.

(4) Intellige, sane, quod ad accidentalem circumstantiam. Nam certe qui legit Missam aliam ac legendam tenetur fidelitati detrahit, non iustitiae. Non ergo erit obligandus *sub gravi* ad aliam Missam celebrandam vel restituendum stipendium. Cfr. Pighi-Ferrais, *Liturg. Sacerd.* Part. II, Tit. VI, n. 326 in nota; Noldin, De Sacram.

celebrare omnino Missam de feria adiecta oratione pro defunctis, pro quibus applicare debent et Missae valorem et Indulgentiam altaris privilegiati ».

Ad III. Quaestio hic proposita de Missis votivis concessis Sanctuariis, generali sub ratione, opportunum est ut, breviter tamen, consideretur. Num scilicet praedictis in feriis Missae quaecumque privatae, sive votivae Sanctorum, sive votivae defunctorum, concessae *per indulta specialia* adhuc legi possint. Sunt enim v. g. Missae votivae Sanctorum concessae pluribus Religiosis Familiis (1). Aliquibus Ecclesiis concessum est ut legant Missas pro defunctis etiam diebus duplicis maioris, bis vel ter in hebdomeda, quibusdam tantummodo exceptis diebus. Et exempla possent multiplicari. Huiusmodi Missae possunt ne adhuc legi in feriis Missam propriam habentibus? — Novae Rubricae prohibent Missas de requie privatas « *dicendas diebus ritus semiduplicis aut simplicis* ». Hoc certum est de Missis defunctor. (Tit. X, n. 5). Quod ad votivas Sanctorum, in eadem videntur conditione ut non intelligantur prohiberi nisi quae diebus ritus semidupl. et simplicis permittebantur. Sed in n. 2 tit. cit. nominatur etiam occurrens *festum duplex*. Attamen, cum novae rubr. non faciant mentionem de Missis per specialia indulta concessis, huiusmodi Missae non videntur prohiberi. Valet enim hic principium a Canonistis admissum, quod « per legem generalem subsequentem... non revocantur privilegia specialia et iuri communi non inserta. Etenim R. P. cum ista privilegia

n. 184; Bucceroni vol. II, n. 630. Nihilominus pro iis qui *bona fide* huic obligationi non satisfecerunt, data est instructio a S. C. Indulgentiarum, quo declarantur teneri ad lucrandam, quacumque alia ratione, Indulgentiam plenariam.

(1) V. g. « Ordinis Minimorum fratres per tredecim ferias sextas ante solemnitatem S. Francisci de Paula, celebrare valeant Missas etiam votivas solemnes de ipso Sancto, exceptis dupl. I et II class. festis de precepto, feriis, Vigiliis octavisque privil. — S. R. C. 1 Sept. 1884 ». Item Franciscales possunt legere Missam votiv. de Imm. Concept. B. M. V. diebus sabbatis etiam duplic. maior.

ignorare praesumatur ab abrogandi voluntate censetur esse alienus » (Wernz I, 165, IV) (1). Huic rationi opponi valet, quod reipsa in nova rubrica nominatur *festum duplex,* in quo Missae votivae non celebrantur nisi *ex indulto particulari,* quae proinde in vetito comprehendi debent.

In dubio tamen, *nisi contrarium aliquid statuatur,* Missae votivae privatae, concessae per *indulta specialia* adhuc legi possunt in feriis supradictis, propriam Missam habentibus: non tantum in Sanctuariis, sed et apud Religiosas Familias, vel alias Ecclesias, quae talibus gaudent indultis.

Hanc conclusionem cum restrictione (nisi contrarium aliquid statuatur) proponimus et timide. In discussione enim a peritissimis Censoribus facta in conventu Academiae, *aliis aliter opinantibus* (2), didicimus hac de re brevi prodituram fore S. Congregationis declarationem (3).

F. I. Moretti
Ord. Minim.

(1) Cfr. « *Ephemerid. Liturgicae* » ann. 1912, pag. 386.

(2) Quidam sententiam nostrae contrariam defendunt arguentes *ex mente* Ecclesiae, iuxta quam in praedictis feriis, quoad fieri potest, Missae legendae sunt de feria. Unde intelligitur quare liberum fiat sacerdotibus tales Missas legendi diebus etiam officii duplicis vel maioris (Tit. X, n. 2). Considerandam esse pariter dicunt *naturam indulti* quo Missae privatae votivae concessae fuerunt. Negant enim quaedam indulta appellari posse revera *specialia privilegia.* Sed potissima horum ratio est illa, quam in textu attulimus.

(3) Vide, sane, Decretum S. R. C. diei 8 febr. 1913 in fasciculo mensis martii.

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum
in secunda Dominica post Pascha

Ecclesia Romana iam inde a primis saeculis consuevit dies festos discernere, et alios maiori, aliosve minori celebrare solemnitate. Inter ritus, qui maiorem designabant festivitatem est in primis *stationis celebratio* recensenda. Quae, ut constanti et permanenti charactere donaretur, singulis illis festivis diebus inscripta fuit, qui solemnius colendi sunt, et adhuc inscripta permanet. — Huiusmodi solemnitatis ritu, stationis scilicet celebratione, decorata quoque fuit secunda Dominica post Pascha; circa hanc igitur stationem tota disquisitio nostra versabitur.

Duplicem itaque de ea instituemus quaestionem: alteram quae *factum*, et alteram quae *facti rationem* respicit. Agemus nempe primo de huius stationis institutione, continuatione, solemnitate et solemnitatis cessatione; agemus secundo de motivo et fine seu obiecto stationis, quod est peculiaris cultus Christi sub titulo et ratione *Boni Pastoris;* ad hunc enim cultum solemnius celebrandum statio ordinata fuerat.

Hac nostra tractatiuncula nihil aliud intendimus nisi veterem huius Dominicae dignitatem per plura saecula in Liturgia Romana obtentam manifestam facere, ut suum recuperet locum, suoque restituatur honori, et insuper, demonstrare cultum *Boni Pastoris* veneranda sanctaque probari traditione, qua maior vix pro alio titulo inveniri potest.

Cum tota ratio huius stationis sit cultus seu celebratio Christi quatenus est *Pastor Bonus*, rectius tractatio inscripta

fuisset: *De Cultu Boni Pastoris in secunda Dominica post Pascha;* sed datam inscriptionem praetulimus, quia *statio,* huic Dominicae adnexa, est factum manifestum et solemne, adhuc perseverans, ob oculos veniens, illius cultus testimonium et argumentum.

1° — De certa huius stationis per S. Gregorium M. institutione.

Non immoramur in variis stationum notionibus et divisionibus discutiendis: dicimus tantummodo quod stationis nomine veniebat solemnis et publicus populi christiani conventus loco et tempore statutis ad sacra celebranda mysteria, Summo Pontifice plerumque sacra faciente et concionante (1).

Animadvertimus autem quod *statio* semper solemnitatem signabat, quam solemnitatem triplicem secernendam esse ex S. Leonis M. sermonibus colligitur. Alia est enim *solemnitas ieiunii,* quae habetur in stationibus Quatuor temporum, Quadragesimae et quarumdam Vigiliarum; alia *solemnitas praeparationis* ad magnas festivitates, ut sunt stationes in Dominicis Adventus et Quadragesimae (2); et alia *solemnitas gaudii et exultationis* propria magnarum festivitatum, uti sunt Nativitas, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, SS. Petri

(1) Cf. THEODORUS A SPIRITU S., *Tractatus Dogmatico-moralis de Indulgentiis.* Romae 1743. Part. II, Cap. 1, Art. II, § 1, pag. 29 et ss. — FERRARIS, *Biblioth.,* V. *Statio.* — HUGONIUS, *Storia delle Stazioni di Roma, Breve discorso generale sulle Stazioni,* Roma 1588. — MORONI, *Dizionario,* V. *Stazione,* et Scriptores ibi indicati. — DUCHESNE, *Liber Pontificalis,* T. I, pag. 2469. — MÜHLBAUER, *Decreta Authentica,* T. III, Part. II, pag. 18, V. *Statio.* — MOCCHEGIANI, *Collectio Indulgentiarum,* Ad Claras Aquas, 1897, pag. 428. — BERINGER S. I. *Les Indulgences,* Paris, 1905, T. I, pag. 577. Etc.

(2) Etiam stationes *praeparationis* cum ieiunio coniunctae erant, et saltem cum ea ieiunii parte quam nos modo *abstinentiam* vocamus. Iuxta tamen eumdem S. Leonem M., non tantum in ieiunio et abstinentia hae sistebantur solemnitates, non « solum ciborum abstinentiam putemus esse sectandam » aiebat S. Pontifex, Serm. I in Quadrag., itemque pluries alibi passim, sed tria potissimum his temporibus dicebat esse diligentius exequenda; nempe, orationem, ieiunium et eleemosynam. Cf. Serm. I. De Ieiun. decimi mensis. Migne, P. L. LIV, 171. etc.

et Pauli natalis, etc., cum respectivis eorundem festorum octavis. Iuxta hanc triplicem solemnitatem, triplex distingui potest stationum genus: Stationes nempe ieiunii, stationes praeparationis ad magnas festivitates, et stationes gaudii seu festivitatis.

Statio, de qua nobis est sermo, pertinet ad stationes, quae festivitatem, gaudium et exultationem indicant.

Quo tempore itaque et sub quo Pontifice instituta fuit *statio ad S. Petrum* in secunda Dominica post Pascha? Affirmandum videtur, hanc stationem saeculo sexto ad finem vergente, et proprie a S. Gregòrio M. institutam fuisse.

Certum quidem est S. Leonem M. plures hos solemnes conventus, quos stationes appellamus, celebrasse, eosque ab Apostolicis traditionibus derivatos frequentissime dixisse (1).

De eius immediato successore S. Hilario legitur, quod « In urbe Roma constituit ministeriales, qui circumirent constitutas stationes..... fecit quoque scyphum aureum pro usu stationum » (2). Stationes igitur iam extabant; sed quinam tunc fuerit earum numerus, ex documentis, quae habemus, determinari non potest; et si quid argui licet, hoc tantummodo ex S. Leonis M. sermonibus colligi datur. Ast inter praefati Sancti Pontificis sermones nullus est, qui hac secunda Dominica habitus, supponi queat, et ideo nullum de hac statione, tempore S. Leonis M., habemus vestigium, et nullum pariter de ea habemus vestigium subsequenti tempore usque ad S. Gregorium M. Ab hoc autem Pontifice monumenta incipiunt, quibus nos de stationibus in genere, et de hac etiam in particulari plura accuratius edocemur.

Edocemur in primis a Ioanne Diacono (3), quod Sanctus ille Pontifex « Stationes per Basilicas, vel BB. Marty-

---

(1) S. LEO M. *Sermo I, De Ieiunio*. Migne, P. L. LIV, 171, et alibi pluries.

(2) *Liber Pontificalis*, Edit. Duchesne, T. I, pag. 244.

(3) Quamvis serius floruerit († c. 882), tamen « egregiam S. Gregorii M. vitam ex eiusdem operibus aliisque archivi romani monumentis » concinnavit. Hurter S. I. *Nomenclator*. Ed. III, T. I, pag. 858.

rum coemeteria, *secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit,* sollicitus ordinavit, per quas et ipse simul discurrens, dum adhuc eloqui praevaleret, viginti homilias evangelii coram Ecclesia diverso tempore declamavit. Reliquas vero eiusdem numeri dictavit quidem, sed lassescente stomacho languore continuo, aliis pronunciandas remisit » (1).

Quod Sanctus Pontifex et per seipsum nobis testatur scribens: « Inter sacra missarum solemnia, ex his, quae diebus certis in hac Ecclesia legi ex more solent, sancti Evangelii quadraginta lectiones exposui. Et quarumdam quidem dictata expositio, assistente plebe, est per notarium recitata, quarumdam vero explanationem coram populo ipse locutus sum » (2).

Iam vero, si inter istas quadraginta homilias aliquam invenimus, quae habita sit secunda Dominica post Pascha, in Basilica beati Petri Apostoli et super Evangelium hac Dominica legi solitum, pro explorato habendum est S. Pontificem stationem, hac ipsa die celebrasse, eamque in posterum, ut ceteras, quas ipse celebravit, servandam ordinasse. Talis autem homilia revera extat: nam homilia XIV, quae ita, ob locum, quem occupat in exemplaribus impressis, denominatur, hanc praeviam indicationem praesefert: « *Habita ad populum in Basilica beati Petri Apostoli Dominica secunda post Pascha* » (3); et exponit Evangelii lectionem, quae hac Dominica in Ecclesia Romana legi consuevit. Aperte igitur patet S. Pontificem hac ipsa die stationem celebrasse, ac inter eas esse recensendam quas ipse *sollicitus ordinavit.*

Eruditi dubia quaedam moverunt circa nonnullas indi-

---

(1) IOANNES DIACONUS, L. II, n. 18, et L. IV, n. 74. Migne P. L. LXXV, 94.

(2) S. Gregorius M., Epistola ad Secundum ipsis XL homiliis ad instar praefationis a S. Pontifice praeposita. Migne P. L. LXXVI, 1075.

(3) Est indicatio ipsi XIV homiliae praepositae. Migne, P. L. l. c. 1127. — Iure monet Grisar in titulis originalibus, homiliis praepositis, nonnisi loca indicata fuisse, in quibus illae habitae sunt. *S. Gregorio M.* Roma 1904, pag. 54, nota (1).

cationes ipsis homiliis praepositas (1), sed circa indicationem homiliae XIV praepositam nullum extat dubium, eamque exhibent omnia exemplaria impressa, et omnes codices, quos ipsis oculis nostris videre potuimus. Dictio tantummodo est aliquantulum variata, sed sensus semper idem manet (2).

Validum indubiumque esse argumentum deductum ex indicatione, quae illis homiliis praeponitur pro stationis celebratione demonstranda, constat ex unanimi eruditorum consensu. Hoc enim usus est argumento imprimis Honuphrius Panvinius in suo de stationibus libello (3), Operum eiusdem S. Gregorii Editores (4), Vitae eius Scriptores, etc. etc., ac novissime H. Grisar S. I. (5).

Gregorianam huius stationis institutionem manifeste comprobat quoque eius inscriptio in Libris liturgicis, in iis potissimum qui ab ipso S. Gregorio nomen accipiunt. Quae in Libris liturgicis inscriptio ostendit, stationem characterem fixum et permanentem ab initio sortitam fuisse.

En igitur aliqui Libri liturgici, qui de hac statione publicum et solemne testimonium faciunt:

a) *Responsoriale et Antiphonarium Romanae Ecclesiae*, a S. Gregorio M. dispositm de circulo anni iuxta veterem usum Canonicorum Basilicae Vaticanae Sancti Petri a B. Iosepho M. Tomasi, S. R. E. Cardinali editum, eo quod ipse inter varia Responsorialia et Antiphonaria a S. Gregorio vo-

---

(1) Cf. Migne, P. L. in admonitione praevia LXXVI, 1073-74.

(2) Variat quoque in Codicibus denominatio numeralis. Notant sane Maurini Edit. quod haec homilia « in Corbeiensi est decima octava; in Cod. reg. Sveciae, decima; in Later. vigesima » Migne, P. L. l. c. 1127. Sed id nihil officit. Itemque non officit omissio: *Dominicae secundae post Pascha,* quia argumentum per se indicat qua die homilia recitata est.

(3) Ad calcem operis « Historia B. Platinae, De Vita Pontificum Romanorum », Coloniae 1574, pag. 98.

(4) Migne, P. L., l. c. 1073.

(5) Grisar H. in Vita S. Gregorii M. Roma, 1904, pag. 52 et luculentissime in sua dissertatione *Die Stationenfeier und der erste ro-*

cata (1), illud ab extraneis adiectionibus purius existimaret ac antiquiori venerabiliorique usu commendatius (2). In hoc itaque post enunciationem:

« Dominica I post (clausum) Pascha » statim adiungitur: « Statio est in basilica Beati Petri » (3).

b) *Lectionarius Missae iuxta Ritum Ecclesiae Romanae* ex antiquis manuscriptis codicibus collectus, et a praefato B. Tomasi editus, qui ad Dominicam secundam post Pascha, seu Dominica prima post clausum Pascha ponit: « *Statio ad S. Petrum Apostolorum Principem* » (4). Codices numero decem in huius Lectionarii editione curanda se contulisse et variantes lectiones adnotasse asserit praefatus B. Tomasi (5); sed cum nihil notet ad stationis indicationem, argumentum est tot decem in ea indicatione consistere.

c) *Homiliarius Basilicae Vaticanae* Ms. membr. saeculi XIII plures homilias S. Gregorii Papae continens, ad fol. 87 hanc indicationem exhibet: *Dominica: Pastor Bonus. Ad S. Petrum.* Et post initium lectionis S. Evangelii secundum Io. X, 11-16, sequitur usualis titulus: « Homilia B. Gregorii Papae habita ad populum in Basilica B. Petri Principis Apostolorum (6).

---

manische Ordo, in ephemeride: *Zeitschrift. für Kath. Theol.* 9, an. 1885, potissimum in tabula pag. 406. — Idem in opere: *Roma allla fine del mondo antico,* scribit: « Dalle Omilie sui Vangeli S. Gregorio M. ci fa conoscere sia i luoghi ove solevano tenersi queste stazioni, sia le lezioni che leggevansi nelle relative messe ». L. V, c. 5, n. 514, pag. 783.

(1) Quod revera S. Gregorius M. auctor extiterit Responsorialis et Antiphonarii, est quasi luce meridiana probatum. Cf. CABROL, *Dictionarie d'Arch. Chrét. et Liturgie,* V. *Antiphonaire,* T. I, col. 2443.

(2) Inventum fuerat; et adhuc extat in Arch. Basiliae Vat. sub signo B. 79. Hoc utebantur, iuxta eumdem B. Tomasium, Canonici Basiliae S. Petri circa saeculum XII. Cf. TOMASI-VEZZOSI. *Opera Omnia,* T. IV, Praefat. pag. XXXII, n. XXI.

(3) TOMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia,* T. IV, pag. 100.

(4) TOMASI-VEZZOSI, l. c. T. V, pag. 345.

(5) TOMASI-VEZZOSI, l. c. T. V, pag. 320.

(6) In Arch. Basil. Vat. B, 42. — Haec homilia in eo codice est vigesima quarta. Omittitur indicatio diei quo habita fuit, sed, ut iam innuimus, talis indicatio iure supervacanea existimabatur, quia vel Evangelii lectionem praecedebat, vel sufficienter ex ea arguebatur.

d) *Missale plenarium secundum ordinem Romanae Ecclesiae.* Est Cod. membr. saeculi XIV. Ad Dominicam secundam post Pascha inscribitur charactere recentiori: *Statio ad S. Petrum Apostolum* (1). Characteris natura indicaret, hanc inscriptionem adiectam fuisse circa medium saeculum XV.

Horum monumentorum vis non ex eo minuitur quod alia plura monumenta extent, quae de hac statione omnino tacent. Ratio enim talis silentii eadem est ac ratio, qua huius stationis solemnitas intermissa fuit. Solemnitas autem omissa fuit ob absentiam, uti dicemus infra, Summi Pontificis ab Urbe: Stationes enim quaedam, stricte *papales*, numquam celebrabantur sine Pontificis interventu. Contigit sat frequenter, ut Pontifices ab Urbe exulare coacti fuerint; et omnibus notum est aliquando Pontifices Viterbii, Signis et alibi moram traxisse. Si ad alias stationes celebrandas delegare poterant Vicarium, haec e contra tam propria Pontificis habita est, ut eo impedito, incongruum visum fuerit per alium eam solemniter celebrare (2). Ex hoc evenit quod serius eius inscriptio in libris liturgicis et in stationum catalogis non fuerit *constans* et *fixa*. Ex hoc plurium monumentorum silentium est repetendum.

Neque officit quod quaedam monumenta aliam hac ipsa die assignent stationem, quia plures quandoque eodem die celebrabantur et modo etiam celebrantur stationes (3). Si au-

(1) Item in Arch. Basil. Vat. B, 71. — Nobis nec tempus nec modus sufficit ad diversarum Bibliothecarum codices inspiciendo, an et qui huius stationis indicationem exhibeant; sed ex paucis adductis inferri licet, alios plures huiusmodi codices extare.

(2) Haec statio ordinata erat non solum ad Pastorale Christi officium celebrandum; sed etiam ad recolendam huius officii traditionem B. Petro eiusque successoribus factam. Quis, nisi Pontifex, haec praestantissima mysteria in Basilica Vaticana potest congrue celebrare?...

(3) In die Nativitatis Domini tres ponuntur stationes, et Honuphrius Panvinius ad calcem praecitati operis, pag. 98, duas stationes olim celebratas asserit in feria quinta post Dominicam quartam Quadragesimae. Modo vero stationum loca aucta habentur, ut commodius Indulgentiae a fidelibus acquiri possint. Cf. *Raccolta di Orazioni e pie Opere* ecc. Roma, 1898, pag. 547 et ss. – MÜHLBAUER, *Decreta Au-*

tem ratio quaeritur cur in hac Dominica quaedam monumenta ponant stationem *ad SS. Cosmam et Damianum,* Io. Fronto hanc verosimilem rationem refert: « Forte quod Ecclesia SS. Cosmae et Damiani a Felice IV (526-530) aedificata, hac die ab eo dicata fuerit » (1). Haec ratio cum tempore institutionis stationis in Basilica Principis Apostolorum bene coordinatur, cum haec nonnisi postea a S. Gregorio M. instituta fuerit, uti inferius dicemus.

Sed pro stationis existentia eiusque continuatione usque ad praesentem diem, adeo luculentia habentur argumenta, ut nihil pertimescendum sit ex silentio et inconstantia quorumdam monumentorum.

---

thentica, T. III, part. II, pag. 118. — Moccheggiani, *Collectio Indulgentiarum*, Ad Claras Aquas 1892, pag. 432.

(1) Ioannis Frontonis, *Epistolae et Dissertationes* editae cura Iosephi M. Tomasi et Dominici Vallarsi, Veronae 1733. *Kalendarium Romanum*, pag. 169.

Consultationes.

E Galicia. — **De quibusdam casibus occurrentiae.** — Rectene anno prox. 1914 (agitur de ecclesiis Soc. Iesu.) festa transferentur hoc ordine: Occurrunt 21 iunii: S. Aloisii, Conf. Soc. Iesu d. 1 cl. cum octava; in dioecesi C.: Anniversar. Dedicationis ecclesiae cathedralis, d. 1. cl. sine octava; in loco Z. dioecesis C.: B. V. M. de Perpetuo Succursu, Titularis Ecclesiae, d. 1 cl. cum Octava; in dioecesi L. B. Iacobi de Strepa Ep.pi Conf., Patroni dioecesis, d. 1 cl. sine octava. Hinc Kalendarium ita ordinatur:

21 iunii. Dom. III post Pent.: S. Aloisii, d. 1 cl. cum octava;

In dioecesi C.: Annivers. Dedic. eccles. cathedralis (occurrens semper Dom. III post Pent.), d. 1 cl.

22 iunii. Feria II: B. Mariae V a Strata, d. 2 cl. (transl. e Dom. II iunii, quae fuit Dom. infra Octavam Corporis Christi).

In loco Z. dioecesis C.: B. Mariae V. de Perpetuo Succursu, d. 1 cl. cum residua Octava (transl. e Dom. ante Nativ. S. Ioannis Bapt.),

In aliis ecclesiis dioeceseos C.: S. Aloisii, d. I cl. cum residua Octava (transl. e die 21 iunii).

In dioecesi L. B. Iacobi de Strepa, d. 1 cl. (transl. e Dom. III post Pent.).

23 iunii. Feria III Dies octava S. Ioannis Francisci Regis, Conf. Soc. Iesu, duplex (Festum celebratum est 20 iunii, quia dies 16 iunii fuit impedita per octavam Corporis Christi).

In ecclesia Z. dioecesis C.: S. Aloisii, d. 1 cl. cum residua Oct. transl. e die 21 iunii).

In dioecesi L. et in aliis ecclesiis dioecesis C.: B. M. V. a Strata, d. 2 cl. (transl. e Dom. II iunii).

24 iunii. Feria IV. De Octava S. Aloisii, semiduplex.

In ecclesia Z. dioecesis C.: B. M. V. a Strata, dupl. II cl. (transl. e Dom. II iunii).

Resp. Si constat quod Patronus dioeceseos, gavisus olim fuerit praerogativa feriationis, etiamsi hodie per se sit suppressa, sed cum Dominica compenetrata, hic praeferri debet S. Aloisio, quia titulus feriationis, iuxta tit. II, n. 2, litt. *d* novarum rubricarum potior est titulo octavae. Insuper, quum S. R. C. die 3 maii 1911, n. 4264, decreverit, Calendarium particulare, etiam annuale, condendum esse super Calendarium respectivae dioecesis vel religiosae provinciae, festum B. M. V. de Strata etiam in locis in dubio indicatis retineri debet die 22 iunii; et consequenter, quum novae rubricae iubeant festa duplicia I cl. esse transferenda in diem proximiorem, liberum ab alio Officio I vel II cl.; ordo pro diebus supradictis erit sequens:

Die 21. In Societ. Iesu: S. Aloisii, dupl. I cl. cum oct.

In dioecesi C.: Dedicationis Ecclesiae cathedralis, dupl. I cl.

In loco Z. dioecesis C., ut in reliqua dioecesi.

In dioecesi L. B. Iacobi de Strepa Patroni dioecesis, dupl. I cl.

Die 22. In S. I. et in singulis locis citatis: B. M. V. a Strata dupl. II. cl.

Die 23. In S. I.: Dies octava S. Francisci Regis.

In dioecesi C. S. Aloisii, dupl. I cl. cum rel. oct.

In loco Z. B. M. V. de Perpetuo Succursu, dupl. I cl. cum rel. oct.

In dioecesi L. S. Aloisii, dupl. I cl. cum rel. oct.

Die 24. In S. I.: De die infra oct. S. Aloisii.

In loco Z. S. Aloisii, dupl. I cl. cum rel. oct. Si vero Patronus numquam per se gavisus fuerit feriatione, hic ad diem 23 amandandus esset, et die 21 agendum de S. Aloisio.

P.

E dioecesi Metensi. — **De evangelio feriae vel Vigiliae in Missa de alterutra.** — Iuxta S. R. C. decretum d.d. 6 decembris 1912, si qua vigilia cuiusdam Apostoli occurrat in Quadrages. aut in feriis IV Temporum, Missa privata dici potest vel de feria maiori vel de vigilia. Item si die 27 iunii occurrant vigilia S. Ioannis Bapt. et Ss. Apost. Petri et Pauli de alterutra vigilia Missa privata dici potest. Iam vero in primo casu, si Missa dicatur de feria maiori, estne dicendum in fine Missae evangelium vigiliae, an evang. S. Ioan. *In principio?* Item in altero casu, si Missa dicatur de vigilia S. Ioannis Baptistae, estne dicendum in fine Missae evangelium vigiliae Ss. Apost. Petri et Pauli? Et si dicatur Missa vigiliae Ss. Apost. Petri et Pauli, ultimum evangelium eritne de vigilia S. Ioannis Bapt. an evangelium S. Ioannis *In principio?*

Resp. Si conferatur rubrica ex constitutione *Divino afflatu,* circa ultimum Evangelium in Missis quae commemorationem ferunt de feria vel vigilia (tit. X, n. 3), haec dicit, Evangelium proprium esse recitandum, quando Missa aliqua dicitur *extra ordinem Officii.* Nunc vero, non satis constat, an hic res sit de solis Missis votivis, an etiam de aliis; sed varios casus expendamus: ego v. g. Missam celebro de Vigilia S. Mathiae ap. occurrente aliquo Officio duplici minore, et commemoro etiam feriam Quadragesimae; an debeo ultimum Evangelium dicere de feria? Haec Missa Vigiliae reipsa est extra ordinem Officii, quia Officium est de Duplici, Missa autem de Vigilia, quae in Officio ne commemoratur quidem. Si celebro Missam de feria, haec quodam sensu est extra ordinem Officii, sed quodam alio est iuxta ordinem, quia feria in Officio duplici commemoratur. Sed nihili facienda haec secunda consideratio videtur, Missa enim, quae dicit ordinem ad Officium, est Missa de Duplici.

Si celebro Missam de vigilia cum feriae commemoratione, occurrente Officio feriali, haec Missa, uti in superiori casu, quodam sensu est extra ordinem Officii. et res eadem est ratione solvenda; si vero eodem occurrente Officio Mis-

sam celebro de feria, haec certe est iuxta ordinem Officii ac proinde non esset in ea legendum Evangelium de vigilia. Verum, uti diximus in *Norme pratiche per l'uso del Breviario*, edit. III, pag. 47, rubrica videtur complenda verbo *etiam*, scilicet: etiam quando Missa dicitur extra ordinem, quia ratio videtur eadem sive Missa sit de Duplici vel Semiduplici, de feria occurrente vel commemorata. Uno verbo, si in Missa de Duplici, vel de Semiduplici, vel de feria, vel de vigilia, vel votiva, fit commemoratio Dominicae, feriae vel vigiliae, ultimum Evangelium erit de Dominica, feria vel vigilia respective; nullimode enimvero intelligeretur exceptio, si vigilia in Missa de feria de qua fit Officium deberet Evangelium vigiliae requirere, dum vigilia in Missa de feria, de qua fit sola commemoratio, idem deberet respuere. Falsum, evidenter, esset enunciatum principium: tunc tantum debere dici Evangelium proprium alicuius commemorationis Dominicae vel feriae, quando Missa celebratur extra ordinem Officii: quia Rubricae revera aliter disponunt v. gr. in Missa de festo duplici quod cum integro Officio celebratur in Quadragesima, quod nempe commemoratur feria, eiusque legitur Evangelium in fine, quamvis Missa tunc sit *in ordine Officii*.

I. B. M. Menghini.

Ex Gallia I. — **De celebratione Missae ad libitum, de festo vel de feria.** — Novae Rubricae, ut pristinus honor restitueretur Missis ferialibus, ex una parte, et ex alia ne cultus Sanctorum iacturam pateretur, libertatem concedunt celebrandi, vel Missam de festo, vel de feria. Quomodo autem stat huiusmodi facultas cum S. R. C. decreto 12 iunii 1912, vi cuius sacerdos numquam poterit celebrare de festo, sed omnino debet celebrare de feria, cum commemoratione pro defunctis quotiescumque pro ipsis applicare velit vel debeat indulgentiam Altaris privilegiati? Ubinam ivit libertas?

Resp. Procul dubio stat semper libertas sacerdotis eligendi, prout libuerit: vel Missam de Feria habente Missam

propriam aut de Vigilia, vel de festo occurrente, quando non sit Duplex 1 vel 2 classis. Quando vero sacerdos obligationem sumpserit celebrandi Missam pro defunctis, cum applicatione indulgentiae Altaris privilegiati, non amplius libertatem habet seligendi, quia hodie, etiam in duplicibus maioribus et minoribus, Missa potest esse de feria, cum oratione pro defunctis, ideoque ut oneri assumpto satis faciat, quoad fieri potest, consulere debet suffragio Defunctorum, quod consistit quidem in applicatione Sacrificii, sed etiam in oratione pro defunctis, quae in Missa de festo addi nequit.

Cum autem conditiones pro lucrandis indulgentiis plane dependeant a voluntate concedentis, et cum Summus Pontifex aperte declaraverit, quod, pro lucranda indulgentia Altaris privilegiati, in feriis propriam Missam habentibus, et in Vigiliis, Missa de festo duplici dici non debeat, sed omnino de Feria, ut addi possit oratio pro Defunctis, standum erat huic legi, sub poena non satifaciendi oneri assumpto. Igitur, sicut antea standum erat praescriptioni Pii VII, qui edixerat, pro lucranda Indulgentia Altaris privilegiati Missam, permittente ritu diei, in nigris celebrandam esset, solummodo concedendo, ut in duplicibus, Missa dici posset de festo, ita hodie, Missa de feria in colore violaceo omnino celebranda est cum oratione pro defunctis. Libertas ergo manet semper celebrandi vel de festo, vel de feria; sed libertas non favet sacerdoti, qui onus suscepit applicandi Missam cum Indulgentia Altare privilegiati (1).

Quaeri autem hic potest, an in feria IV Cinerum, et in feriis II, III et IV Hebdomadae Sanctae, addi possit oratio pro defunctis, imo an debeat, pro lucranda praedicta Indulgentia. Procul dubio antea bene poterat illis in feriis privilegiatissimis, Missam celebrando de feria, in violaceis, applicari indulgentia altaris privilegiati, prout fiebat in diebus ritus duplicis; iis enim in feriis prohibita erat ce-

(1) Iam annuntiatur extensio huius libertatis a S. P. concessa, de qua in proximo fasciculo (*Nota Redact.*).

lebratio Missae in nigris, sicut vetita erat in festis duplicibus. Cum autem hodie Summus Pontifex concesserit ut etiam in Missa feriali, licet occurrat in festo duplici, cuius fit commemoratio, addi possit oratio pro Defunctis, videtur quod pariter liceat hanc orationem addere in praedictis feriis IV Cinerum II, III, IV maioris Hebdomadae.

Procul dubio, qui legit Rubricam Missalis (IX, 12) eiusque expositores, intelligit, quod etiam in huiusmodi feriis, maximis ex maioribus, bene possunt dici quinque vel septem orationes, inter quas etiam oratio pro defunctis; igitur quod a rubrica citata permittitur, prohiberi nequit, multo magis si celebrans debeat applicare pro defunctis indulgentiam altaris privilegiati.

P. Piacenza.

Ex Urbe. — **De anticipatione Dominicae V post Epiphaniam.** — Anno proxime venturo Dominica V post Epiphaniam anticipanda est intra hebdomadam primam Februarii, scilicet a 1 usque ad 7 illius mensis currentem. Porro in Kalendario novo Cleri saecularis Almae Urbis et in pluribus aliis Kalendariis intra dictam hebdomadam nulla dies libera a festo IX lectionum occurrit, imo neque dies libera a festo semiduplici. Sunt qui putant, praefatam Dominicam etiam anticipari posse *per integrum Officium* non solum in Festo semiduplici, sed etiam in huius defectu in Festo ritus duplicis minoris et maioris, uti S. Rit. Congregatio statuit pro Dominica II post Epiphaniam. Alii autem mordicus tenent, privilegium pro anticipatione Dominicae II post Epiphaniam concessum non posse extendi ad alias Dominicas post Epiphaniam anticipandas. Hinc quaeritur:

1° An habeatur ratio specialis privilegii anticipationis pro Dominica II post Epiphaniam, quae non existit pro aliis Dominicis illius temporis?

2° Quomodo in casu anticipanda sit Dominica V post Epiphaniam?

Resp. ad I. — Certissime adest ratio specialis privilegii anticipationis pro Dominica II post Epiphaniam per inte-

grum Officium, quae ratio non existit, quando reliquae Dominicae post Epiphaniam sunt anticipandae. Haec autem ratio est triplex:

1ª Ratio est, quia S. Mater Ecclesia iam a saeculo XII dictam Dominicam II post Epiphaniam super alias Dominicas istius temporis elevavit, ei adnectens *Stationem specialem*. Legitur enim in tomo I *Collectionis Bullarum Ss. Basilicae Vaticanae* (edito Romae an. 1747), pag. 89:

a) Innocentius III, tertio nonas Ianuarii, Pontificatus anno decimo, *ad commemorandas nuptias salutares*, Stationem S. Spiritus in Saxia quotannis in perpetuis temporibus celebrandam instituit; effigiem Iesu Christi illuc e Vaticana Basilica per ipsius Canonicos solemni supplicatione deferri mandat; idcirco eisdem Divi Petri Canonicis praemium elargitur.

b) In eodem opere citato, pag. 110, habetur:

Honorius III, tertio nonas Iulii, Pontificatus anno septimo, institutam ab Innocentio III Stationem ad Sanctae Mariae in Saxia quotannis celebrandam, solemnemque supplicationem cum Ss. Sudarii seu Vultus sancti delatione habendam confirmat.

c) In eodem opere, ibid., pag. 132, invenitur:

Alexander IV, Kalendis Martii, Pontificatus anno primo, quae sui Praedecessores de Statione ad S. Mariae in Saxia quotannis celebranda, et Vultus sancti delatione per Canonicos habenda, novo firmat diplomate; eisdem S. Petri Canonicis praemium adauget.

d) Mabillon, *Musaeum Italicum*, in capite 98, Ordo Romanus XIV: *Quibus diebus et solemnitatibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in persona celebrare,* dicit:

In prima Dominica post Octavam Epiphaniae, quae dicitur Dominica *de Nuptiae* cum sit Romae; et praedicatur (Vide Migne, Patrol. Lat., LXXVIII, col. 1223) (1).

e) Gulielmus Durandus, in opere *Rationale Divinorum*

(1) Vide pariter Sermonem Innoc. Pp. III, in hac Dom. habitam apud Migne, Patr. Lat., tom. CCXVII, col. 345 et 346.

Officiorum (edit. Venetiis an. 1599), lib. IV, cap. 19, de Dom. II post Epiphaniam, pag. 187, sequentia habet:

« Ad has siquidem nuptias celebrandas Innocentius III instituit hac die STATIONEM apud venerabile Hospitale Spiritus sancti fieri, ubi tamquam in Cana Galileae est Zelus transmigrandi de vitiis ad virtutes (1). Ibi siquidem positae sunt sex hydriae, id est, instituta sunt et perfectissime exercentur sex opera misericordiae, quae sunt pascere esurientem, potare sitientem, colligere hospitem, adire incarceratum, vestire nudum, visitare infirmum et mortuum sepelire, et est ibi mater Iesu, quoniam in honorem beatissimae Mariae Virginis illius loci est Ecclesia dedicata. Invitatur etiam filius eius Iesus cum discipulis ad has nuptias, quoniam effigies Iesu Christi, quae Sudarium, sive Veronica vulgariter appellatur, hac die ex institutione eiusdem Innocentii a Domino Papa et Cardinalibus populis fidelibus ad has nuptias pietatis et misericordiae celebrandis illuc convenientibus ibi solemniter demonstratur ».

2ª RATIO, quam Cavalieri (*Opera omnia Liturg.* edit. Venetiis an. 1758, tom. II, P. I, cap. XIV, Decr. II, n. 48) cum Gavanto (Part. IV, tit. 3, n. 3), cl. Dr. P. Piacenza (*Comment. in tres Tabellas* etc., adnot. 90, p. 159) et Ephemer. Liturg. (an. 1913, p. 146) afferunt, est sequens: « Rationem huius (ait Caval. l. c.) affert Gavantus (l. c.), nempe ut Evangelium eiusdem (Dom. II post Epiph.), in quo fit mentio conversionis aquae in vinum, quae fuit initium miraculorum Christi, congruo tempore legatur; satis enim incongruum extitisset post tot narrata de vita et miraculis Christi, primi eiusdem miraculi mentionem habere, et ideo antequam quidquam aliud in sequentibus Dominicis et feriis de eo narratur, statim post eiusdem Baptismum primum miraculum Ecclesia voluit recenseri ».

3ª RATIO, quam hic adiungere possumus, est ut sequitur: in II Vesperis Festi Epiphaniae, in Antiphona ad

---

(2) *Cana* enim Zelus interpretatur (Idem auctor).

« Magnificat » Ecclesia canit: « *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella Magos duxit ad praesepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos. Alleluia* ». Porro de primo horum miraculorum Ecclesia memoriam celebrat per totam Octavam; de secundo miraculo, i. e. de Baptismo Christi Domini a Ioanne Baptista, Ecclesia memoriam facit in ipsa die octava Epiphaniae, et tertium miraculum Domini nostri Ecclesia memorat et assignat in Dominica II post Epiphaniam, seu in I Dom. post Octavam Epiphaniae. Si itaque S. Mater Ecclesia cum tanta solemnitate recolat duo alia miracula Christi Domini, nonne ex hoc iure merito inferre possimus quod mens et voluntas Ecclesiae esse debeat Dominicam II post Epiphaniam, in qua memoratur et recolitur tertium miraculum Christi Domini, cum maiori solemnitate quam reliquas Dominicas post Epiphaniam celebrandam esse, et in casu, quo impediatur ob Dominicam Septuagesimae, potiori iure seu privilegio anticipationis super alias Dominicas gaudere debere? Iuxta me nullum dubium circa hoc esse potest, praesertim si consideretur quod S. Ecclesia iam ab antiquo tempore eam Dominicam speciali Statione decorare voluerit.

Imo, hisce omnibus consideratis, nonne opportunum foret, ut Festum Ss. Nominis Iesu in perpetuum assignaretur sive in Dom. III post Epiphaniam, sive in die 28 Ianuarii et in casu quo dicta Dominica II ob Septuagesimam impediatur, ea anticipanda esset per integrum eius officium, scilicet cum novem Lectionibus, etc.?

Resp. ad II. — Cum hucusque S. R. C. recens nihil disposuerit, excepta Dom. II, circa reliquas Dominicas post Epiphaniam, manifestum est nihil proprio marte iis Dominicis aliquod ius praeter concessum in anticipatione tribui posse; ideoque usquedum aliter non praescribit S. R. Congregatio, pro earum anticipatione sequendae sunt antiquae Rubricae. Consequenter dictae Dominicae per integrum Officium anticipari nequeunt, nisi in die libera ab Officio IX

lectionum, quod si nulla eiusmodi dies libera in illahebdomada habeatur, tunc in Sabbato fiat commemoratio Dominicae anticipatae per Antiphonam et Orationem proprias et nonam Lectionem Homiliae in Officio, et per Orationem eiusdem et Evangelium in fine Missae.

Notandum est insuper quod S. R. C., disponens ut Dominica II post Epiphaniam per integrum Officium, etiam in festo duplici, anticipetur, quando in hebdomada non habentur festa semiduplicia, imo etiam in festo duplici maiore, in defectu dupl. min. nihil aliud fecerit quam huic Dominicae eadem iura concedere in anticipatione ac in occurrentia, quae iura ipsa iam habebat iuxta antiquas Rubricas. Etenim, iuxta antiquas Rubricas, Dominica minor cedere debebat duplici, non autem semiduplici, seu aliis verbis in occurrentia Dominica minor cum semiduplici gaudebat integro Officio; commemoratione vero, in occurentia cum duplici. Et ita similiter erat, quando Dominica II post Epiphaniam anticipanda erat, nempe si festa semiduplicia non habebantur in hebdomada, tunc in festo duplici in sabbato agenda erat eius Commemoratio et IX lectio in Officio, et Commemoratio et eius Evangelium in fine Missae.

Si vero hodie concederentur reliquis Dominicis post Epiphaniam in anticipatione eadem iura quibus nunc gaudet Dominica II post Epiphaniam, tunc illae Dominicae non solum aequipararentur Dominicae II, quamvis pro illis nulla ratio specialis privilegii seu iuris existat, sed illae Dominicae insuper potiora iura in anticipatione obtinerent quam antea habebant, in comparatione cum II Dominica, cum iuxta antiquas Rubricas illae Dominicae in anticipatione aequipararentur Officio *feriali*, et in Officio IX lectionum, licet semiduplici, non gauderent nisi Commemoratione et IX lectione Homiliae in Officio et commemoratione et ultimo Evangelio in Missa. Cum autem hodie de Dominica anticipata, uti de Feria maiori, propriam Missam habente, Missae privatae ad libitum celebrari possint, idcirco iuxta me nullum aliud ius eiusmodi Dominicis attibuendum est; alioquin aliis

Dominicis minoribus per annum, casu quo impediantur, simile ius concedendum est.

Consequenter anno proxime venturo Dominica V post Epiphaniam in die 7 Februarii, in festo S. Romualdi ritu duplici, anticipanda est per Antiph. et Or. pr. et IX Lectionem Homiliae in Officio, et per Or. et ultimum Evang. in Missa.

P. V. ab A.

E Panormo. — **De Sanctis Patronis.** — I. In civitate Panormitana sunt septem Patroni *aeque principales*, qui omnes a Clero saeculari ibi celebrantur sub ritu duplici I classis cum Octava, videlicet: 1. S. Agatho P. C., - S. Agatha V. M., - 3. S. Oliva V. M., - 4. S. Mamilianus Ep. M., - 5. S. Christina V. M., - 6. S. Rosalia V. M. et 7. S. Nympha V. M. — Quaer.: an Regulares ibi degentes teneantur celebrare omnes dictos Patronos? — Et, si affirmative, quid faciendum de Festis quae per dictos Patronos impediuntur in Kalendario nostro, in quo tam pauci dies liberi inveniuntur?

Resp. Mihi mirum et inauditum videtur civitatem Panormitanam septem Patronis *aeque principalibus* gaudere, quorum Festa omnia a Clero saeculari illius Civitatis sub ritu duplici I classis cum Octava celebrantur. Quidquid sit, si praedictae praemissae verae sint, conclusio necessario sequitur, quod nempe Regulares ibi degentes et proprio Kalendario utentes teneantur ad celebrationem dictorum Patronorum sub ritu duplici I classis *sine Octava*, et Festa, quae per eos Patronos in illo Kalendario impediuntur, ad aliam diem iuxta novas Rubricas perpetuo sint transferenda, si ea Festa iure translationis gaudeant; et casu, quo in illo Kalendario dies liberi non inveniantur, ea Festa (non classica nempe) sunt omittenda, cum eorum simplificatio fieri nequeat in duplici I classis. — Ita iuxta principia iuris liturgici, sed nonne melius foret recursum habere ad S. Congregationem, ut Regulares ibi degentes et proprium Kalendarium habentes unum vel duos tantum ex iis septem Patronis celebrare permittantur?

II. Praeter Festum S. Gerlandi Episc., Patroni principalis Civitatis et Dioecesis Agrigentinae, ibi etiam celebrantur Festa S. Libertini Ep. et Mart. et S. Gregorii II Episc., qui ambo sunt Patroni *aeque principales* illius Civitatis Agrigentinae et a Clero saeculari tantummodo celebrantur (etiam in tota Dioecesi a tempore immemorabili) sub ritu duplici I classis cum Octava. Adverte quod illa duo Officia (S. Libertini et S. Gregorii II) in Decreto concessionis fuerint extensa etiam ad Regulares, quamvis ipsi ea Festa numquam celebraverint. — Quaer.: an Regulares proprio Kalendario utentes et in ea civitate vel Dioecesi degentes ad dictos Patronos teneantur?

Resp. Nullum dubium est quin Regulares *in ea Civitate* degentes et proprio Kalendario utentes tres dictos Patronos celebrare teneantur, vide supra Resp. ad I Dubium.

Quoad Regulares vero qui *in dioecesi Agrigentina* commorantur et proprium Kalendarium habent, an illi etiam teneantur ad Patronum principalem *Dioeceseos,* scilicet S. Gerlandum Ep., haec quaestio dependet ab hac conditione, utrum illud Festum Patroni Dioecesis hucusque celebratum fuerit a Clero saeculari sub ritu duplici I classis cum Octava *per totam Dioecesim, etiam in locis peculiarem Patronum habentibus,* necne. In casu affirmativo, tunc Regulares, in illa Dioecesi degentes et proprium Kalendarium habentes, etiam ad celebrationem huius Patroni obligantur sub ritu duplici I classis, sed sine Octava. Recens enim Decretum S. R. C. d. 6 Decembris 1912 ad 7 circa hanc quaestionem ita sonat: « Attenta praesertim Rubrica tit. IX, n. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu Civitatis, tum Provinciae, tum Nationis, singula Festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari debent, etiam quoad Patronos *Dioeceseos,* dummodo hucusque Festum eius per totam Dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu duplici I classis cum Octava » A. A. S., IV, 728), *cum Octava* nempe a Clero saeculari et regulari ibi degenti et Kalendarium *Dioecesanum* sequenti.

III. In territorio Imerensi primus Patronus principalis fuit S. Calogerus Eremita; sed deinde tempore elapso electus fuit B. Augustinus Novelli Conf., Civis a « Terminese » qui hodie quolibet anno magna cum solemnitate celebratur, et de S. Calogero quasi nihil amplius fit. — Quaer.: ad quemnam Patronum Regulares ibi degentes teneantur?

Resp. Regulares ibi degentes Clero saeculari se conforment quoad celebrationem Patroni principalis, cum supponendum sit, ultimum Patronum legitime electum fuisse, donec aliter probetur.

IV. S. Michaël Archangelus est Patronus principalis Civitatis Calatanisiadensis; Clerus autem saecularis celebrat tum Festum Apparitionis (8 Maii) tum Dedicationis (29 Sept.) S. Michaëlis sub ritu duplici I classis cum Octava. — Quaer.: an Regulares in illa Civitate vel in Dioecesi degentes et proprium Kalendarium habentes etiam ad illa utraque Festa S. Michaëlis teneantur?

Resp. Iuxta Decretum generale S. R. C. d. 9 Iulii 1895 (n. 3863): « I ... Quod si plures habeantur in loco Patroni *aeque principales*, ad singula eorumdem Festa, praefato celebranda ritu, omnes ut supra similiter tenentur: si vero *de eodem* plura sint Festa in loco instituta, unum tantum solemnius, i. e. natalitium, dicti Regulares recolent, *nisi sub utroque praecepto sint observanda*, tunc enim ad illa ipsimet Regulares adiguntur ». — Consequenter in casu, Regulares *in civitate Calatanisiadensi degentes*, tenentur ad Festum *principale* tantum S. Michaëlis (i. e. 29 Sept.), nisi ibi utrumque Festum huius Sancti sub utroque praecepto observetur, vel observatum fuerit. — Regulares vero *in illa Dioecesi* (Calatanisiadensi) commorantes etiam ad solum principale Festum S. Michaëlis tenentur, si hic Patronus per totam Dioecesim, etiam in locis peculiarem Patronum habentibus, hucusque celebratus fuerit; si secus, non tenentur.

V. S. Franciscus a Paula est Patronus principalis totius ditionis Siciliae. Quidam autem tenent, Festum huius Patroni celebrandum esse cum Octava, etiam a Regularibus;

dum alii sustinent, illud festum a Regularibus esse celebrandum sine Octava. Quid ad casum?

Resp. S. R. C. d. 16 Febr. 1907 ad 2 (n. 4200) satis explicite dicit in casu illud Festum esse celebrandum a Regularibus proprio Kalendario utentibus sub ritu duplici I classis *sine Octava.* Ibi enim quaeritur: « Utrum iidem (Regulares nempe proprio Kalendario utentes) teneantur celebrare sub ritu duplici I classis *sine Octava* Festum Patroni praecipui regni aut ditionis, etiam in casu quo habetur Patronus distinctus proprius provinciae, an dumtaxat deficiente Patrono proprio provinciae? » — S. R. C. resp.: « Affirmative ad primam partem, si liquido constet de concessione apostolica; negative ad secundam, iuxta Decreta, n. 3925, Ord. Capuc. S. Francisci, 10 Iulii 1896 ad III, et n. 3959, Ord. Min. de Observ. S. Francisci, 2 Iulii 1897 ad 1 ».

P. V. ab A.

E Belgio. — I. **De aliquibus occurrentiis festorum.** — Anno proxime sequenti (1914) die 4 Octobris occurrunt Festum S. P. N. Francisci duplex I classis et solemnitas Ss. Rosarii duplex II classis; ideoque solemnitas S. Rosarii iuxta novas Rubricas (tit. III, n. 3) « transferenda est in proximiorem insequentem diem quae libera sit ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officio huiusmodi Festa excludentibus ». Quaestio itaque est, an die 5 Octobris, quo nos Fratres Minores Capuccini celebramus Commemorationem omnium Fratrum nostrorum Defunctorum, sit eiusmodi Officium quod excludit Festum translatum ritus duplicis II classis, scilicet solemnitatem translatam Ss. Rosarii?

Resp. In Breviario Ord. Capuccinorum, a Leone Pp. XIII d. 4 Decembris 1894 approbato, die 4 Octobris post Vesperas Festi legitur sequens Rubrica: « Dicto *Benedicamus Domino* dicuntur Vesperae Defunctorum ritu duplici pro solemni Commemoratione die crastina (nisi fuerit Dominica) Fratrum nostrorum Defunctorum, omisso in fine Psalmo *Lauda, anima,* prout in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum

2 Novembris, licet sequenti die agendum sit de aliquo Festo duplici minore ». Et iterum paulo inferius dicitur: « Cras (vel hodie post Completorium) dicitur Matutinum cum tribus Nocturnis et Laudibus ritu duplici, prout in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum 2 Novembris, omisso in fine Ps. *De profundis*, et dicitur *Deus, veniae largitor*, ut supra ». — Ex quibus verbis satis liquet Commemerationem omnium Fratrum nostrorum Defunctorum die 5 Octobris iisdem privilegiis seu iuribus gaudere ac Commem. Omnium Fidelium Defunctorum die 2 Novembris *ante ultimam Rubricarum reformationem*. Ita quoque S. R. C. (d. 10 Iulii 1896 ad 3, q. 2, n. 3925) et omnes Calendaristae Ordinis nostri praefatam Breviarii nostri Rubricam tempore praeterito intellexerunt.

Porro ante novam Rubricarum reformationem, Constit. « *Divino afflatu* » Pii Pp. X introductam, iuxta Decretum generale S. R. C. d. 9 Iulii 1895 (n. 3864) Commem. Omnium Fidelium Defunctorum die 2 Novembris sequenti privilegio seu iure gaudebat: « II. Quod si die 2 Nov. occurrat dies Dominica, vel alicubi Festum aliquod cum feriatione celebrandum aut duplex I classis, quamvis sine feriatione, Commemoratio omnium Defunctorum transfertur in sequentem diem eiusdem mensis similiter non impeditam » (1). Festum itaque duplex II classis occurrens in illa die est transferendum; et a fortiori hoc dicendum de Festo translato. Consequenter Commemoratio omnium Fratrum nostrorum Defunctorum excludit Festum occurrens et translatum ritus duplicis II classis, ideoque in casu solemnitatem Ss. Rosarii, quae in alterum proximiorem diem reponenda est.

---

(1) Adverte, novam Rubricam Psalterii (tit. XIII, n. 2) fere similis tenoris esse, ubi ita legitur: « Si die 2 Novembris occurrat Dominica vel aliquod duplex I classis, Commemoratio Defunctorum celebrabitur die proxime sequenti, similiter non impedita; in qua, si forte occurrat duplex II classis, hoc transfertur iuxta regulam traditam tit. III, num. 3 ».

Verum est quod S. Rit. Congregatio anno praeterito respondit: « *Non expedire* » ad postulatum Ordinis Capuccinorum, quo petebatur ab hac S. Congregatione facultas seu indultum Celebrandi Commemorationem omnium Fratrum nostrorum defunctorum die 5 Octobris eodem modo quo Ecclesia universalis, iuxta novas Rubricas hodie celebrat Commem. Omnium Fidelium Defunctorum die 2 Novembris, scilicet facultas recitandi die 5 Octobris illud novum Officium pro die 2 Novembris concessum, et omittendi die 5 Octobris Officium et Missam diei occurrentis. Forsan S. Rit. Congregatio praefatum responsum dedit, cum ad hanc Congregationem non pertineat eiusmodi indultum concedere. Pro Religiosis enim, ut ipsi possint satisfacere obligationi recitandi Officium divinum, loco Officii diei currentis, per solam recitationem Officii Defunctorum, id potius spectat ad S. Congregationem de Religiosis vel ad Summum Pontificem ipsum (1). Quidquid sit, hoc satis certum est per illud supramemoratum S. Rit. Congregationis responsum nullimode sublata esse ea privilegia seu iura, quibus ante novam Rubricarum reformationem gaudebat Commemoratio omnium Fratrum nostrorum Defunctorum die 5 Octobris.

II. Die 3 Aprilis 1914 Festum septem Dolorum B. M. V. ritus duplicis maioris impeditur in nostro Kalendario per Festum occurrens eiusdem ritus sed, primarium, S. Benedicti a S. Philadelpho. Iuxta antiquam Rubricam Breviarii Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis), in casu impedimenti in insequentem diem transferendum est, et si simili modo impediatur, eo anno omittitur. Sed quaestio nunc est, utrum dicta Rubrica adhuc subsistat, necne. Certe, satis constat illam Rubricam quae in Breviario invenitur pro translatione Ss. Nominis Iesu et pro Festo VII

(1) Hinc, uti audivi, S. R. Congr. ad simile postulatum, ab aliis Religiosis factum, resp.: « *Ad S. Congregationem de Religiosis* ».

Dolorum B. M. V. mense Septembris esse abrogatam; sed haec Festa sunt duplicia II classis, et consequenter iuxta novas Rubricas (tit. III, n. 3), si impedita sint, transferentur in proximiorem sequentem diem similiter non impeditam; sed hoc fieri nequit in casu occurrentiae *accidentalis* cum Festo duplici maiori, nam si praefata Rubrica sit abrogata, tunc illud Festum (VII Dolorum B. M. V. Feriae VI post Dom. Passionis), utpote ritus duplicis maioris, si impediatur, simplificandum vel omittendum est, prout Festum occurrens permittit.

Resp. In novo Missali, a D. Fr. Pustet hoc ipso anno currente edito, adhuc legitur sequens Rubrica post Missam Festi VII Dolorum B. M. V. (in Feria VI post Dom. Passionis): « Quando Festum VII Dolorum B. M. V. hac Feria (i. e. Feria VI post Dom. Passionis) celebrari nequit ob occursum alicuius Festi altioris ritus, aut aequalis, sed primarii, vel potioris dignitatis, transferendum est in Sabbatum immediate sequens, simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur ».

Non obstante hac Rubrica, quae adhuc invenitur in nova Missalis editione, hoc anno quidem a D. Fr. Pustet impressa et publicata, inhaerendo novis Rubricis et ipsi Constitutioni « *Divino afflatu* » Pii Pp. X, mihi omnino videtur tenendum esse dictam Rubricam pro Festo VII Dolorum B. M. V. (inFeria VI post Dom. Passionis) non amplius subsistere, ideoque abrogatam esse.

Dicta enim Rubrica contraria est novae Rubricae tit. III, n. 4, ubi sequentia verba leguntur: « Festa duplicia maiora cuiusvis dignitatis, et duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis duplicibus minoribus Rubricae disponunt... » Festa itaque duplicia maiora cuiusvis dignitatis, si *accidentaliter* impediantur, non amplius transferuntur, sed si impedita sint, vel simplificantur vel omittuntur, prout Festum occurrens permittit. Insuper SS. D. N. Pius Pp. X, in Constit. « *Divino afflatu* », satis clare abrogat

quidquid novis Rubricis contrarium sit; dicit enim: « Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has nostras Litteras validas et efficaces semper esse ac fore; *non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus* ».

III. In aliquo Coenobio Provinciae nostrae Ss. Trinitas est Titularis Ecclesiae. In die autem octava occurrit Dominica infra Octavam Commemor. solemnis Ss. Corporis D. N. I. C. — Quaer.: an dicta Dominica dies octava Ss. Trinitatis fieri possit et debeat ad instar simplicis?

Resp. Cum Festum Commemorationis solemnis Ss. Corporis Christi ex Decreto 24 Iulii 1911 amodo celebrandum sit cum Octava privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae, et ex altero Decreto S. R. C. d. 17 Nov. 1911 (n. 4280) constet, adveniente Festo eiusdem Commemorationis solemnis continuari adhuc debere Octavas inchoatas, nullum dubium esse potest, quin in casu dies octava Ss. Trinitatis per modum simplicis peragenda sit dicta Dominica infra Octavam Commemorationis Solemnis Corporis Christi (1).

P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro Galicia. — I. Utrum diebus, quibus recitatur Officium de die infra Octavam communem cum commemoratione Vigiliae (v. gr. 14 Augusti de 5ª die infra Oct. S. Laurentii), Missae omnes, cum lectae tum cantatae, debeant necessario celebrari de Vigilia, an detur optio inter Missam Vigiliae et Missam de Octava?

Resp. Servanda est rubrica generalis Missalis, tit. III, n. 2, ubi habetur: « In vigiliis... quae veniunt infra octavam, Missa dicitur de vigilia... cum commemoratione octavae:

(1) *Nota Directionis.* - Cf. Piacenza *in tres Tabellas* pag. 112, ubi traduntur rationes pro celebratione diei octavi SS. Trinitatis.

praeterquam infra octavam Corporis Christi in qua... in Missis privatis dicitur Missa de octava cum commemoratione vigiliae ».

II. Utrum Festum 1. vel 2. classis, accidentaliter impeditum, transferri possit et debeat in diem octavam communem? Estne (si affirmative quaestio solvetur) in festo 1 cl. commemoratio diei octavae omnino hoc anno omittenda?

Resp. Affirmative, ex dispositione novarum rubricarum, tit. III, n. 3, cum tit. IV, n. 2 collato. In casu Officii translati duplicis 1 classis, dies octavus nullimode commemoratur, iuxta tabellam occurrentiae etiam accidentalis.

III. Occurrente eadem die anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis (duplex 1 cl. sine Octava) et Titulo ecclesiae propriae (duplex 1 cl. cum Octava), quid praevalebit?

Resp. Sicut iam alias in hisce *Ephemeridibus* probavimus, Dedicatio ecclesiae cathedralis extra illam, praevalet Titulari ecclesiae propriae, etiamsi illa celebranda sit sine octava, quia character octavae consideratur iam posita paritate dignitatis; atqui dignitas est superior in Dedicatione; ergo...

IV. Proximo anno 1914 occurrent die 3 maii: Solemnitas S. Ioseph, d. 1 cl. cum Octava — B. Mariae V., Reginae Poloniae, Patronae principalis dioeceseos, d. 1 cl. cum octava pro clero saeculari, sine octava pro clero regulari. — Inventio S. Crucis, d. 2 cl. Hinc ergo: 3. Dom. Solemnitas S. Ioseph. — Vesperae de praecedenti, comm. sequ. et Dominicae. 4. Feria II. B. M. V. Reginae Poloniae, d. 1 cl. 5. Feria III. Inventio S. Crucis. Rectene?

Resp. In provincia regulari iam die 4 maii possidet Officium S. Crucis, dupl. II cl., ergo, ob supra dictam rationem, Officium B. M. V. Reginae Poloniae transferri debet ad diem 5.

V. Si occurrerit aliquando 21 iunii festum SS. Cordis Iesu, quod in Soc. Iesu celebratur ritu duplici 1 cl. cum Octava, in ecclesiis huic SS. Cordi dicatis fietne de SS. Corde, an de S. Aloisio?

Resp. Fiet de S. Aloisio, utpote de festo primario I cl. dum SS. Cordis Iesu festum est dupl. I cl., sed secundarium.

Pro Turonibus. — Quomodo cohaerent inter se rubrica adiecta Constitutioni *Divino afflatu* (Tit. VIII, 2) et mutationes inducendae in rubricis particularibus: « In VII Psalm. Poenit. supprimantur duae primae rubricae » ? Nonne dicendum has, meo quidem sensu, non cohaerere? sed non licet aliam mutationem facere inconsulta S. R. C. — Ut autem cohaereant, deberet: 1° supprimi prima rubrica; 2° tolli in secunda, unicum verbum « *autem* » ; 3° tolli pariter in tertia duo verba « *in Quadragesima* ». Sic enim, quidquid refertur ad ablatam obligationem recitandi Psalmos Poenit. auferretur, remanente quidquid refertur ad vigentem adhuc obligationem recitandi Litanias sive in choro sive extra illud.

Resp. 1° Dicendum est, a priori, nullam faciendam mutationem, nisi quam S. R. C. designavit Decreto 23 ian. 1912; 2° Norma pro Litaniis maioribus et minoribus iam habetur tum in corpore Breviarii, tum in Rituali; prima, ut sciatur quomodo recitandae *ab iis qui non intersunt Processioni;* secunda, ad iudicandum quomodo publice sint moderandae, cum antiphona, scilicet, *Exsurge,* etc.; 3° Non esset semper verum, quod in choro dicendae sint post *Benedicamus Domino* ad Laudes, sed tantum in casu de non persolvenda Processione.

Pro dioecesi Strigoniensi. — In dioecesi Strigoniensi celebratur festum S. Adalberti M., qua titulus *secundus* ecclesiae cathedralis, dupl. I cl. cum octava. Sumusne nos, qui in ea dioecesi commoramur, obligati ad hoc festum celebrandum? Et si obligati sumus, quia festum S. Adalberti Dominica II post Pascha celebratur, debet ne festum Translationis S. Vincentii, quod iuxta novum decretum repositum est ad Dom. II post Pascha, quotannis ad feriam II post II Dom. transferri, an relinquetur in die 26 Aprilis?

Resp. Ex qualitate ritus duplicis I classis cum octava, recte arguitur quod *secundus* titulus cathedralis Strigoniensis est alter titulus aeque principalis, et ex Decretis recolendus est pari ratione ac prior. Nunc vero, Translatio S. Vincentii, quam supponimus ritu dupl. II cl. celebrandam, iuxta

novissimas dispositiones ad feriam II est stabiliter reponenda, non vero die fixa, 26 Aprilis, celebranda (S. R. C., 24 februarii 1912, III).

Pro Rijeka in Croatia. — I. Anno sequenti, 1914, occurrit *Septuagesima* die 8 febr., et Dominica V post Epiphaniam debet anticipari. In Kalendario Ecclesiae universalis, dies 3 febr. libera est pro hac Dominica anticipanda; sed in permultis Kalendariis omnes feriae huius Hebdomadae impeditae sunt festo duplici. — *Quaeritur,* utrum sit ista Dominica anticipanda per simplicem 9. Lect. hom. et com. in Sabbato, an potius per integrum Officium; et si negative, an possunt in Sabbato dici Missae privatae vel de festo cum com. Dom. *vel* de Dom. anticipata cum com. festi?

Resp. Rubrica pro anticipatione Dominicarum, quae sequuntur secundam post Epiphaniam, non sunt mutatae, ideoque: affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Circa vero facultatem celebrandi tunc Missam die Dominica potius quam de festo, nihil a competenti Auctoritate statutum est, idcirco standum omnino antiquae praxi, quae non sinit in casu Missam eligere de Dominica, nisi occurrente Semiduplici. Et re sane vera Rubrica novissima, tit. X, n. 2, nullimode talem Dominicam anticipatam inter alias (ferias) recenset in quibus Missa dici potest de feria vel de festo, sed illam nominat tantum quando in secunda parte loquitur de prohibitione celebrandi de requie.

II. An potest teneri sententia « Ephem. Liturg. » affirmans, Vesperas die 4 ianuarii, non de Octava SS. Innocentium, sed de seq. (Vigil. Epiph.) esse recitandas, *uti authentica ipsius Sacrae Rituum Congregationis decisio?*

Resp. Affirmative; non vi auctoritatis ullae quam eo sensu habeant *Ephemerides,* sed vi Decreti S. R. C. 21 iunii 1912, VI, in responsione, ubi dicitur, Vigilia Epiphaniae, tam in occurrentia, quam in *concurrentia,* duplici etiam maiori, quia privilegis Dominicae gaudet, esse praeferenda.

III. In festo SS. VII Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., die 12 februarii, decretum est ut hymnus ex I Ve-

speris (ob perpetuam concurrentiam cum festo Apparitionis B. M. V.) dicatur ad Matutinum; et hymnus Matutini ad Laudes; hymnus vero Laudum in II Vesperis, vel in utrisque, si oportuerit. Sed in plerisque Kalendariis, die 13 febr. fit de *festo duplici*, et sic hymnus Vesperarum perpetuo impediretur. *Quaeritur*, utrum sit hymnus ad Vesperas adiungendus cum hymno ad Matutinum, an omittendus omnino?

Resp. Quia metrum hymni Vesperarum SS. VII Fundatorum non est eiusdem metri ac hymnus ad Matutinum, et quia in utroque eadam fere, quamvis sub diversis verbis, exprimuntur, nequit coniuncto fieri. Posset quidem coniungi hymnus *Bella* cum *Sic Patres*, qui alter non est revera nisi continuatio prioris; sed id, a Decreto n. 4269, III, non permittitur, nisi in privata recitatione, in publica vero omittendus est hymnus *Matris sub almae*, ex ratione quam supra enunciavimus.

IV. An in Quadragesima possint dici Missae privatae de Requie in *prima* simulque *unica* die libera occurrente in una ex tribus ultimis feriis Hebdomadae (v. gr. vel fer. V, vel fer. VI, vel Sabb.)?

Resp. Affirmative, quia in casu, ex spiritu et ex littera rubricae, *primus* et *unicus* identificantur.

V. Recte ne posui lectionem S. Scripturae hoc anno: die 19 septembr., Fer. VI. Quatuor Temporum ll. I. N. fer. V. praec. et 20 septembr., Sabbato Quatuor Temporum, ll. I Noct. *Incipit liber Iudith,* ex Dom. seq. (iuxta decr. 19 april. 1912 ad XVI.)?

Resp. Affirmative, quoad primum; negative quoad alterum. Et sane, Decretum citatum favet translationi lectionum Scripturae; non vero anticipationi novae hebdomadae, quae a rubricis non admittitur, nisi pro Dominicis post Epiphaniam, vel pro penultima post Pentecosten, et quidem iuxta praescriptas regulas.

VI. An sit reponenda Missa Dominicae impedita in festis ritus semidupl., vel die infra octavam, vel saltem in festo semiduplici ad libitum, deficiente feria?

Resp. Negative, id enim non sinunt neque auctores neque novae rubricae, neque ulla Decreta. Optandum, uti alias diximus, ut S. C. id velit concedere. Neque id repugnat legi, quod Missae Dominicarum et feriarum nequeant, nisi uti statutum est, a die sua amoveri, vel dici ut votivae, quia in casu Missa per totam hebdomadam est propria.

VII. Anno 1914, Dominica III post Epiph. celebrabitur aliquibus in locis festum S. Familiae. Quaeritur: Missa Dominicae impeditae num sit reponenda in festo S. Agnetis secundo? Et si affirmative, nonne prohibentur in praedicto festo Missae privatae de Requie vel votivae, et nonne prohibentur Missae privatae de Dominica impedita?

Resp. Negative, quia in casu agendum est de S. Agnete, ritu simplici. Hinc nullo valore pollent ceterae quaestiones.

Pro Branki in Moravia. — I. Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati dicenda est diebus a Rubricis prohibitis Missa de feria addita penultimo loco oratione pro Defuncto, cui fructus Sacrificii applicatur. Quomodo intelligenda sunt verba « penultimo loco », si in Missa feriali commemoratur Officium duplex? Estne oratio pro defunctis addenda ante vel post commemorationem duplicis? E. g. die 8 martii? vel die 22 februarii?

Resp. Quia ex Decreto S. R. C. 12 iunii 1912, IV, non sunt computandae in casu collectae ab Ordinario imperatae, in primo casu, scilicet die 8 martii, oratio pro defuncto dicenda est ante commemorationem duplicis, S. Ioannis de Deo; in altero, scilicet die 22 februarii saltem probabiliter ante commemorationem Cathedrae S. Petri, et non ante commemorationem S. Pauli; dicimus *saltem probabiliter,* ex eo quod S. Paulus, in casu, etiam si nobiliores faciendae sint commemorationes, nullimode separari potest a S. Petro: ergo a fortiori quoad hanc orationem pro defuncto, quae est praeter ordinem.

II. Valentinus peragit die 23 februarii sepulturam defuncti. Die sequenti, fer. 2, non vult celebrare Missam cantatam de Requie, ob occursum festi S. Mathiae Apostoli,

quam Missam celebrat fer. 3. Quaeritur: Si cooperator eius eadem fer. 3 et eadem hora Missam applicet pro eodem Defuncto, quam assumere debet orationem; uti parochus, vel de tertia die a depositione?

Resp. Omissa inquisitione de *gravi causa,* quae determinavit sepulturam sine Missa exsequiali, sed supposita legitimitate; ac omissa quaestione de facultate prosiliendi ad diem 25 pro eadem Missa exsequiali corpore moraliter praesente (non ultra, videlicet, biduum), respondendum est: affirmative ad primam partem, negative ad secundam; quinimo animadvertimus, non solam orationem in casu esse sumendam in Missa de feria, sed Missam de requie omnino esse celebrandam, uti disponit Decretum 8 februarii 1913 ad IV, quod in fasciculo praeteriti mensis vulgavimus.

Pro Tarvisio. — I. An in Officio Defunctor., die 2 Nov., ad initium omnium Horarum fieri debeat signum Crucis, ut fit *respective* in ultimo Triduo mai. Hebdom.? — Et quatenus forsan *Affirmative*, an etiam ad Vesp., Mat. ac Laud., quando recitatur aliis diebus? (et ad Matut. an ad initium Invitatorii, vel ad initium primae Antiphonae?).

Resp. De hoc Crucis signo, de quo rubricae nullimode loquuntur, quoad privatam recitationem, nihil obstat quin fiat vel omittatur. Quoad publicam vero recitationem, servanda est vigens consuetudo, iuxta decreta nn. 3127 et 3156, in quorum primo, circa signum ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, consuetudo signum faciendi vocatur laudabilis.

II. An ad Complet. *Sab.* et *Dom.* Passion. et Palmar. in Responsorio brevi omitti debeat *Gloria Patri*, etiam quando fit commem. *Duplicis* occurrentis vel concurrentis?

Resp. Influxus Duplicis in Officio commemorato non adeo videtur valere in eodem Officio, ut *Gloria* in casu adhibeatur, secus enim influere deberet etiam in Invitatorio ipsius Officii, et adhuc in Missa, quod nimis absonum ab indole eiusdem Officii videtur. Haec ratio tanti ponderis esse videtur, ut secus fieri nequeat, nisi S. C. in re aliter loquatur.

III. An in festo S. Marci illis in Ecclesiis Regularium (vel aliis), in quibus *non fit* Processio Rog., in Missa Conventuali (seu principali) de festo, in qua debet fieri commem. Rog., debeat etiam legi huius Evangelium in fine?

Resp. Non constat, an in casu dicenda sit oratio de Rogationibus in Missa S. Marci; quia nihil invenitur in rubricis de commemoratione generatim in hac Missa facienda de Rogationibus. Si fit processio, etiam ubi unicus est Sacerdos, Missa dicenda est de Rogationibus (S. R. C., nn. 2915, II; 3924, IX; 4006, III), sed si processio vacat, nihil de Rogationibus faciendum. Quando autem fit processio, in ecclesiis in quibus celebratur Titulus vel Patronus, tunc non celebratur Missa de Rogationibus, sed de festo, et tunc additur sub unica conclusione oratio Rogationum ad orationem de Sancto vel Mysterio (S. R. C., n. 2942); hoc in casu Evangelium ultimum dicetur de Rogationibus, iuxta communes regulas de feriis commemoratis, non obstante tenore novissimae rubricae, tit. X, n. 3, uti alias diximus in responsione ad simile dubium.

IV. Quando fer. IV Rogationum fit de aliquo festo, et fit etiam Processio Rog., post quam celebratur Missa fer. Rog., quomodo ordinanda est commem. Vigiliae Ascens. in Missis Conventualibus in illis Eccl. Regularium, qui tenentur ad unicam Mis. Conventualem, et proinde in casu duas tant. legunt Missas Conventuales, i. e. de festo post Tertiam, ac de fer. Rog. post Processionem? Nempe: an commem. *cum* Evang. Vigil. facienda sit in Missa Conventuali de festo (omissa commem. Rog.,), vel potius comm. Vigil., *sine* eius Evang. in fine, facienda sit in Mis. Rogat. (omissa in Missa Convent. de festo *utraque* commem. Vig. et Rog.?

Resp. Regula est in similibus, ut commemorationes fiant respective, festivae in Missa de festo, feriales in Missa de feria. Attamen, cum vigilia Ascensionis, in qua non ieiunatur, sit potius festiva quam lugubris, putamus, illius commemorationem in Missa de festo agendam esse, cum ultimo Evangelio ipsius vigiliae in fine.

V. Quando in Dominica minori occurrit festum dupl. 2 cl. et simul Octava festi Domini aut festum Domini dupl. mai., quod in casu ad ritum simpl. redigendum est, an in Vesp., Laud. et Missa — *quoad commemor.* — danda sit praecedentia festo Domini (de quo, non occurrente Dup. 2 cl., deberet fieri Officium), vel potius praecedentia danda sit Dominicae, prout erui videtur ex tit. VI. nov. Rub. n. 3?

Resp. Praecedentia danda est Dominicae, tam ex rubrica quae citatur in dubio, quam ex S. R. C. decreto 9 februarii 1912, III, in quo, quamvis supponi queat, commemorationem fieri de simplificato festo Domini, nihilominus edicitur praefatio sumenda esse de Ss. Trinitate, scilicet de Dominica, quae quocumque in casu inter commemorationes praecedentiam habet.

VI. Quando dies Octava aut Vigilia alicuius festi propter occurrentiam festi dup. 1. cl. vacat, an in Martyrologio annuntianda sit?

Resp. Affirmative, salvo meliori iudicio, quia, ut videtur in ipso Martyrologio, vigilia non annuntiatur exclusive ratione Officii, prout videre est die 28 februarii, ubi vigilia S. Mathiae Ap. annuntiatur ante Officium festi, quod est de S. Petro Damiani. Si enim secus esset dicendum, oporteret ut vigilia annuntiaretur post dictum festum.

VII. An in Martyrologio annuntianda sit dies Octava festorum mobilium, et Vigilia Ascens. et Pentec.?

Resp. Quamvis non de praecepto, de quo positive non constat, saltem convenire videtur quod praefati dies annuntientur. Si vero de iis Officium faciendum sit, tunc sine dubio annuntiandi sunt prout de regula generali.

VIII. Quando die 23 Febr. occurrunt simul Vigilia S. Mathiae Apost. et Fer. IV Cinerum, quid debet in Martyrologio annuntiari I loco: Vigilia, vel dies Cinerum?

Resp. Faciendum est uti docet Martyrologium ipsa die 23, in qua videmus, vigiliam S. Mathiae annunciationi Officii de festo S. Petri Damiani, quod occurrit recitandum, esse praepositam.

IX. Quando in Missa de feria maiori aut Vigilia, quae applicatur pro particulari Defuncto, et in qua proinde addi potest Oratio pro eodem Defuncto, etiam quando a Rubrica praescribitur Or. *Fidelium* pro omnib. Def., an etiam in hoc casu (cum Or. *Fidelium* sit 2 loco) Oratio pro particulari Defuncto postponenda sit eidem Or. *Fidelium* pro omnib. Defunctis?

Resp. Utraque oratio, in casu, dicenda esset penultimo loco, hinc, iuxta nostram sentiendi rationem, oratio de particulari defuncto dicetur post orationem *Fidelium*, ex eo quod haec est generalis pro omnibus defunctis, et hanc ob causam, in Missis quotidianis ultimo loco ponitur; ac insuper considerandum est, orationem pro defuncto particulari, in casu, esse addititiam, scilicet quasi a rubricis ignoratam, atque ideo verus penultimus locus tribuendus est orationi, quae a rubrica praescribitur penultimo loco dicenda.

X. Item quando in Missa de feria mai., quae applicatur pro Defuncto, facienda est unica commem. festi Dupl., de quo recitatum est Officium, an Oratio pro defuncto facienda sit 2 loco, i. e. ante commem. festi?

Resp. Affirmative, prout insinuatur in S. R. C. decretis nn. 2077 et 3553, III.

XI. An Missa votiva Ss. Cordis Iesu prima feria VI in mense (ubi de consensu Ordinarii fiunt exercitia pietatis...) licita sit in *die Octava* vel etiam *infra Octavam* non privilegiatam, festorum Domini, *quando de eis recitatur integrum Officium?* Item an feria VI post Oct. Ascensionis, quando de ea pariter recitatur totum Officium?

Resp. Negative, sed ex decreto inedito, quia particulari, dato in *Lauretana* anno elapso, 1912, videtur esse in casu sumenda Missa de die cum omnibus Missae votivae privilegiis. Sed spes datur eiusmodi decretum generali modo propediem esse proditurum.

I. B. M. MENGHINI.

Varia de re liturgica.

I. — De erroribus in secundo Septem Dolorum Festo.

Attentionem Reverendissimorum Consociatorum revocandam esse censemus super nonnullos errores, qui in altero Septem Dolorum Festo reperiuntur, quorum statim agendam fore correctionem putamus, iuxta notum axioma: « *Error corrigitur, ubi deprehenditur;* » recursu ad legitimam Auctoritatem utique instituto, ut casui rite provideat.

Ante alios errores ille occurrit, quod Hymnus « *Iam toto subitus* **Vesper** *eat polo,* » qui ex ipso " **Vesperae** „ nomine pro hora Vesperarum indubie compositus est, collocatus sit ad Matutinum. Revera enim Hymnus omnis, qui respicit tempus olim persolvendis horis canonicis designatum, nequit ad alias horas recitari, in quibus allusio temporis falsitatem exprimat; ideoque Hymnus idem « *Iam toto subitus* **Vesper** *eat polo* » « *Et Sol attonitum praecipitet diem* », dici prorsus nequit ad Matutinum, quando nempe Sol iamdiu diem (non utique attonitum) praecipitavit, et Vesper iamdiu toto (non subitus, sed placidus) iam ivit polo! Matutini siquidem tempus liturgice proprium est media nox, uti constat ex pluribus Hymnis, quod « *Nocte surgentes* » aliique Hymni patenter ostendunt; ideoque nequit ad Matutinum dici Hymnus « Iam toto subitus » **Vesper** *eat* « *polo,* » qui pro Vesperis evidenter est compositus, et perperam ad Matutinum indictus.

Haec autem conclusio eo evidentius approbatur, quod Hymnus Vesperarum et Hymnus Matutini ordinem historicum sequuntur; qui ordo postulat, ut prius dicatur Hymnus « *Iam toto subitus* **Vesper** *eat polo* » et postea Hymnus « *O quot undis lacrimarum* », ne perperam historiae series perturbetur. Revera enim Hymnus « *O quot undis lacrimarum* » recolit

Depositionem Christi a Cruce, Hymnus vero « *Iam toto subitus Vesper eat polo* » Crucifixionem Domini evolvit. Itaque, ob erroneam talium Hymnorum transpositionem, quae hucusque in Breviario Romano cernitur, Depositio Christi de Cruce celebratur ante quam idem Christus Cruci affixus esse memoratur!

Duae porro sunt viae, per quas eiusmodi error auferatur; nempe: I. Hymnus « *Iam toto subitus Vesper eat polo* » ponatur in Vesperis, atque Hymnus « *O quot undis lacrimarum* » locetur ad Matutinum. Hoc sane modo series historiae et allusio temporis optime servabitur, et in secundis Vesperis Hymnus primarum Vesperarum repeti nullatenus prohibebitur. II. Hymnus « *Summae Deus clementiae* », qui veluti prologus vel sicuti epilogus aliorum aestimari potest Hymnorum, ponatur in utrisque Vesperis, Hymnus « *O quot undis lacrimarum* » dicatur ad Laudes, et ad Matutinum retineatur Hymnus hucusque consuetus, correcto eius initio, quod Vesperarum tempus respicit. Hac sane ratione illud evitabitur incommodum, ut postquam in Hymnis Vesperarum et Matutini plagas Filii et dolores Matris recensuerimus, perperam petamus adhuc ad Laudes: « Summae Deus clementiae, Septem Dolores Virginis, Plagasque Iesu Filii, *Fac rite nos revolvere* ».

Nonne ista postulatio opportuniorem locum in Vesperis obtinebit, antea nempe quam in aliis duobus Hymnis et in Responsoriis post Lectiones evolvere incipiamus plagas Filii et dolores Matris? Ita etiam illud amovebitur incommodum, ut Hymni nunc usque in Vesperis et ad Matutinum adhibiti debeant, sicut hoc anno disponitur in Kalendario Cleri Romani, non sine incommodo transponi, si Festum Septem Dolorum solam in primis Vesperis commemorationem obtineat. Neque alia de causa, nisi ut removeatur incommodum transpositionis vel coniunctionis Hymnorum, novissime in Breviario Romano mutatus est ordo Hymnorum trium, qui pro Festo Septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis assignantur; atque statutum est, ut Hymnus

Laudum « *Matris sub almae numine* », qui etiam tamquam aliorum prologus vel epilogus haberi poterat, uti in altero Septem Dolorum Festo Hymnus « *Summae Deus clementiae* », poneretur in utrisque Vesperis, atque ad Matutinum diceretur in posterum Hymnus « *Bella dum late* », et ad Laudes Hymnus « *Sic Patres vitam* », ita quolibet transpositionis et coniuctionis Hymnorum incommodo, saltem ex necessitate subeundo, efficaciter evitato.

Si altera haec via teneatur, allusio ad vespertinum tempus facillime expungetur, si Hymnus Matutini sic incipiat, ut in Officio Commemorationis Dominicae Passionis: « *Moerentes oculi, spargite lacrimas, et luctu resonent intima cordium, Dum saevae recolo ludibrium necis, Divinamque catastrophen.* » Idque eo vel magis fieri valet, quo generaliter abolitum ire noscitur pro particularibus locis Festum Commemorationis Dominicae Passionis, cuius et Officium Votivum expunctum iam fuisse ab Appendice Breviarii Romani rescitur. Immo, si ita legitimae Auctoritati visum fuerit, integra stropha prima Hymni ad Matutinum in Festo Septem Dolorum ex eodem Commemorationis Dominicae Passionis Officio rite desumi potest, et expelli stropha nunc usque recitata, quae et nimis reboans est, et ob verba « *Divinamque catastrophen* » multis est invisa.

Ita, salvo meliori iudicio.

FR. PASCHALIS BRUGNANI, O. F. M.

SPECIMEN

KALENDARII ECCLESIAE UNIVERSALIS

PRO ANNO DOMINI 1914

Pascha occurrente die 12 Aprilis

OCTOBER.

1. Fer. V. *Alb.* **S. Remigii, Ep. C.** *semid. ad libit.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom.
2. Fer. VI. *Alb.* **Ss. Angelorum Custodum,** *dupl. mai.* Off. pr. - In Miss. Cr. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. - Doxol. *Iesu, tibi... Qui natus.*
3. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui natus* et Prec.) Cap. et rel. pr. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. de Sp. S. Praef. B. M. V. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. et S. Francisci Assis. C. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu, tibi... Qui natus.*

✠ 4. **Dom. XVIII. p. Pent. I. Octobr.** *Alb.* **SS. ROSARII B. M. V.** *dupl. 2. cl.* - Off. pr. - Lect. 9. Hom. et com. Dom. et S. Francisci in Laud. et Miss. Cr. Praef. B. M. V. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. Dom. et S. Francisci - Compl. de Dom.

5. Fer. II. *Rub.* **Ss. Placidi et Soc. Mm.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. *Incip. liber 1. Machabaeorum* (de Dom. praec.) cum. ℟℟. de Comm. e 1. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* - Vesp. (*Alb.*) de seq. sine com.
6. Fer. III. *Alb.* **S. Brunonis C.** *dupl.* - In Vesp. com. seq. ac Ss. Sergii et Soc. Mm.

7. Fer. IV. *Alb.* **S. Marci I. P. C.,** *dupl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 3. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *A cunctis* - Vesp. de seq. sine com.

8. Fer. V. *Alb.* **S. Birgittae Vid.** *dupl.* - In Vesp. com. seq.

9. Fer. VI. *Rub.* **Ss. Dionysii Ep. Rustici et Eleutheri Mm.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. (m. t. v.) com praec. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

10. Sabb. *Alb.* **S. Francisci Borgiae C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc.) com. praec. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

✠ 11. **Dom. XIX. p. Pent. II. Oct.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Symbol. *Quicumque* et Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) et Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

12. Fer II. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

13. Fer. III. *Alb.* **S. Eduardi Reg. C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

14. Fer. IV. *Rub.* **S. Callisti I. P. M.,** *dupl.* - Vesp. (*Rub.*) a Cap. de seq. com. praec.

15. Fer. V. *Alb.* **S. Teresiae V.** *dupl.* - In Vesp. nulla com.

16. Fer. VI. *Vir.* De ea. - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim Prec. - Miss. de Dom. praec. sine. Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

17. Sabb. *Alb.* **S. Edwigis Vid.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. -

Vesp. (*Rub.*) de seq. (ut in Comm. or. pr.) com. Dom. - Compl. de Dom.

✠ 18. **Dom. XX. p. Pent. III. Oct. S. LUCAE EV.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. - Lect. 9. Hom. et com. Dom. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. Ev. Dom. in fine. - In Vesp. (de Comm.) com. seq. et Dom. - Compl. de Dom.

19. Fer. II. *Alb.* **S. Petri de Alcantara C.** *dupl.* - Vesp. a Cap. de seq. com. praec.

20. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannis Cantii C.** *dupl.* - In Vesp. com. seq. ac Ss. Ursulae et Soc. Mm.

21. Fer. IV. *Alb.* **S. Hilarionis Abb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum. ℟℟. de Comm. e 3. Noct. - Lect. 3. (e 2. una) pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. com. Ss. Mm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a cap. de Comm. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *A cunctis* - Vesp. (*Vir.*) de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

22. Fer. V. De ea - Off. de feria ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

23. Fer VI. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. Comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de fer. a Cap. de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec. – Doxol. *Iesu, tibi..... Qui natus.*

24. Sabb. *Alb.* **De S. Maria in Sabb.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. pr. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de Sabb. - Absol. et Bened. pr. - Lectt. 1. et 2. de Scr. occ. cum ℟℟. pr. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. pr. et Suffr. - Ad Hor. omn. de Sabb. (ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui natus* et Prec.) Cap. et rel. pr. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Praef. B. M. V. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc.) com. Ss. Chrysanti et Dariae Mm. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

✠ 25. **Dom. XXI. p. Pent. IV. Oct.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. com. Ss. Mm. et Suffr.

- Ad Prim. Symbol. *Quicumque* et Prec. - In Miss. 2. or. Ss. Mm. 3. *A cunctis* Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et Suffr. - Compl. de Dom. et Prec.

26. Fer. II. *Rub.* **S. Evaristi P. M.** *simpl.* - Ad Mat. Invit. et Hymn. de Comm. - Ant. Pss. et ℣. (omissis 1. et 2.) de fer. curr. - Lectt. 1. et 2., de Scr. occ. cum ℟℟. de Comm. e 1. Noct. - Lect. 3. pr. - Ad Laud. omn. de fer. a Cap. de Comm. et Suffr. - Ad Hor. omn. de fer. (ad Prim. Prec.) a Cap. de Comm. - In Miss. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* - Vesp. (*Vir.*) de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

27. Fer. III. **Vigilia Ss. Simonis et Iudae App.** *Viol.* De ea - Off. feriale ut in Psalt. - Lect. pr. cum ℟℟. fer. 3. - Ad Laud. Pss. 2. loc. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. - In Miss. sine Gl. 2. or. *Concede* 3. *Ecclesiae* et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. (ut in Comm. or. pr.) sine com. - Compl. de Dom.

† 28. Fer. IV. *Rub.* **Ss. SIMONIS et IUDAE App.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. loc. - In Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm.) nulla com. - Compl. de Dom.

29. Fer. V. *Vir.* De ea - Off. de feria ut in Psalt. et pr. loc. - Lectt. *Igitur Eleazarus* (de Dom. V. Oct.) - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine. - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

30. Fer. VI. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Lectt. *Mortuo itaque* (de fer. II. p. Dom. V. Oct.) - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

31. Sabb. **Vigilia Omnium Sanctorum** *Viol.* De ea - Off. ferial. ut in Psalt. - Lectt. pr. cum ℟℟. fer. 4. praec. - Ad Laud. Pss. 2. loc. et Prec. ferial. sine Suffr. - Ad Hor. Prec. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. Dom. - Compl. de Dom.

Bibliographia.

Psalterium BREVIARII ROMANI cum Ordinario Divini Officii iussu SS. D. N. Pii PP. X novo ordine per hebdomadam dispositum et editum - Editio amplificata continens integrum Officium per singulas hebdomadae ferias. Volumen in-4° XVI-356 pag. L. 7,50. — Religatum L. 11,00 — Officina Libraria Pontificia FRIDERICI PUSTET, Romae-Ratisbonae.

Hanc, potius quam *Editionem amplificatam*, dixeris merito **Editionem Principem,** quam sollertissimus Editor liturgicus Fridericus Pustet, ea qua solet, artis severitate et elegantia, nuper adornavit.

Editio Princeps, ob formae magnitudinem;

Editio Princeps, ob nitidos et conspicuos typos;

Editio Princeps, ob carthae soliditatem eiusque temperatum colorem.

Sed praesertim

Editio Princeps, ob novum dispositionis ordinem, quo fit ut habeatur Psalterium una cum Ordinario compositum, atque ita, ut ne cogatur lector ad bina se iugiter partes se conferre, neque id tantum primo hebdomadae die, sed ita singulis diebus.

Incipitur a die dominico cum oratione *Aperi*, quam sequitur *Pater noster*; *Ave, Maria* et *Credo* per extensum.

Item per extensum habetur:

Ad Matutinum: *Domine, labia etc.* cum integro Ps. *Venite, exsultemus;* Hymni pro diversitate temporum; Antiphonae et Psalmi; Versiculi, Absolutiones et Benedictiones; Hymnus *Te Deum*.

Ad Laudes similiter, a *Deus, in adiutorium* ad integrum *Benedictus;* Suffragium et Commemorationem de Cruce; *Dominus vobiscum*, *Benedicamus* et *Fidelium animae*.

Similiter, iuxta respectivum schema, ad Primam, aliasque Horas minores; ad Vesperas et ad Completorium, cum finalibus Antiphonis et oratione *Sacrosanctae*.

Haec immutabiliter ad dies reliquos renovantur.

Utilitas editionis eiusmodi neminem fugit; sive in Choro adhibeatur, sive domi; tum pro iis qui eiusdem mensurae possident Breviaria, ne debiliores praesertim oculi, diverso typorum genere graventur; tum pro iis qui, de hac re minus solliciti, Breviariis

utuntur parvae molis, quae nullo incommodo ad manus evolvi queunt dum Psalterium intercipitur.

Neque pretium praeclari voluminis incertos reddere potest adquisitores ; namque, consideratis validissimis mediis quibus abunde utitur editrix Domus Pustet, potuit illud mitissimum adplicari.

Restat ut hanc **Editionem Principem** Psalterii Romani Lectoribus et Consociatis nostrarum *Ephemeridum* quammaxime commendemus.

I. B. M. MENGHINI.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*

Ex Officina Polygrafica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM

Circa Missae qualitatem ad Indulgentiam Altaris privilegiati lucrandam.

Augescentibus in diem concessionibus sive localibus sive personalibus Altaris, quod vocant, privilegiati, nec non Missarum cum privilegio ex parte fidelium petitionibus, ne facilis neglectus conditionis, sub poena nullitatis in praesens requisitae, legendi, cum liceat, Missam de requie aut adiiciendi ad Missam de feria vel vigilia Orationem Defunctorum propriam, in grave Purgantium Animarum detrimentum vergat, Supremae huic Sacrae Congregationi Sancti Officii, cui res universa de Indulgentiis demandata est, pluribus ex locis oblatae sunt prcces, pro eiusmodi conditionis relaxatione. Quibus mature perpensis, E.mi ac R.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV die 19 februarii anni 1913, supplicandum Sanctissimo censuerunt, ut sequens Decretum pro universa Ecclesia adprobare, ac de plenitudine Suae potestatis firmum ratumque habere dignaretur: « Ad Altaris privilegiati, quod vo-

cant, Indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub poena nullitatis requiri, Missam de requie aut de feria vel vigilia cum Oratione Defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga Defunctum ».

Et sequenti feria V, die 20 eiusdem mensis, Sanctissimus Dominus noster D. Pius divina Providentia Papa X, in solita Audientia R. P. D. Adsessori Supremae huius Sacrae Congregationis impertita, benigne annuere dignatus est iuxta E.morum Patrum suffragia. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† Dominicus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Commentarium.

Ante duo nobis proximiora saecula, rarius, imo rarissime Altaria declarari solebant per Summos Pontifices privilegiata (1).

Gregorius XIII (Saec. XVI) plura quidem determinavit Altaria privilegiata; sed Paulus V, cum Commissionem

(1) « Per Indulgentiam Altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligenda est Indulgentia plenaria, quae animam statim liberat ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est Indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet (S. C. Indulg., die 28 iulii 1840) ».

« Inscriptio, quae reperitur in aliquibus Altaribus, huius tenoris; « Altare privilegiatum pro vivis et defunctis » interpretanda est ita, ut tam pro vivis, si in Altari de quo agitur, Missae sacrificium pro vivis applicetur, quam pro defunctis, si pro his S. Sacrificium applicetur, intelligatur concessa plenaria Indulgentia; pro vivis ad modum iurisdictionis, pro defunctis ad modum suffragii (S. C. Indulg., die 25 aug. 1897) ».

creasset pro Indulgentiarum revisione, haec tamquam principium statuit, Altaria non esse nisi ob graves recognitas causas privilegiata declaranda; quod vero eiusmodi concessiones in perpetuum attineret, eas non esse faciendas nisi ex rationibus item in perpetuum valituris, et in ecclesiis tantum insignioribus.

Altare privilegiatum quotidianum tunc temporis non dabatur, nisi addita conditione, quod celebrarentur quotidie Missae quadraginta in ecclesia pro qua privilegium exquirebatur. Ecclesiis autem ubi minor Missarum numerus habebatur, Secretaria Brevium privilegium donabat pro uno intra quamlibet hebdomadam die, si tamen ibi non minus quam Missae septem quolibet die celebrarentur; bis in hebdomada, si Missae forent quatuordecim.

Si ad idem privilegium obtinendum apud S. C. Indulgentiarum supplicaretur, privilegium obtinebatur, dummodo quinque Missae in ecclesia haberentur, semel in hebdomada; si decem, bis, et ita porro. Die 29 ianuarii 1728, S. Congregatio Indulgentiarum decrevit, petitiones ad obtinendum Altare privilegiatum debere roborari episcopali testimonio, quo declararetur quinam esset numerus Sacerdotum in illa ecclesia quotidie celebrantium.

Ordinibus etiam religiosis vix amplius dabatur privilegium. Imponebatur nimirum conditio non minoris Missarum numeri quam quinque et triginta, si ageretur de privilegio quotidiano: Monialibus vero nonnisi earum ecclesiae exstitissent pari tempore parochiales; extra hos casus, non obtinebant privilegium, nisi pro uno hebdomadae die, et quidem in favorem tantum religiosarum defunctarum, vel earum propinquorum et benefactorum.

Benedictus XIII ampliora dedit indulta, et die 20 augusti 1724 privilegium contulit huiusmodi: « Volentes... omnes et singulas patriarchales, metropolitanas et cathedrales totius orbis catholici ecclesias, in quibus Altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis Altare per Patriarchas, Archiepiscopos et

Episcopos respective locorum... semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate etc., ut quandocumque Sacerdos aliquis... Missam defunctorum pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum Altare celebrabit, anima ipsa, de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam consequatur, ita ut... a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus ».

Clemens XIII eundem favorem ad ecclesias collegiales, abbatiales et parochiales extendit, sed ad septennium tantum; et ea conditione, ut singuli Episcopi, quolibet septennio elapso, idem indultum reposcere deberent; revocavit tamen omnia tunc exsistentia privilegia, etiam perpetua, intuitu paroeciae eo usque concessa.

Hodie nova introducta est forma concessionis, qua nempe Episcopi petant initio sui in qualibet dioecesi episcopatus eiusmodi facultatem, quae datur per apostolicum Breve, una cum aliis, quoad varias Indulgentias, valiturum durante episcopali munere in ipsa dioecesi. Vicariis autem capitularibus non amplius similis datur facultas, sed ad eorum petitionem conceditur, ut durante sedis episcopalis vacatione, prorogata censeantur Altarium privilegiatorum indulta, usque dum Episcopus novus de nova facultate sibi provideat.

Habentur insuper, praesertim recentiorum temporum, concessiones particulares factae aliis ecclesiis, et non solum ecclesiis, sed et oratoriis, tum publicis tum semipublicis.

Quoad oratoria privata, illis non solet concedi, nisi privilegium pro defunctis familiae, quae oratorium possidet.

A recentioribus concessionibus omnino exularunt conditiones de certo Missarum numero celebrandarum.

Altaria quaedam privilegiata inveniuntur pro quodam personarum coetu, v. gr. aliqua confraternitate, consociatione etc.

Habetur et alia forma concessionis Altaris privilegiati, haec est, ut privilegium non censeatur adnexum Altari,

prout rei et loco, sed Missis quae ad quoddam Altare celebran tur pro determinato personarum coetu, sed, ad differentiam Altaris privilegiati personalis, de quo infra, Missae ad designatum Altare celebrari debent.

Tandem, Altare stricte personale sequitur Missam celebratam et Sacerdotem, ita ut privilegium valeat ubique locorum, etiam in ara viatoria. Ab amplioribus et extraordinariis privilegiis, forte alicui coetui, vel singulis personis, concessis abstrahendo; de consuetudine apostolicae Sedis, nunc privilegium Altaris personalis conceditur pro quatuor in qualibet hebdomada vicibus, datur tamen in perpetuum, scilicet vita oratoris durante.

Exstat et alia forma concessionis Altaris privilegiati, quod dicitur Gregorianum. Multae disceptationes factae sunt circa naturam et authenticitatem huiusmodi privilegii, quod habetur, in primaeva sua institutione, pro Altari ecclesiae S. Gregorii ad Coelium montem, Romae, celeberrimo, ad cuius postea similitudinem alia passim a Summis Pontificibus concessa sunt et vocantur Gregoriana *ad instar*.

Substantialiter, Altare simpliciter privilegiatum nullimode dici potest differre ab Altari Gregoriano; hoc hodie quidem clare constat, quia, ante promulgationem decreti S. S. C. S. Officii, diei 11 decembris 1912, dabatur a S. Sede tam sub una quam sub altera forma privilegium; sed nunc Altaria Gregoriana non amplius conceduntur (ibi, ad VI). De privilegio tamen tum Altaris S. Gregorii tum aliorum *ad instar* non amplius dubitatur (ibi, ad VI), quamvis ante citatum decretum privilegium erat sub valore piae fiduciae ab Ecclesia probatae, uti se exprimit decretum S. C. Indulgentiarum, diei 15 martii 1884, ad II: « Utrum fiducia, qua fideles retinent, celebrationem Missae in Altari S. Gregorii in eius ecclesia coelimontana, uti specialiter efficacem, ex beneplacito et acceptatione divinae misericordiae, ad animae e purgatorii poenis liberationem, pia sit et in Ecclesia probata? III: Utrum idem dicendum sit de Altaribus Gregorianis *ad instar?* Ad II et III Affirmative ». Sed citato

decreto an. 1912, SS. D. N. Pius Pp. X absolute declaravit, Altare S. Gregorii in ecclesia coelimontana, et consequenter alia ad instar illius nuncupata, esse vere privilegiata.

Igitur quod privilegium Gregorianum efficacius sit, nequit absolute affirmari, nisi ex capite intercessionis et meritorum S. Gregorii Magni, ob quae facilius obtineri queat ex parte divinae misericordiae, acceptatio illius medii ab Ecclesia propositi, ad liberationem animae a purgatorii poenis.

*
* *

Inhibitum insuper fuit, anno 1711, onera perpetua pro Altaribus privilegiatis recipere, ac impositum quod non reciperentur Missae adventitiae praeter numerum, cui commode satisfieri possit (S. C. Indulgent., die 16 nov. 1711).

*
* *

Rebus sic stantibus, gravis nullo modo reputata est conditio, de qua magis explicite medio saeculo XIX S. C. Indulgentiarum peregit, quae versatur circa Missam celebrandam defunctorum propriam, diebus quibus iuxta Apostolicas sanctiones liceret, reiecto alio non liturgico, etiamsi rationabili, motivo (S. C. Indulgent., die 29 febr. 1864), aeque ac sola ratione conformitatis Missae cum Officio (S. C. de Prop. Fide, die 23 mart. 1844), sub poena nullitatis privilegii.

*
* *

Nos, quibus semper cura fuit, ut in re liturgica, non tam theoreticae, sed praticae consuleremus, quia leges factae sunt propter homines, non homines propter leges, videntes neglectum conditionis (bona an mala fide admissum, nostrum non erat investigari), de Missis de requie ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati, iamdiu cogitavimus de re apud competentem Auctoritatem agere, ut lex, pulchra, conveniens, iusta theorice spectata, sed pratice, uti diximus, forsan difficilis, certo neglecta, et in detrimentum vergens, non ipsam frangentium, sed innocentium (hac in re) anima-

rum, relaxaretur. Non invenimus tamen tunc sufficientem ceterorum favorem; hinc rem opportune distulimus.

At Dei Providentia, quae omnia mature disponit, quomodo et quando opportunum sibi videtur, et quidem rem liturgicam profecto non deserit, occasione novissimae reformationis liturgicae, providere voluit, tam humanae fragilitati, quam conditioni animarum in purgatorio degentium, et permisit ut novum inventum, pulchrum visu, id est intellectualiter et theoretice probatissimum, res ad tantam practicam deduceret difficultatem ut nonnisi brevi amplius tempore talibus in adiunctis perdurarent.

Et re quidem vera, si difficultatem aliquam inducebat antiqua lex de Missa in nigris, in casu de quo agimus celebranda (1), non tamen tunc exstabat lex hodierna, item sub poena nullitatis privilegii, de celebranda Missa de Feria vel Vigilia, cum oratione defuncti vel defunctae propria, diebus a tit. X, n. 2, Rubricarum ex Constitutione *Divino afflatu,* diei 1 novembris 1911, designatis, etiam occurrente Officio ritus duplicis vel maioris (S. R. C. die 12 iun. 1912, ad I et VI). Favebat imo usus passim receptus, contra rigorem Rubricarum, laudabilis in casu certae applicationis pro defunctis (cfr. Decr. S. S. C. S. Offic. diei 11 decemb. 1912, in responso ad V), vel etiam, tunc saltem, in sola praesumptione talis applicationis, ad tuendum forsan requisitum privilegium, de omnibus celebrandis Missis de requie, si generatim liceret.

At quia, vel desueverunt antiquiores normae, vel auctus est, ut vidimus, largius Altarium privilegiatorum numerus, vel multiplicatae sunt admodum petitiones Missarum cum privilegio, quibus ne saepe noveris quidem, utrum

(1) « Sacerdotes, qui pacto adigebantur ad celebrandum in in Altari privilegiato, et diebus non impeditis *bona fide* usi non sunt paramentis nigri coloris, ideoque animas Indulgentia plenaria frustrarunt, debent lucrari pro iisdem defunctis Indulgentiam plenariam toties, quoties diebus non impeditis usi non sunt paramentis nigri coloris (S. C. Indulg., die 22 februar. 1847).

orationem dicere debeas pro uno an pro una, pro Sacerdote an pro laico (1); gravissima sane evasit utraque memorata lex, seu conditio; practicum exinde consectarium (tanta est humanae fragilitatis mensura), facilis et numquam satis plorandum utriusque neglectus, et necessarium lugentium animarum detrimentum. Id maxime apud religiosas numero sodalium praestantes Familias, nec non in frequentatissimis Sanctuariis, experiendo constitit, ubi intentiones Missarum nequeunt ut plurimum personaliter designari. Unde, si conditiones, de quibus sermo nobis est, relaxentur, periculum removetur non applicandi privilegium; namque, hac conditione sublata, unaquaeque Missa, ad Altare privilegiatum celebrata, est per se privilegiata, ita ut necesse non sit ut vel offerens eleemosynam vel Sacerdos celebrans intendat applicare privilegium (S. C. Indulg., die 5 martii 1855, aprobante Pio Pp. IX, die 12 eiusdem mensis).

Hac nova occasione, non fuit difficile rem ad exitum reducere. Audivimus quippe tot ac tantas Praesulum, Theologorum, Canonistarum, Liturgistarum querelas, ut tempus advenisse putaverimus consensionem illorum exquirendi, ut serio de remedio quaerendo, et sine cunctatione, apud apostolicam Sedem ageretur (2).

Hisce praehabitis, ad Supremam S. Officii Congregationem per nonnullos Ecclesiasticos Viros, tum saeculares cum regulares, etiam ex exteris regionibus, humillimas admovendas preces curavimus, ut de conditionis ac legis praefatarum relaxatione, si expediens visum fuerit, cum SS.mo ceu moris est pertractaret.

Feliciter tandem exitus aequavit optata; et nunc Deo ac Ecclesiae suae sanctae, in Summo Pontifice nostro ac

(1) Privilegium Altaris, sive locale, sive personale, non potest applicari pluribus defunctorum animabus, quocumque in casu (S. C. Indulg., die 29 februar. 1864)

(2) Vide nostram editionem Decretorum S. R. C. anni 1912: *Echo Liturgica*, 1913, pag. 26, in fine notae quae incipit ad pag. 25

S. S. Congregatione repraesentatae, gratias ex corde agimus, ex quo Sacerdotum anxietates, et quod potissimum est, animarum damna, hodierna relaxatione submoverint ac penitus exstinxerint (1).

I. B. M. MENGHINI.

---

(1) Ad difficultates preacavendas circa extensionem praesentis Decreti, utrum scilicet valeat tantum pro privilegio Altaribus materialiter adnexo, simplici vel Gregoriano, an etiam pro illo quod adhaeret personae aut etiam ipsi Missae cui directe datum sit privilegium ; certiores facimus Lectores, valorem Decreti esse amplissimum, 1° quia id omne venit sub nomine *Indulgentiae Altaris privilegiati ;* 2° quia motivatio, seu causalis Decreti clare aperteque designatur ab initio, sub verbis : *concessionibus sive localibus — sive personalibus — nec non Missarum cum privilegio ;* 3° quia nobis constat hanc fuisse et esse mentem S. S. Congregationis. Ceterum, si quis vellet adhuc instare, opponimus, quod praesens Decretum super verbis novissimae Rubricae, quae difficultatum fuit origo, confectum est, ibi enimvero dicitur : « Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, summus Pontifex easdem Indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur etc. ». Similiter loquitur Decretum diei 12 iunii 1912, ad VI.

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

in secunda Dominica post Pascha

(Continuatio, V. num. 4 currentis anni, pagg. 213-220).

2°. — De huius statione continuatione usque ad praesentem diem.

Ex hoc dumtaxat quod statio in Libris Liturgicis, qui a S. Gregorio vocantur, plerumque inscripta fuerit, iam coniici debet ipsam celebrari consuevisse. Sed de eius posteriori celebratione peculiaria habemus argumenta.

a) Benedictus B. Petri Canonicus in suo *Libro Politico,* qui a Mabillonio *Ordo Romanus XI* denominatus fuit, sequentem recensionem stationum in Basilica Vaticana celebrandarum exhibet: « Hae sunt B. Petri diurnae stationes: In omnibus sabbatis quatuor temporum, Dominica quinquagesimae, Dominica in Passione, feria secunda post Pascha, Dominica *Ego sum Pastor bonus*, etc. » (1). Hanc recensionem plures repetunt, inter quos Petrus Mallius item Canonicus S. Petri in suo libro ad Alexandrum III, qui fuit Pontifex a. 1159 (2), Albinus Cardinalis, Cencius de Sabellis Camerarius (3), qui fuit Honorius III (1216-1227).

---

(1) MABILLONIUS, MUSAEUM ITALICUM Parisiis, 1724. T. II, p. 153. — Migne P. L. 78, 1054. — Hunc Librum, seu ordinem Auctor inscribit: Ad Guidonem de Castello tunc Cardinalem S. Marci, qui postmodum factus est Caelestinus II: Creatus fuit Pontifex a. 1143.

(2) MABILLONIUS L. C. pag. 158. — Migne, P. L. 78, 1057. — Acta SS. Boll. T. VII. Iunii in App. pag. 46*, N. 134.

(3) Tam de Canonico Benedicto, quam de Cardinali Albino et Camerario Cencio de Sabellis, eorumque libris erudite in opere: Fabre-

b) Summi Pont. Innocentius III (1) et Honorius III (2) hanc stationem in Basilica Vaticana, ut luculentius infra dicemus, per seipsos celebrarunt. Itemque Summi Pontifices Ioannes XX vel XXI, et Nicolaus III, de hac statione memoriam fecerunt in suis ad Canonicos Basilicae Vaticanae Constitutionibus, hanc Dominicam designantes: « Dominica in qua cantantur: *Ego sum Pastor bonus* » (3).

c) Gulielmus Durandus, qui illis temporibus vixit, quibus statio in hac Dominica peragebatur (1239 † 1296), in praeclarissimo suo opere: *Rationale Divinorum Officiorum* ad Dominicam secundam post Pascha, scribit: « Fit statio apud Sanctum Petrum ».

d) Iacobus Caietanus, seu *Ordo Romanus XIV*, iuxta Mabillonii denominationem, recenset dies et solemnitates, quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in persona propria celebrare et concionare, et inter hos dies et solemnitates hanc quoque recenset: « Dominica qua cantatur: *Ego sum Pastor bonus* et praedicatur » (4). Quam rubricam plura habent Caeremonalia Papalia inedita, et in Bibliotheca Vaticana asservata. Horum plurium veluti medullam et synopsim edidit Gatticus in suis « Acta selecta » et praefatam quoque rubricam refert (5).

Duchesne, *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine*, Paris 1905-1912, *Introduction*: Tabula stationum Basilicae Vaticanae, prout ab Albino exhibetur, extat T. II, pag. 90; pagina vero 165 indicatur tantummodo et revocatur illa quae ab Albino veluti *excerpta* traditur.

(1) Innocentius III, *Sermo XXI;* Migne, P. L. 217, 405.

(2) Migne, Continuatio Honorii III Opera Omnia, T. I, col. 916.

(3) Bullarium Basilicae Vaticanae, T. I, pag. 165 et pag. 186. — Ioannis XX vel XXI Const: incip: *Vineam Domini Sabaoth*, data Viterbii Idibus Martii 1277; et Const. Nicolai III exorditur: *Civitatem Sanctam Ierusalem*, data Romae apud S. Petrum, die 5 Februarii a. 1279. Ad praefatam Dominicae indicationem Collector hanc notam subiicit: *Nempe Dominica secunda post Pascha diurnis Basilicae Vaticanae stationibus accensetur*. L. c. pag. 186.

(4) Migne, P. L. LXXVIII, 1223.

(5) Gattico, *Acta selecta*, Romae 1753, T. I, pag. 86.

Quamvis omnia haec Caeremonialia de stationis celebratione explicita verba non habeant, testimonium tamen efformant de consuetudine tunc vigenti hanc Dominicam aliqua cum solemnitate celebrandi, et tali solemnitate, quae stationis celebrationem supponit.

Haec caeremonialia habenda sunt veluti ultimi testes de huius stationis solemni celebratione, quia deinde eius indicatio a Libris Liturgicis disparuit, eius memoria in actis Pontificiis amplius non occurrit, et haec Dominica inter communes computatur, ita ut in eam, aliquibus in locis, translata reperiantur festa Patronorum, vel alia festa etiam secundaria.

Intermissa tamen solemnitate, non ideo statio fuit omnino deleta, sed subsequenti tempore usque ad nos *private* (1) semper celebrata et recognita fuit.

Ultimi igitur testes pro stationis celebratione adducti finem saeculi XIV attingunt; deinde usque ad exitum saeculi XVI, difficiliter aliquis testis invenitur; sed ad finem vergente saeculo XVI ecce denuo non exiguus testium numerus, stationem ad S. Petrum affirmantium.

Inter hos dignus est qui primo memoretur Honuphrius Panvinius, qui in sua opella « *De praecipuis urbis Romae sanctioribus Basilicis* » inter dies quibus statio celebratur in Basilica Vaticana, Dominicam quoque secundam post Pascha recenset, quae dicitur: *Ego sum Pastor bonus* (2).

Alter testis est Marcus Attilius Serrani, qui et ipse de stationibus Basilicae Vat. disserens hanc quoque recenset (3). Cui addendus est Franciscus del Sodo Canonicus S. Mariae in Cosmedin, qui in suo compendio historico de Eccle-

---

(1) FERRARIS, *Biblioth.* V. *Statio,* ita privatam stationem fieri describit: Haec fit cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit.

(2) M. ATTILIUS SERRANI. De septem Urbis Ecclesiis. Romae 1575 pag. 132.

(3) HONUPHRIUS PANVINIUS, *De Praecipuis etc.* Romae 1570, pag. 58. — Cf. etiam versio italica, Roma 1570, pag. 74. – In utraque editione error typographicus irrepsit, facile corrigendus.

siis Romae, huius stationis existentiam in Basilica Vaticana testatur (1).

Inter huius stationis testes recensendi quoque sunt Collectores Bullarum Basilicae Vaticanae, qui puluribus in locis, cum de stationibus in eadem Basilica fieri solitis loquuntur, hanc quoque sedulo memorant (2).

Saeculo elapso Philippus Maria Mignanti in sua historia Basilicae Vaticanae stationes enumerat, quae suo tempore in eadem Basilica celebrabantur, et inter has Dominicam quoque secundam post Pascha recenset (3).

Quoad praesentem diem pertinet, non est res argumentis et testibus historicis suadenda; sed possumus de ea ipsis nostris oculis certam notitiam habere. Sufficit *Ordinem divini officii recitandi sacrique peragendi pro anno* currenti *ad usum Capituli et Cleri Basilicae Vaticanae* ad Dominicam secundam post Pascha inspicere, ut *statio* ea die inscripta inveniatur (4). Occurrit quoque ad calcem eiusdem *Ordinis* in tabula cui titulus: *Stationes in nostra SS. Patriarchali Basilica celebrantur;* sequitur stationum omnium elenchus, et inter eas extat quoque *Dominica secunda post Pascha* (5).

Non tantum Ordo divini officii currentis anni hanc testatur stationem, sed integra eiusdem *Ordinis* collectio seu series, eb anno 1610 usque in praesens, hoc idem fert testimonium. Nam sub rubrica: « Dies in quibus stationes ce-

(1) Del Sodo Francesco, *Compendio delle Chiese ecc. di Roma*. Ms. Arch. Vat. Arm. VI, 73, pag. 271 et in Catalogo qui incipit pag. 153. Hoc opus invenitur quoque in Bibliotheca Vall. Ms. G. 33, fol. 19 et fol. 180 r. — Auctor defunctus est a. 1606, Cf. Armellini, *Le Chiese di Roma*, Edit. II, pag. 12.

(2) Bullarium Basilicae Vaticanae, T. I, pag. 186, T. III, pag. 232, et in App. pag. 6.

(3) Mignanti, *Storia della Sacrosanta Basilica Patriarcale Vaticana,* Roma 1897, Vol. II, Cap. XXV, pag. 263. Auctor erat Beneficiatus eiusdem Basilicae et hinc certam rei notitiam habere poterat.

(4) Ordo Divini officii etc. pro anno Domini 1913. Ab Alphonso Greco dispositus. Romae 1912, pag. 35.

(5) Ib. pag. 117.

lebrantur in Basilica Sancti Petri » ab eo anno recensetur « Dominica 2ª post Pascha: *Ego sum Pastor bonus* » (1). Est testimonium quod per tria saecula se protendit!

Diarium insuper Romanum pro currenti anno eandem habet indicationem. Hic adhuc servatur antiqua Dominicae denominatio et ita inscribitur: « Dom. II dopo Pasqua, detta *Pastor bonus*. Stazione a S. Pietro in Vatic. » (5).

Si quis adhuc luculentius certiorari desiderat, ipsam Basilicam adeat, exquiratque an nunc celebretur praefata statio; si Basilicae consuetudinum expertum invenerit, responsum habebit, quod nos quoque ab Ill.mo et Rev.mo Sub-Altarista comiter retulimus, scilicet: Stationem adhuc celebrari ea solemnitate, qua ceterae celebrantur, et id fieri iuxta veterem Basilicae traditionem. In huius rei argumentum ille nobis ostendit libellum *ms.* ad instar ephemeridis, qui continet munera a Sub-Altarista adimplenda; et in hoc quoque *ms.* statio in secunda Dominica post Pascha indicatur.

(*Continuabitur*).

---

(1) Ordo officii divini anni 1610 iuxta ritum Breviarii Romani et consuetudinem Basilicae Vaticanae Andrea Amico et Francisco Sperandeo Clericis Beneficiatis et Magistris caeremoniarum eiusdem Basilicae, pag. 46. — Stationum elenchus est ordinarie ad calcem.

(2) Diario Romano per l'anno 1913, pag. 42. — Integram collectionem habere non potuimus, sed ex exemplaribus, quae nobis occurrerunt, dicere possumus, eam indicationem inveniri in Diariis pro annis 1806 usque ad 1841, et iterum ab anno 1886 usque ad currentem annum 1913.

Consultationes.

E Belgio. — **De influxu duplicis in Officio et Missa.** — I. Anno proxime venturo in quodam Kalendario simplificandum est Festum S. Petri Damiani Ep. Conf. et Doct. occurrens in Feria IV Cinerum; item ad instar simplicis peragendum est Officium Ss. Lanceae et Clavorum D. N. I. C. occurrens in Festo duplici maiori, sed primario. — Quaer.: In 1° casu quisnam sit influxus duplicis commemorati quoad Suffragium, Preces, 3^{am} Orationem et Symbolum in Missa; et in 2° casu, quoad conclusionem Hymnorum, Symbolum ac Praefationem in Missa?

Resp. Antequam ad praefatum duplicem casum respondeamus, primo examinemus quid circa influxum duplicis commemorati tum novae Rubricae, tum S. R. C. recentia Decreta, tum auctores optimae notae hucusque praescribunt et docent.

1°. *Rubricae:* « Quando *in Dominica* fit commemoratio de aliquo Officio duplici vel de die octava, vel de die infra Octavam, omittitur Suffragium, Preces, Symbolum *Quicumque* et tertia Oratio in Missa » (Rubr. nov., tit. VII, n. 4). — Uti patet hic agitur de influxu generali Officii duplicis commemorati in Dominica.

Item Rubrica specialis Ordinarii ad Suffragium de Sanctis et ad Preces Dominicales ad Primam memorat etiam influxum Officii duplicis commemorati *in Dominica* quoad Suffragium et Preces ad Primam.

Rubrica autem specialis ad Completorium pro Precibus Dominicalibus (seu festivis) est sequens: « .... Dicuntur sequentes Preces, *nisi in Vesperis facta fuerit Commemoratio duplicis vel Octavae* ». Haec itaque Commemoratio Officii duplicis

in Vesperis habet quidem influxum in Precibus Dominicalibus Completorii. Ex qua Rubrica etiam sequitur, quod si Feria IV Cinerum occurrat Officium duplex quod commemorandum est, et Feria III ante diem Cinerum Officium recitatum fuerit de Officio semiduplici, Commemoratio duplicis sequentis diei fit in Vesperis, et ad Completorium illius diei omittuntur Preces (1).

Notandum tamen est, influxum Officii duplicis commemorati locum non habere quoad *Preces feriales (Vide Rubricam specialem Ordinarii ad Laudes et Vesperas).*

2°. *S. R. C. Decreta: a*) Festa B. M. V. aut Sanctorum *Dominicis affixa* et a locorum Ordinariis *in perpetuum simplificata,* impediunt recitationem Suffragii ad Laudes et Vesperas, Precum ad Primam et Completorium, Symbolum Athanas. et tertiam Orationem in Missa (S. R. C. 9 Febr. 1912 ad 1. A. A. S., IV, 106). Hic agitur de influxu Officii duplicis *in perpetuum simplificati* occurrentis *in Dominica.* — Item, si in *Dominica* fit Commemoratio Festi vel Octavae B. M. V., conclusio Hymnorum et versus Resp. brevis ad Primam debent esse de ipsa B. M. V., nisi sit propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus (S. R. C. d. 30 Dec. 1911 ad 1. Append., n. 4283). Idem dicendum est de Festo Commemorato B. M. V. in Dominica, in perpetuum simplificato (S. R. C. 9 Febr. 1912 ad 2. A. A. S., IV, 106). Hic, uti patet, agitur de influxu Officii commemorati in *Dominica* quoad conclusionem Hymnorum et ℣. Respons. brevis ad Primam.

b) In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, in quibus occurrit Officium ritus duplicis maioris aut minoris, in Missa de Feria seu de Vigilia, in quibus occurrit Officium ritus duplicis maioris aut minoris, in Missa de Feria seu de Vigilia omittenda est 3ª O-

(1) Hinc S. R. C. d. 24 Maii 1912 ad 2 declaravit: in Completorio post II Vesperas Dominicae Palmarum *Preces* non esse recitandas, quando in Vesperis facta est commemoratio duplicis die sequenti occurrentis (A. A. S., IV, 419).

ratio de Tempore (S. R. C. 22 Mart. 1912 ad 5. A. A. S., IV, 275, et 19 April. 1912 ad 8. A. A. S., IV, 323). — Item in Missis de Vigilia vel de Feria *propriam Praefationem* non habente, dicenda est Praefatio propria Festi vel Octavae, cuius factum est Officium (S. R. C. 24 Maii 1912 ad VI, 1°. A. A. S., IV, 419). In his Decretis itaque agitur de influxu Officii duplicis integre recitati in Missa de Feria vel de Vigilia *quoad 3m Orationem* et de influxu Festi vel Octavae cuius factum est Officium in eadem Missa *quoad Praefationem*.

c) in Missis de Vigilia vel de Feria non est dicendum *Credo* ratione Festi vel Octavae Symbolum habentis (S. R. C. 29 Maii 1912 ad 6, 2°. A. A. S., IV, 419). — Casu autem quo Festa sive maiora, sive Ss. Doctorum simplificantur ob occursum alicuius Festi translati ritus duplicis II classis, Symbolum addendum est in Missa de isto Festo translato, quod per se Symbolum non admittit, si in ea facta sit Commemoratio Festi duplicis maioris aut minoris quod ius habet ad Symbolum in Missa (S. R. C. 21 Iunii 1912 ad 4, A. A. S., IV, 448). Hoc igitur Festum vel Octava, *Credo* habens, et tantum commemoratum, non habet influxum quoad *Credo* in Missa de Feria vel de Vigilia; habet autem istum influxum in Missa de Festo.

d) Quando Officium Dominicae II post Epiphaniam, ad normam Decreti 2 Martii currentis anni, anticipatur die 16 Ianuarii (1), occurrente etiam die infra aliquam Octavam, huius Octavae commemoratio quoque fieri debet; sed in hoc casu Suffragium ad Laudes et Preces ad Primam non debet adiungi (S. R. C. 22 Mart. 1912 ad 7 et 8, A. A. S., IV, 275). Hic agitur de influxu diei infra Octavam commemorati in Dominica anticipata quoad Suffragium et Preces.

3°. *Auctores optimae notae : a*) Cl. Dr. P. Piacenza, in suo eximio opere « *In Tres Tabellae... Comment.* », explicans Decret. S. R. C. 21 Iunii 1912 ad IV, pag. 197, dicit : « .... Ex

(1) Quo die celebratur in Kalendario Ecclesiae universalis Festum S. Marcelli I Pap. et Mart. *semiduplex*.

novis Rubricis principium illud admissum est, quo festa simplificata ita influunt in Officium diei, ut omnia sibi propria secum conferant, quae non repugnant Officio ipsi. Sicut ergo ratione diei infra octavam, omittuntur Preces et Suffragium in festis semiduplicibus, et dicitur *Credo* et Praefatio Octavae; ita ratione duplicis simplificati, omittuntur profecto Preces, Suffragium et III Oratio, et pariter additur *Credo,* si ad illud ius habet.... Haec porro dispositio non est, nisi integra applicatio praedicti liturgici principii ».

b) Cl. D. I. B. M. Menghini, in sua Opella « *Echo Liturgica* » huius anni, loquens de S. R. C. Decreto d. 22 Martii 1912, n. 8, Dub. V, p. 14, in quo agitur de omittenda 3ª Oratione temporis in Missa de Feria seu Vigilia, quando Officium ritus duplicis recitatum fuerit, hanc excellentem notam adiungit: « Aperta manet quaestio, an hoc intelligendum sit restrictive ad Officium integre recitatum, vel extendi possit etiam ad commemoratum (Vide nostras *Norme pratiche* etc. a nobis anno p. el. vulgatas ad novas rubricas illustrandas, pag. 27 (1). Vide etiam Decr. n. 11 ad VII; n. 13,

---

(1) In hoc loco idem cl. auctor dicit: « L'influsso del Doppio, riguardo al Suffragio, sembrerebbe doversi avere anche nelle ferie, per il caso... del Mercoledì delle Ceneri e per l' altro della Domenica II dopo l'Epifania, anticipata in un giorno in cui occorra un Uffizio di rito doppio, anche maggiore, che debba semplificarsi.

« E siccome la questione della omissione del Suffragio può andare di pari passo con quella della terza orazione nella Messa, si risolve in senso favorevole alla detta omissione, perchè le si può applicare il Decreto della S. C. dei Riti, 22 Marzo 1912, V. Sappiamo che il Decreto corrisponde soltanto al caso della Messa di una feria o vigilia in giorno di *Uffizio* di rito doppio, ma coerentemente, crediamo che sia da giudicare nel caso nostro. Infatti, è in questione *la sola Messa* in cui si commemora un Doppio, tanto nell'un caso quanto nell'altro, e non l'*Uffizio*. La risposta poi dice: *Officium ritus duplicis*, perchè il quesito era posto così, ma poteva proporsi anche nel doppio senso. Ciò è ridetto nel Decreto 19 Aprile 1912 ».

ad V et VII, quibus uniformiter statuitur influxus Duplicis etiam tantum commemorati) ».

Ex praedictis, sequentes responsiones plus minusve certas ad duplicem casum propositum deducere possumus :

Quoad 1m casum: a) Certum est, influxum Officii duplicis commemorati locum non habere quoad *Preces feriales* et consequenter in Feria IV Cinerum dictas preces recitandas esse; *Suffragium* autem de Sanctis ea Feria ad Laudes et Vesperas probabilius omittendum est. — Item certum est in Missa de Feria vel de Vigilia non esse dicendum *Credo* ratione Festi vel Octavae Symbolum habentis; probabilius autem est in Missa de Feria seu Vigilia tertiam Orationem omittendam esse, quando in ea peragenda est commemoratio Officii duplicis ea die occurrentis.

Quoad 2m casum: Satis certum est de influxu Officii duplicis commemorati quoad conclusionem Hymnorum, Versum Respons. brevis ad Primam et quoad Praefationem in Missa; item probabilius quoad Symbolum in Missa de Festo ritus duplicis maioris vel minoris. Hinc in casu conclusio Hymnorum est *Clavis forato;* in Missa de Festo dicitur *Credo* et Praefatio *de Cruce.* In Missa autem privata de Feria omittitur *Credo* et 3a Oratio, ac dicitur Praef. *Quadrag.*

II. *Tempore Quadragesimae*, quaenam Antiphonae dicendae sint ad *Horas minores?* An sumendae sint Antiphonae pro tempore Quadragesimae in novo Psalterio seu Ordinario assignatae, an vero illae quae ibi per annum ponuntur?

Resp. Distinguendum est: 1° in Officio *Dominicali,* Antiphonae tempore Quadragesimae dicuntur ut assignatae ad Horas minores in Proprio de Tempore. — 2° In Officio *feriali* (a Feria II post Dominicam I Quadragesimae et deinceps) dicuntur ad Horas minores Antiphonae in Ordinario (seu Psalterio) assignatae (*Rubr. Ordinarii, p. 21, 30, 34 et 37 edit. Vatic.)* — 3° In Officio *de Festis* sive trium sive novem Lectionum, *quando iuxta Rubricam sumendi sunt Psalmi de Feria,* Antiphonae *per annum* assignatae adhibentur etiam in Festis quae tempore Adventus, Quadragesimae ac Pas-

sionis celebrantur *(Rubr. Psalterii, p. 109 edit. Vatic., seu Rubr. ad Primam Fer. II posita).*

III. Anno 1914 eodem die (27 Iunii) occurrunt Vigiliae S. Ioannis Baptistae et Vigilia SS. Petri et Pauli, et vi Decreti S. R. C. d. 6 Decembris 1912 ad IV, Missa dici potest de alterutra Vigilia ad libitum. Sed si Missa de una vel altera Vigilia celebratur, nonne tunc dicendum sit ultimum Evangelium illius Vigilia de qua fit commemoratio in Missa. Nova Rubrica (tit. X, n. 3) dicit: « Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur ». In *Mutationibus* autem *Missalis Romani*, a Ss. D. V. Pio Pp. X 23 Ian. 1912 approbatis, post diem 21 Iunii, sequens Rubrica legitur: « Si haec Vigilia (S. Ioannis Baptistae) occurrat eadem die cum Vigilia anticipata Ss. Apost. Petri et Pauli, dicitur Missa ut supra cum secunda Oratione ex Missa Vigiliae Ss. Apost. et tertia de S. Maria; et in fine Missae dicitur Evang. S. Ioannis *In principio* ». — Nonne habeatur contradictio inter utramque Rubricam?

Resp. Nulla contradictio invenitur inter utramque Rubricam, si rite intelligatur: in Rubrica enim Psalterii tit. X, n. 3 dicitur: « Quoties *extra ordinem Officii* cantetur vel legatur aliqua Missa etc... » Ex qua Rubrica clare sequitur quod si Missa celebretur *iuxta ordinem Officii*, v. g. si Officium recitetur de vigilia S. Ioannis Baptistae et de hac Vigilia Missa celebretur, tunc, cum Missa sit *iuxta Ordinem* Officii diei, in fine huius Missae legatur Evangelium S. Ioannis *In principio.* En sensus praedictae Rubricae *Mutationum Missalis Rom.* Consequenter in Kalendario nostro, iuxta quod anno sequenti die 27 Iunii celebratur Festum B. Benvenuti Conf. ritus duplicis, si eo die Missa privata celebratur de alterutra Vigilia (utpote extra ordinem Officii diei) ultimum Evangelium erit de ea Vigilia, cuius commemoratio facta est in Missa.

Nota Redactionis. — Confer quae dicuntur in fasciculo 4, pag. 223, 224, in solutione pro Dioec. Meten.

IV. Dioeceses Mechliniensis et Tornacensis respective habent Kalendaria, a S. R. C. recens reformata. In illis vero non amplius fit mentio, diebus 28 et 29 Iunii, de commemoratione omnium Ss. Apostolorum, neque diebus 25 et 26 Decembris de commemoratione omnium Ss. Martyrum, quae tamen duplex commemoratio praescripta est pro omnibus locis ditionis olim imperii Francorum. Quaeritur itaque, an Regulares in illis respectivis Dioecesibus commorantes, possint et debeant sese conformare Clero saeculari quoad omissionem istarum commemorationum?

Resp. Distinguendum est quoad Regulares qui Kalendario Diocesano utuntur, et quoad illos qui proprium Kalendarium habent, quoad *primos*, requiritur tantum ut ipsi in concessione approbationis Kalendarii reformati non explicite excludantur. Quoad *alios* vero requiritur ut dicta concessio ita facta sit ut illi Regulares in ea sufficienter exprimantur, sive explicite sive implicite. Propria enim auctoritate in Officiis Sanctorum et consequenter Kalendario nihil est addendum, vel immutandum, vel detrahendum iuxta Constitutiones Apostolicas et S. R. C. Decreta.

V. Summus Pontifex Leo Pp. XIII, d. 19 Nov. 1885, Festum B. M. V., Divini Pastoris Matris, iam Alumnis Hispaniae aliarumque Provinciarum Ordinis Capuccinorum cum Officio ac Missa propriis concessum, ad universum Ordinem nostrum extendere dignatus est, sub ritu duplici II classis, illudque Dominicae II post Pascha affigendo (*V. Anal. Ord. Cap., vol. II, p. 3)*. Et S. R. C. d. 6 Maii 1886 concessit ut, si in nonnullis Provinciis Ordinis nostri, ob Festa potioris ritus, Dominica II post Pascha illud Festum celebrari nequeat, in illis Provinciis recoli valeat in aliqua ex Dominicis post Pascha non impeditis, ad normam Rubricarum (*V. Anal. Ord. Cap., vol. II, p. 161.)* Die autem 12 Augusti 1887, S. R. C. declaravit, in casu impedimenti, tam accidentalis quam perpetui, praedictum Festum B. M. V., Divini Pastoris Matris, reponi posse in Dominica proxime insequenti, in qua non occurrat Festum potioris ritus, seu

dignitatis *(V. Anal. Ord. Cap., vol. III, p. 289)*, — Quum autem anno proxime venturo praedictum Festum die 26 Aprilis in Kalendario nostro sit in occurrentia cum Festo B. M. V. de Bono Consilio, etiam ritus duplicis II classis, quaeritur; quodnam ex his Festis transferendum sit? Et ubinam Festum translatum reponendum sit?

Resp. ad primum. Quum utrumque Festum sit eiusdem ritus, qualitatis secundarii, dignitatis personalis et solemnitatis extrinsecae, videndum est, si non adsit alius praestantiae character, qui in occurrentia et in ordine translationis iuxta novas Rubricas (tit, II, n. 2) considerandus est, nempe *proprietas festorum*. Porro, si attente legantur in Anal. Ord. Capuc. (vol. II, p. 3) motiva particularia quae adnexa erant supplici libello quo extensio Festi B. M. V. Divini Pastoris Matris petita, ideoque concessa fuit ad universum Ordinem nostrum, nullum mihi dubium est quin hoc Festum ut *Ordini nostro proprium* omnino considerandum sit et consequenter praeferendum alteri Festo B. M. V. de Bono Consilio, quod cum Ordine nostro nullam specialem relationem habet.

Resp. ad 2. Festum B. M. V. de Bono Consilio dupl. II classis iuxta novas Rubricas (tit. III, n. 3) reponendum est die 27 Aprilis, et Festum Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm. ad instar simplicis recolendum.

VI. In Conventibus Provinciae nostrae fit qualibet Feria VI exercitium publicum Viae Crucis in Ecclesia, et tunc Sacerdos processionaliter portat Reliquias Ss. Crucis inter duos Ceroferarios superpelliceo indutos, Hic Sacerdos. indutus est superpelliceo et Stola; sed cuiusnam coloris debeat esse stola?

Resp. Color stolae in casu debet esse *Ruber*, nisi Feria VI in Parasceve, cum tunc adhibeatur stola *nigri* coloris Etenim:

1° In benedictione cum Ligno Ss. Crucis quae datur separatim a servitio Chori, eoque omnino expleto, paramenta esse debent coloris *Rubei* (S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3256).

Adverte, post expositionem vel processionem Reliquiae Ss. Crucis, quando Reliquia reponitur, benedicendum esse populum cum ipsa (S. R. C. 15 Sept. 1736 ad 1, n. 2324).

2° In processione translationis Ss. Reliquiarum insignium utendum est colore albo vel rubeo, prout Sancti, quorum Reliquiae transferuntur, exposcunt (Rit. Rom., tit. IX, c. 14, n. 1). Baruffaldus in hoc loco ait: « Duo tantum colores ex quinque ecclesiasticis sunt qui adhiberi possunt in processione et translatione alicuius S. Reliquiae; *demptis enim Martyribus et illis Reliquiarum quae ad Dominicam Passionem pertinent,* ceteri Sancti, cuiuscumque Ordinis hierarchici sint, colore albo consociandi sunt, atque ideo Rubrica dicit *Albi* vel *Rubei* coloris ». Consequenter, iuxta magnum Comment atorem Ritualis Romani, Baruffaldum nempe, in processione et translatione Ss. Reliquiarum Dominicae Passionis adhibendus est color rubeus. Idem sentiunt Ill.mus D. V. D. Stappen *De Administrat. Sacrament.* etc., q. 365, R. IV, A, edit. 2ª); Ferrais-Pighi (*Liturgia Sacerdot.*, nn. 708 et 710); aliique.

3° In Officio ac Missa Inventionis et Exaltationis Ss. Crucis, necnon in Officiis et Missis Instrumentorum Passionis D. V. I. C. adhibetur color rubeus.

At in Feria VI Parasceves adhiberi possunt paramenta coloris *nigri*, praeter velum humerale quod erit *violaceum* (S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3466 ad 1, et 16 Ian. 1907 ad 2, n. 4197). Supposita consuetudine utendi velo humerali et umbella in Processione, dicit ultimum Decretum, tunc adhibetur pro velo et umbella color violaceus, cum velum et umbella nigri coloris numquam adhibeantur et forsan nullibi adsint.

P. V. ab A.

Addendum

Ea quae scripsimus pag. 237 in hisce Ephemeridibus huius anni, scilicet Rubricam de Festo VII Dolorum B. M. V. (Feria post Dom. Passionis), in casu impedimenti (quae adhuc invenitur in Missali hoc anno currenti a Fr. Pustet edito) non quadrare cum novis Rubricis Psalterii, non solum huic Missali sed omnibus novis editionibus ab aliis typographis editis sunt applicanda. Et de hoc nullus miratus esse potest, quia editores hanc et alias falsas Rubricas in Missalibus noviter editis imprimere debent, cum ipsis non liceat Rubricas mutare, ideoque Missalia tantum exibere possint mutationes per Decr. S. R. C. d. 23 Ianuari 1912 praescriptas. P. V. ab A.

BREVIORA RESPONSA

Pro Eggenburg in Austria. — Quaeritur I. Quoad Or. *Fidelium*..... quae prima die libera mensis et fer. 2 libera hebdomadae dicenda est, valet ne hoc per totum annum, per quodvis tempus, tum in die anticipandae et reponendae Dominicae?

Resp. Servanda est in casu rubrica generalis Missalis, tit. V, nn. 1 et 2, ex qua clare patet, qualia sint tempora excepta, Adventus, scilicet, Quadragesima et tempus paschale, quoad primam diem mensis; Quadragesima et tempus paschale tantum, quoad feriam secundam hebdomadae. Quod vero attinet Dominicam reponendam, rubrica, locis citatis, eam expresse nominat, quoad Missam porro Dominicae anticipandae satis innuitur in verbis: « Feria quae propriam habeat Missam ». Missa autem Dominicae reponendae debuit explicite nominari, quia illius saltem commemoratio iam in ipso die dominico facta est.

II. Iuxta decretum S. R. C. 6 Dec. 1912 V, die prima Quadrages. i. e. die Cinerum fieri poterunt Missae privatae de festo occurrente sive dupl. sive semidupl. An ita?

Resp. Verba decreti: « Prima in Quadragesima, ceteris in feriis Quatuor temporum », ita sumenda sunt ac dicerent: « quarum prima occurrit in Quadragesima, et ceterae in feriis Quatuor temporum ». Ita ex contextu apparet, et etiam ex aliter inexplicabili ratione dicendi, quam ferret locutio eo sensu accepta, cui R. Inquirens innuit.

III. Iuxta citatum decretum ad VII, necessario requiri videtur, ut sit dupl. 1. cl. cum oct., et non sufficiat ut sit 1. cl. sine oct., quamvis Patronus principalis?

Resp. Ratio, ob quam in citato decreto mentio fit de octava, est ut distinguatur verus Patronus, qui ius ad illam habet; si enim deest octava, hoc significat, non agi de Patrono, saltem principali.

IV. Concurrente Commemoratione diei octavi Passionis D.ni cum Commemoratione Ss. Redenptoris, utraque de Officio dupl. mai. et secundario, quaenam Commemoratio omittenda?

Resp. Per se, occurrentibus duobus Officiis, quorum identitas, ut in casu, per S. R. C. declarata est, omittitur commemoratio illius, quod prevalentia non gaudet, atque ideo, fiet prius commemoratio de die octava Passionis, quia dies octava (duplex maius) prevalet festo duplici maiori, uti in tabella concurrentiae videre est, et disponunt novissimae rubricae.

V. Occurrente Vigilia, feria maiori et festo, si Missa sumitur de Vigilia, qui erit ordo Orationum?

Resp. Si festum erit sub ritu duplici vel semiduplici, prius commemorabitur festum et postea feria maior; si vero festum erit simplex, tunc prius feria ac postea festum.

VI. In Borussia festa Assumptionis, et Nativitatis B. M. V. in Dominicam sequentem demandata sunt; cum Nativitas B. M. V. iam non sit utriusque praecepti, nonne Officium et Missa diei 8 Sept. iterum figendum?

Resp. Negative, 1° ratione possessionis; 2° ratione finis ab Indulto intenti, ut scilicet feriatio festo adnexa non periret, quod accidisset, si simpliciter abrogata fuisset, prouti de aliquibus festis alicubi factum est.

VII. Festum S. Sepulcri perpetuo impeditum est Dominica II post Pascha in aliquo loco; nonne conformius est novis Rubricis, si non fixe, die 7 April., sed prima die libera post Dom. II post Pascha celebratur?

Resp. Affirmative, si celebrari solitum fuerit sub ritu classico; sed si usque ad Constitutionem *Divino afflatu* gavisum est ritu duplici tantum maiori, tunc in die in qua iam fixe assignatum est celebretur.

VIII. Iuxta decretum generale S. R. C. 3922, III, 3, in fine: « In Missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium nisi S. Ioannis. Iuxta Rubricas novissimas, tit. X, n. 3: « Quoties extra ordinem etc... » Ex his decretis exoritur

difficultas quoad Evangelium in fine in Missis votivis privilegiatis (Confer *Ephem. Liturg.* 1912, pag. 386). Cum Missae votivae privilegiatae etiam in dupl. et dupl. mai. licitae maneant, quaeritur, quodnam Evangelium in fine legendum sit, Evangelium S. Ioannis, aut Evangelium feriae vel Vigiliae? (Die 25 mensis, in Congr. Ss. Redempt. licita est 2ª Missa in honorem Incarnationis e die 25 Dec.; quale Evangelium in fine est dicendum, S. Ioannis aut feriae).

Resp. Evangelium feriae vel vigiliae, dummodo de ipsis facta sit commemoratio in Missa, quia, si, uti accidit pro Missa SS. Cordis Iesu prima feria sexta cuiusque mensis, nulla commemoratio in Missa dicitur, tunc neque Evangelium feriae vel vigiliae locum habet. Verum quippe est in casu, Missam esse extra ordinem Officii; sed etiam in hoc casu valet regula, quae habetur pro Missa de festo occurrente, in quo commemoratur feria vel vigilia (V. solutionem quaestionis *e dioecesi Meten.*, in fascic. Aprilis, pag. 223, 224). Applicatur haec regula etiam casui exposito, de Missa diei 25 mensis.

IX. Proximo anno, die 27 iun. occurrunt duae Vigiliae S. Ioannis et Ss. App.; Missa (iuxta S. R. C. 6 Dec. 1912) est vel de Festo, vel de Vigilia S. Ioannis, vel etiam de Vigilia Ss. App. Si altera Vigilia celebratur cum Missa, debetne ultimum Evangelium esse alterius Vigiliae, aut *In principio?*

Resp. Vide solutionem similis quaestionis ad resolutionem de qua supra.

X. In concurrentia Festi S. Ioannis Bapt. cum Festo Ss. App. Petri et Pauli (in regionibus, ubi antea non erat utriusque praecepti Festum S. Ioannis) Vesperae forte erunt: Vesp. de seq. cum com. praec.?

Resp. Nulla in casu differentia ponenda est inter regiones de quibus in dubio, et alias, quidquid fuerit de more ante reformationem dierum festorum retento, quem ceterum non putamus contrarium fuisse generali normae, quae in similibus dabatur, quod scilicet (liturgice, si ita dicere per-

mittitur, loquendo), suppressio festi nullimode legibus universalibus derogaret. Hinc praecedentia semper et ubique danda est S. Ioanni, nisi ob speciales rationes, diversum obtineatur indultum.

XI. Occurrunt: dies infra octavam Nativitatis B. M. V. et dies infra octavam B. M. V., sub titulo Boni Pastoris Matris, titulari Ecclesiae; iuxta novas Rubricas forte de octava Nativitatis B. M. V. agendum erit, quia Ecclesiae universalis octava?

Resp. Negative, quia ratione ritus nobilior est Titulus Ecclesiae, festo Nativitatis B. M. V.

XII. Iuxta S. R. C. (n. 2561) S. Communio die Sabbato Sancto intra Missarum solemnia distribui potest. Iuxta Synodum Dioecesanam S. Hippolyti, anno 1908, vero dicitur: iuxta decr. S. R. C. de 7 sept. 1850, non licere intra Missarum solemnia. Est ne ultimum decretum verum et authenticum?

Resp. Decretum secundum non invenitur in authentica collectione, imo contradicit alteri. Verum, est *Auctoritatis,* declarare, an illud obtentum sit pro illa dumtaxat dioecesi, ob peculiares causas, vel ex eo quod dicatur in Decreto *potest,* adsit aliqua ratio in casu et loco particulari id prohibendi.

Pro Imola. — Quando Missa choralis est unica et quidem pro defunctis, debetne cantari post Primam, uti praescribitur cum duae Missae celebrantur; an potius post Nonam, prout iubetur agendum in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum?

Resp. I. Ex locutione rubricae generalis Missalis, tit. XV, n. 3, in fine, eruitur, si bene ratiocinamur, quod Missa principalis dicenda est ultimo loco. Et sane, si habetur Officium simplex, Missa pro defunctis in genere dicitur post Primam, et Missa de festo post Sextam (*Rubr. gen.* tit. V, n. 1); si autem dicenda est Missa de die aliquo anniversario, quia haec principalis evadit, dicitur post Nonam. Hinc, cum in casu proposito non habeatur neque primus neque ultimus locus, quia Missa unica est, putamus regulariter esse dicen-

dam post Primam; sed si aliquam ob rationem dictioni principalis velit tribui sensus seu significatio solemnis, putamus celebrari posse post Nonam. Et sane videtur esse Missa diei Commemorationis Omnium defunctorum semper dicenda post Nonam, etiam post Constitutionem « Divino afflatu », ratione solemnitatis.

II. Missae quae extra chorum praecipiuntur celebrandae ex novis rubricis, et sunt nihilominus de iure, si non de facto conventuales, debentne omnino immediate post respectivam Horam celebrari, nulla scilicet interposita mora?

Resp. Affirmative, nisi aliter ex indulto concedatur. Chorales autem Officii recitationem suspendere non debent, etiamsi vix incepta Missa, v. gr. in Quadragesima, Vesperae, quae legantur, terminentur.

III. Estne de praecepto, quod Missa conventualis extra chorum ab aliquo ex addictis celebretur? Non esset hoc grave onus? Nonne fuit Pontifici intentio, nova inducta reformatione, pondus Officiaturae choralis imminuere?

Resp. Ad primum: affirmative, quia, dempto onere praedictam Missam in choro celebrandi, ceterae obligationes in suo robore permanet omnino. — Ad secundum si onus aliquatenus permanet in casu, est nihilominus semper minus quam antea, hinc... Intentio fuit Pontificis id imminuere quod reipsa imminuit, et non aliud.

IV. Licetne clerico Missae privatae inservienti, ad communionem fidelium, discum auratum sub mento ipsorum sustinere?

Resp. Negative, id enim novitatem sapit, et quasi usurpationem iuris maioris Ministri, quod per patenam in solemni Missa exercetur.

V. Estne sufficiens ratio frigoris vitandi, ut choralis Officiatura fiat non in choro ordinario, sed in crypta ecclesiae.

Resp. Affirmative, dummodo consensus accedat Episcopi qui ius habet et onus videndi an omnia liturgicis legibus conformiter peragi queant, et crypta dici reipsa queat pars ecclesiae, seu cum illa communicet.

VI. An in casu Mansionarii genuflexionem agere debent quotiescumque id alias in choro praescribitur?

Resp. Affirmative, quia chorus rite constitutus id exigit omnino, ubicumque demum inveniatur.

VII. Si in chori altari SS.mum Sacramentum asservetur, an chorales sedere queunt dum s. communio fidelibus distribuitur, si chorus retro altare ipsum situm sit?

Resp. Supponimus in casu, quod eiusmodi actionem dissimulare omnino nequeunt, data communicatione chori cum Altari; non tamen genuflectent.

Sedere queunt, sed capite detecto, prout in simili casu providetur decreto S. R. C. n. 3814, I, 3; et si starent, laudabiliter id quoque facerent. Verumtamen, omnino curandum est ut Altare chori liberum relinquatur, ad expeditiorem obtinendam Officiorum exsecutionem, et ad vitandas forte involuntarias irreverentias.

Pro Lambach in Austria. — Legi Ephem. responsionem ad pag. 767, anni 1912. Sed oritur aliqua difficultas, quae usque nunc apparet non solubilis, quod scilicet in novo Psalterio Breviarii Romani ter videntur praecipi *Preces* in Officio feriali, tempore Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, etiamsi occurrat Duplex simplificatum, scilicet in rubrica Ordinarii ad Laudes (post cant. *Benedictus*) ad Vesperas (post *Magnif.*) et ad Primam (ante Prec). Et contra. Suffragium excluditur simpliciter extra Adventum et tempus Passionis, et exclusis diebus, in quibus occurrit festum dupl., quamvis simplificatum.

Resp. Nihil novi addere possumus ad ea quae diximus in loco *Ephemeridum* citato; hinc patientia opus est, ut videatur quid S. C. in casu decernere velit. Interea notamus, non esse confundendas regulas, quae dantur in rubricis, pro precibus, et alias, quae sunt de Suffragio. In loco *Ephemeridum* citato, ad scopum cui responsio dirigebatur, necesse non fuit distinctionem, de qua R. Inquirens in hac petitione loquitur, statuere vel discutere.

Pro Ibague in Columbia. — Exponitur:

I. Iuxta Rubricas ad normam Bullae « Divino afflatu », tit. IX, n. 4, Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava.

Porro, in hac Columbiae Republica, quae plures habet Patronos praecipuos, nonnullae Dioeceses suos quoque praecipuos Patronos colunt. Sic, v. g.:

Kalendarium dioecesis Manizalen. ut Patronos praecipuos celebrare ordinat:

1. S.tam Rosam Limanam V., 30 aug., Patron. praecip. Americae.

2. B. M. V. de Guadalupe, 12 dec., Patron. praecip. Americae (Pius X, 24 aug. 1910).

3. S. Ludovicum Bertrandum C., 10 oct., Patron. praecip. Columbiae.

4. B. M. V. de Chiquinquirá, 9 iulii, Patron. praecip. Dioecesis.

5. Solemnitatem SS. Rosarii B. M. V. Patron. praecip. Dioecesis (Dom. 1° Oct.).

6. S. Barbaram V. M., 4 dec., Patron. praecip. Dioecesis.

Dioeceses Calien., Popayanen. et Panamá, praeter Patronos praecipuos Americae, colunt etiam S. Barbaram V. M. 4 dec., Patron. praecip. Dioecesis.

Quaeritur: 1. An particula « *vel* » in textu Rubricae supra allata, intelligenda sit quasi significaret « *et* », ita ut sensus sit: Festum Patroni principalis Oppidi, *et* Civitatis, *et* Dioecesis, *et* Provinciae, *et* Nationis.....? Et quatenus affirmative:

2. Sacerdotes Congregationis Missionis qui commorantur in Dioecesi Manizalen. tenenturne celebrare sex illos supra memoratos Patronos praecipuos?

3. Iidem Sacerdotes Missionis qui commorantur in Dioecesi Popayanen. et Calien. tenentur ne celebrare illos quatuor Patronos, de quibus etiam supra, videlicet:

a) S.tam Rosam Limanam, *b*) B. M. V. de Guadalupe, *c*) S. Ludovicum Bertrandum, *d*) S.tam Barbaram?

Resp. Ad 1, 2 et 3: Affirmative, iuxta decretum S. R. C., diei 6 decembris 1912 ad VII, et quoad Patronos dioeceseon, dummodo eorum festum hucusque per totam dioecesim, *in locis quoque peculiarem Patronum habentibus*, celebratum sit sub ritu duplici I cl. cum octava. Regulares tamen proprio Calendario utentes illos celebrabunt sine octava (Rubr. noviss. tit. et num. cit.).

II. Omnes Patroni de quibus supra, Officium proprium habent, quod in Breviarii Appendice adnotatur: « Officia propria Columbianae Ditionis » - Aliud Officium extat pro iisdem Sanctis, in Appendice Breviarii: « Pro aliquibus locis », - et aliud demum Officium in corpore Breviarii, uti videre est pro S.a Rosa Limana V., quae triplex Officium non nihil diversum habet. - Utrum possunt Sacerdotes Missionis quodlibet Officium pro libitu eligere, an tenentur unum prae aliis recitare, et quodnam?

Resp. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, et quidem Officium illud, quod in Dioecesi habetur; ratio est, quia ideo Regulares recitant eiusmodi Officia, quod in hac parte sunt quasi non exempti, seu melius ipsi quoque de patronatu Sanctorum illorum, uti incolae eorum locorum, gaudent, et eodem modo eos honorare debent, quo alii qui sub eadem protectione versantur.

III. Patronus praecipuus Archidioecesis, seu Provinciae ecclesiasticae debetne celebrari in Dioecesi suffraganea?

Resp. Negative, nisi expresse data sit eiusmodi facultas; quia in iure communi liturgico numquam de Provinciae ecclesiasticae Patrono fit mentio.

IV. In repositione perpetua aliquorum Sanctorum propter impedimentum perpetuum, an prius reponenda sunt in prima die libera Officia quae celebrantur in tota Republica,

id est: *a)* B. M. V. de Guadalupe, *b)* S. Ludovici Bertrandi, *c)* S. Rosae Limanae; et postea Officia quae celebrantur in qualibet Dioecesi? An hoc sensu intelligi possit decretum S. R. C. 3 Maii 1911 « Quo facilius »?

Resp. Haec est recta interpretatio citati Decreti: Calendarium perpetuum quod pertinet Religiosae Congregationi (de quo in casu est quaestio) prae oculis ponendum est; videndum quaenam festa reponenda sint; et quatenus resultet quod sint reponenda v. gr. Officia duo localia, pone S. Rosae Limanae, Patronae praecipue totius Americae Latinae, et S. Barbarae, Patronae praecipuae Dioecesis in qua religiosi commorantur; tunc eligendi sunt dies proximiores liberi ab alio Officio fixo I vel II classis, et in primo reponetur Officium S. Barbarae, utpote quod praeferri debet, quatenus magis proprium ratione loci restrictioris, in secundo Officium S. Rosae.

V. Dato quod celebrare tenemur omnes Patronos praecipuos, de quibus supra, qua die reponenda sunt Officia sequentia, in Kalendario Congregationis Missionis? videlicet:

Pro dioecesi Manizalen. 1. Prodigiorum B. M. V. dupl. mai. e 9 iulii, qua die celebratur B. M. V. de Chiquinquirá, Patron.

2. S. Petri Chrysologi, E. C. D. dupl. e 4 dec. qua die celebratur S. Barbara, V. M. Patron.

Pro dioecesibus Calien. et Popayanen. S. Petri Chrysologi, E. C. D. dupl. e 4 dec. qua die celebratur S. Barbara, V. M. Patron.

Pro dioecesi Garzonen. S. Gregorii, E. Mai. Armeniae, M. dupl. e 1 oct. quo die celebratur octava Titularis Ecclesiae (cui nostri addicti sunt).

Pro omnibus dioecesibus, in Columbia: 1. S. Francisci Borgia, C. semidupl. e 10 oct. qua die celebratur S. Ludovicus Bertrandus, Patron. praecip. Columbiae.

2. S. Melchiadis, P. M. dupl. e 12 dec. qua die celebratur B. M. V. de Guadalupe, Patron. praecip. totius Americae Latinae (Pius X, 24 aug. 1910).

Resp. Pro Dioecesi Manizalen. De Prodigiis B. M. fiat die 22 octobris, prima libera in Calendario perpetuo Congregationis. De S. Petro Chrysologo, die 23 decembris, similiter libera in eodem Calendario.

Pro Dioecesi Calien. et Popayanen.: de S. Petro Chrysologo, ut pro Manizalen.

Pro Dioecesi Garzonen., sed tantum in ecclesia propria Sancti Titularis de quo in dubio, de S. Gregorio fiet die 22 octobris, prima libera, ut dictum est supra.

Pro omnibus Dioecesibus Columbiae, praeter supradictas repositiones, fieri debent sequentes: de S. Francisco Borgia die 21 octobris, et de S. Melchiade die 22 Decembris. Etiam in Dioecesi Manizalen, de S. Francisco Borgia fiet die 21 octobris; de S. Melchiade die 22 decembris, sicut in Dioecesi Garzonen., in ecclesia citata, de S. Francisco Borgia die 21 octobris, et in Dioec. Calien. et Popayanen. de S. Melchiade die 22 dec. quia ibi reponenda sunt haec Officia et impedimento universaliori.

Pro Dioecesi Cauriensi in Hispania. — In recitatione Primae in choro, postquam hebdomadarius ter dixit: « *Deus, in adiutorium...* » additur « *Gloria Patri.* Sed prout evincitur ex novo Psalterio, hic versus *Gloria Patri* canitur ab omnibus; et iuxta regulas novissimi Antiphonarii (ex typis polyglottis vaticanis) canitur a solo hebdomadario, respondente choro: *Sicut erat in principio...* Nunc quaeritur: Quomodo procedendum erit? Standum est novo Psalterio, an vero novissimo Antiphonali?...

Resp. Sunt plura, reipsa, quae non conveniunt inter novos libros cantum gregorianum continentes, et libros liturgicos cantum non proponentes. Paulo ante locum in dubio citatum antiphonarii habetur rubrica: *In choro Monialium.....,* in qua *Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur esse recitanda *ut supra,* videlicet cum responsione *Amen,* quae non additur post *vitam aeternam,* distincta a sigla ℟., dum in Psalteriis habetur absque sigla, ad significandum quod omnes Moniales una simul dicere ea debent cum *Amen.*

Hoc constito, dicimus, Antiphonarium typicum esse tantum pro cantu quem exhibet; tenor enim Decreti approbationis illius ita sonat: « Cum... *cantum gregorianum exhibeat...* iuxta apostolicas Litteras... S. R. C. hanc ipsam editionem uti typicam..... habendam esse declarat, atque decernit ut in posterum *melodiae gregorianae* etc. ».

Quod autem dicatur, initio citati Decreti, Antiphonorium esse iuxta novum Psalterii cursum *diligenter* dispositum, est accipiendum in sua substantia, non vero in particularibus, quae non erant scopus Decreti.

Hinc, quoad rubricas ordinemque Officii, standum Psalterio et non Antiphonario.

Pro Onelia. — I. Indulta quotidie, nullo excepto vel solemni die, celebrandi in privatis oratoriis, nullimode intelligenda sunt pro feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto, etiam extra tempus quo vetatur campanarum sonitus. Hi enim dies sunt aliturgici quoad Missas privatas, et quod non permittitur in ecclesiis, a fortiori prohibetur in oratoriis privatis; et idcirco nullimode in Indultis comprehendi possunt. Id quoque probatur ex praxi Apostolicae Sedis, quae, sicuti pluries negavit facultatem privatim celebrandi Sabbato Sancto etiam in privilegiatissimis ecclesiis et oratoriis, ita pro feria V in Coena Domini id concessit et concedit, rationabili ex causa, in oratoriis etiamsi iam indultum possideant celebrationis quotidianae, etiam solemniorum dierum.

II. Si Dominica infra octavam Ascensionis Domini a festo ritus duplicis II classis impeditur, nequit illius Missa feria VI quae eam sequitur celebrari, si non occurrat Duplex I vel II classis, cum commemoratione Officii occurrentis, uti fit in feriis Missam propriam habentibus; quia id nondum a S. Sede concessum est, uti alias diximus de diebus infra octavas disserentes, quamvis id conveniens videatur et desiderandum sit ut concedatur. Iuxta Decretum S. R. C., diei 6 Decembris 1912, I, Missa reponenda illa dicitur, quae, non solum impedita fuit in Dominica praecedenti, sed *prima vice resumenda est,* videlicet, vi legis est legenda, dem-

pta facultate celebrandi die illa Missas privatas votivas et Defunctorum.

Pro Abula in Hispania. — I. Lectiones I Nocturni in festis Tit. I, n. 4, novarum Rubricarum enumeratis esse debent de festo: Quaenam legendae erunt in die octava SS. Petri et Pauli, nam reapse festum est Apostolorum?

Resp. Sub nomine festi, in casu, non venit octava. Nulla immutatio facta est per novas rubricas circa lectiones primi nocturni in die octava SS. Apostolorum Petri et Pauli, ut videre est in *Mutationibus* per Decretum diei 23 Ianuarii 1912 faciendis. Hinc, uti prius, lectiones in casu erunt de Scriptura occurrente.

II. Regulares cuiusdam Ordinis, proprium Calendarium habentes, Presentationem B. M. V. cum octava celebrant. Lectiones pro 1° Nocturno in die 8° de Scriptura occurrente in proprio Breviario indicantur; nonne dicendae de festo sive de communi, sive de Octavario Romano?

Resp. Negative, ex rationibus in praecedenti solutione adductis. Vide Breviarium Romanum ad diem 15 Decembris, in octava Immaculatae Conceptionis B. M. V., in qua lectiones de Scriptura occurrente indicantur.

III. Tota octava SS. Corporis Christi in Hispania est singulariter privilegiata, nam infra eam excluduntur omnia festa I classis, excepto festo SS. Petri et Pauli tantum. Num Regulares in Hispania degentes possint vel debeant sese accommodari privilegio Hispanico. Incongruum videretur quod occurrente v. gr. festo Patroni loci, illud in Ecclesiis Regularium celebraretur, et nihil de eo in Ecclesiis loci vel civitatis?

Resp. Negative. Inconveniens, de quo in dubio, tanti ponderis non est, ut leges liturgicae posthabeantur. Ceterum, anteacto tempore de facto, hodie vero de iure, et infra ecclesias, de Patrono principali servatur feriatio; insuper etiam in ecclesiis non exemptis festum exterius Sancti Patroni celebrari potest, cum unica Missa cantata, iuxta titulum VI Rubricarum generalium Missalis, quae certo per

privilegium octavae nullimode impediretur, prout non impediretur haec Missa, si occurreret infra octavam Paschatis et Pentecostcs, privilegiatissimam, exceptis feriis II et III. Hinc, nullum inconveniens, si in ecclesiis exemptis etiam privatae Missae erunt de Patrono.

IV. 1. In Graduali et in novo Officio Defunctorum, post absolutionem ad tumulum legitur: *Et celebrans, praecedente Cruce, redit ad Sacristiam,* nihil de ℣. *Anima eius,* neque de Psalmo *De profundis* in regressu ad sacristiam recitando. An omitti debeant? 2. Et quis in regressu isto Crucem portare debet, Subdiaconus vel alius crucifer?

Resp. 1. Negative, iuxta decretum S. R. C., diei 20 Augusti 1901, n. 4081, III, quoad psalmum cum antiphona, *Kyrie,* etc. Quod autem attinet versiculum *Anima eius.....,* nihil immutandum, ex rationibus superius adductis, in responso ad dubium *Pro dioecesi Cauriensi.*

2. Crucem in casu portabit Subdiaconus, qui eam ab initio absolutionis recepit.

V. An oratio pro Defunctis in Missa de Feria, si cum illa oratione quatuor sint, excludat collectam imperatam?

Resp. Negative, uti eruitur ex decreto S. R. C. diei 12 Iunii 1912, IV, sub iis verbis: « ...non computatis collectis ab Ordinario imperatis », et ex aliis novissimae Rubricae tit. XI, *de collectis in Missis,* quae ita sonat « ...quamdocumque in Missa dicendae sint plus quam tres orationes *a Rubrica eo die praescriptae* »; atqui oratio pro defuncto non est a Rubrica praescripta, ergo...

VI. Quare Rubricae Officii novi Defunctorum in editionibus posterioribus Breviarii insertae adunc non sint?

Resp. Quia nullum eiusmodi mandatum per legitimam Auctoritatem datum adhuc est id faciendi, et non omnia quae in ipso sunt, conveniunt Breviario.

Pro Lucana dioecesi. In tuto posita liceitate sacram communionem sumendi Sabbato Sancto in Missa diei, iuxta decretum S. R. C., n. 2561, in *Tifernaten.*, et consequenter legitima supposita S. Eucharistiae sumptione post Missam

ipsam, non videtur ambigendum quod possit eadem s. communio sumi in ecclesiis ubi nulla dicitur Missa hac die. Si Missae defectus esset obstaculum ad communionem recipiendam, hoc, non modo in Sabbato Sancto, sed omnibus anni diebus vigere deberet; id autem non consideratur, et s. communio passim distribuitur etiam si Missae nullae dicantur, dummodo tempus sit congruum. Verum, cum vera prohibitio exstet circa communionem eo tempore distribuendam, quod decurrit a Missa Feriae V in Coena Domini ad aliam quae Sabbato sancto celebratur, ut iusta habeatur solutio propositi dubii, ita argumentandum est: Missa in loco non celebratur; ergo, vel communio per totum mane distribui potest, vel aliqua limitatio temporis est attendenda. Primum admitti nequit, haberetur quippe in iis locis maius privilegium quam in ecclesiis ubi regulariter fiunt sacrae diei caeremoniae. Debet igitur imponi aliqua limitatio; nunc vero in loco nullum haberi potest aliud criterium, quam illud, quo datur Dominicae resurrectionis signum, scilicet campanarum sonitus, qui ab ecclesia principali loci primo ex iure emittitur, post quem aliae loci ecclesiae illum imitari possunt. Si quis porro subsumeret, vix edito campanarum sono, nondum esse perfectam communionem in ecclesia principali, quia ille datur ad *Gloria* Missae, respondebimus hoc non esse considerandum, quia cessato mortis et sepulturae Domini tempore, iam licet in casu quod alio omni tempore permittitur.

Pro Gallia. — Plures dioecesis N. ecclesiae abundant petitionibus Missarum de requie cum cantu, non tamen solemnium. Ut iis facile, et adhuc minori sumptu, fieri satis valeat, mos introductus est, eas Missas cum unico cantore et unico altari inservienti celebrare. Id non videtur satis liturgicis legibus conforme, multoque minus post recentissimas liturgicas sanctiones pro diebus feriarum propriam Missam habentium, praesertim si agatur de Missis quotidianis, non vero privilegiatis. Nonne hae Missae considerandae sunt tamquam mere privatae, et proinde praefatis diebus prohibitae?

Resp. Quando sermo est in liturgicis documentis de cantu Missarum, semper nominantur cantores, numquam cantor, et exinde erui datur, quod regulariter plures exiguntur in his Missis cantores, saltem duo. Sed, a rigore terminum, nec non a maiori liturgicae actionis dignitate praescindendo, non videmus nimis insistendum, ut cantus unius tantum recise prohibeatur. Cantus quippe semper habetur, etiam si unus cantet, et nemo umquam difficultatem opposuit circa morem passim receptum, quo duo sunt cantores, qui non una simul, sed alternatim varios partium Missarum versiculos canunt, ita ut vere dici possit, unum tantum tunc canere. Si ergo licet per partes singulatim canere, licebit item, salva convenienti exsequutione, id fieri continuatim. Difficile non est quidem invenire viros, qui sufficienti vocis robore sunt donati, ut cantui sic producendo resistere valent. Si ergo, uti diximus, res salvo decore procedant, ex hoc capite, minime mos iste est condemnandus.

Neque opponi debet quod praecipit « Motu proprio » SS. D. N. circa sacrum cantum, ne scilicet proponantur *a soli;* quia uti alias in his *Ephemeridibus* diximus, *a solo,* non indicati simpliciter cantum una voce editum, sed dictio in sua technica significatione est accipienda, de qua musicos videsis tractatus, et cit. « Motu proprio ».

An vero eiusmodi Missae tamquam privatae sint retinendae, et ideo in feriis privilegio donatis privatas Missas de requie respuendi, prohibendae, negative respondemus, quia de Missis cum cantu nulla nova lex habetur, imo veteres sunt confirmatae; ac proinde sequendae sunt in casu veteres normae. Neque difficultatem ingerit obiectio, quod Missae non sint de diebus privilegiatis, sed quotidianae, quia lex nulla in casu distinguit inter Missas quotidianas et privilegiatas; dummodo cum cantu habeantur, legitime habentur, salvis de cetero notissimis, de re, rubricis et decretis.

I. B. M. Menghini.

Varia de re liturgica.

De reformatione Kalendarii Gregoriani

De hac quaestione plura periodica iam locuta sunt; inter alia: *Rassegna Gregoriana*, Decembri 1911, p. 435; *La Scuola Cattolica* a Mediolano, Aprili 1912, p. 631; *Revue du Clergé* Français, Mars 1912, p. 513; *Revue Liturgique et Bénédictine*, II, Avril 1912, p. 285; *The Tablet*, 20 April 1912, p. 602; 27 April, p. 642; *Rivista Storica Benedettina* a Roma, Octobri-Decembri 1912, p. 354; *Almanacco Italiano* DD. R. Bemporad et Filii, 1913, p. 10; etc. etc. (*).

Cum quaestio haec sit maximi momenti et non solum quaestio civilis et ecclesiastica, sed etiam maxime liturgica; idcirco eam sub diversis respectibus in his Ephemeridibus liturgicis aliquatenus examinare et tractare opportunum et necessarium duximus. Dissertatio nostra continet tria puncta: 1^m agit de correctione Kalendarii a Gregorio Pp. XIII facta; — 2^m, de nova reformatione Kalendarii Gregoriani, et — 3^m continet animadversiones super propositam Kalendarii Gregoriani reformationem.

I. — De correctione Kalendarii a Gregorio Pp. XIII facta.

1° Annus habet menses 12, hebdomades 52 et diem unum; dies vero 365 et *fere* sex horas; tanto enim tempore sol Zodiacum perlustrat. — Illae quater sex horae restantes

(*) Nota Redactionis. Etiam nostrae *Ephemerides* de quaestione eadem locutae sunt in fasciculo mensis octobris 1906, pag. 630-631, ubi collaborator noster I. B. M. Menghini votum favorabile pro reformatione expromebat (Cf. etiam Menghini: *Elementa Iuris Liturgici*, p. 82).

singulis quaternis annis diem constituunt: hinc annus ille intercalaris, bissextus, vel bissextilis dicitur.

2° « Quod dictum est, annum continere 365 dies, et *fere* sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta (*videlicet undecim*) deficiant. Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quae ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem iuncta constituerint dies *decem:* qui causam dederunt, ut Aequinoctium vernum (*et consequenter XIV luna paschalis*) sedem suam mutaverit » (Brev. Rom., *de anni correctione*).

3° « Ut *igitur* Aequinoctium vernum ad XII Kalendas Aprilis (*i. e. ad 21 Martii, ad quem locum a Concilio Nicaeno fuerat constitutum*) restitueretur, statuit (Gregorius Pp. XIII) ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur, ut nempe post 4^{m} diem Octobris, sancto Francisco (Assisiensi) sacram, sequens dies non esset 5^{a}, sed 15^{a} Octobris. Et ita error, qui in praeteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus » (Brev. Rom., *ibidem*).

4° Quoniam memorata *undecim* minuta, quae singulis annis deficiunt ad complementum dictarum sex horarum, spatio annorum 131 faciunt summam integri diei et unius minuti, et decursu 400 annorum efformant tres dies, unam horam et minuta viginti, ideo, ut in posterum idem error vitaretur, ne a XII Kalendas Aprilis Aequinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, praeterquam in centesimis annis, qui quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset bis-

sextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900 bissextiles non sint, anno vero 2000 more consueto dies bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

5° Patet autem, quod haec Gregoriana correctio ad lancem omnino non sit, quia adhuc ultra debitam quantitatem, singulis quadringentis annis attribuit horam unam et minuta viginti, quae ultra diem unum, spatio quatuor saeculorum, ut supra efformantur. Hinc dubium non est, quod cursu plurium saeculorum supradictum Aequinoctium posset suam sedem iterum praecedendo mutare, et quidem tractu saeculorum 72 praecederet uno die. At quoniam non creditur mundus adeo duraturus, ut malum hoc ex notabili variatione secuturum videatur; idcirco praedictus intercalandi modus in perpetuum fuit servari statutus (Ita Cavalieri, *Opera omnia Liturg.*, tom. I, Decr. 94, n. 2; Tetamus, *Diar. Liturg.* etc., in Prooemio ad An. civil., n. 2; A. a Carpo, *Kalend. Perp.*, c. I, n. 14).

II. De nova reformatione Kalendarii Gregoriani.

1° Iam ab aliquibus annis plura comitia internationalia locum habuerunt a negotiatorum corporibus (*camere di commercio*), quae in diversis Europae partibus constituta quemdam unionis nexum inter se habent. Dicti negotiatores in unum convenerunt una vice Pragae anno 1908, altera vice Londini anno 1910 et anno proxime elapso (1912) in civitate Bostoniensi (in Statibus confoederatis Americae), habentes pro scopo et fine, simplificare Kalendarium actuale Gregorianum et constituere unum perpetuum, uniforme et invariabile. Advertendum est quod in ultimis Comitiis, Bostonii anno praeterito celebratis, erant praesentes ex negotiatorum corporibus 891 membra, quae quadraginta septem regiones diversas representabant, et in iis comitiis omnes unanimi consensu hoc votum expresserunt, pro commercio omnino

desiderabile esse ut habeatur Kalendarium perpetuum, uniforme et invariabile (1).

2° In quantum in hac quaestione illorum negotiatorum proposita comprehendere possim, ipsi intendunt dictum Kalendarium perpetuum et invariabile modo sequenti componere: dividunt annum in quatuor trimestria omnino similia; cuiuslibet trimestris primus et secundus mensis habet 30 dies, tertius autem mensis dies 31; et ita quatuor trimestria efformant 364 dies. Cum autem in anno ordinario seu communi unus dies deficiat, ipsi addunt unum diem qui praecedit primum diem Ianuarii et censetur extra normalem hebdomadae cursum. In annis autem bissextis ipsi pariter adiungere volunt unum diem sine dato in fine mensis Iunii. Insuper ad obviandas inconvenientias et incommoda quae ex mobilitate solemnitatis Paschatis pro commercio oriuntur, iidem negotiatores hoc festum in die 7 Aprilis, tamquam in diem fixum assignare desiderant.

(1) Insuper D.nus Canon Legrand, istius congressus Praeses, ante sumptionem votorum declarabat, quod, iuxta informationes a Legatione Germanica Romae receptas, S. Sedes sibi non proponat initiationem capere reformationis Kalendarii, idque non magis expectandum sit ab Ecclesia Graeca; « Cela n'empêche en rien, Messieurs (addit idem Praeses), que nous confirmions notre vote. Nous ne voulons être désagréable à personne, nous respectons toutes les convictions, mais nous insistons pour dire entre hommes d'affaires et commerçants qu'il est désiderable d'avoir Pâques fixe et qu'il est désirable aussi d'avoir un Calendrier uniforme ».

Parum postea, illius congressus membris facta fuit sequens communicatio, e qua apparet novum Imperium in Sinis similiter cooperare velle ad constituendum Kalendarium universi Orbis. Haec communicatio ita sonat « I have just received a letter from the Chinese delegates, in which they say, the sun of progress, the sun of new times has come to China and that they are in hearty accord with the vote that has just been taken by this body in regard to the question of the Calendar ».

Quibus dictis Praeses adhuc observabat: « Cela est donc particulièrement intéressant d'un bout à l'autre du monde, tous les pays s'intéressent à la question ».

Ita patet propositam huius Kalendarii reformationem in quibusdam punctis ab aliis differre. Inter alia, omne trimestre huius Kalendarii non incipit cum Dominica, sed cum Feria II, quia pro hominibus negotiorum data 1, 15 et 30 cuiuslibet mensis sunt data magni momenti, nempe pro solutionibus salarii operariis, pro conficiendis et solvendis diversis rationibus, etc. Hinc ipsi multum desiderant ut dicta data in Dominicam numquam incidant (2). En:

Exemplum eiusmodi Kalendarii perpetui.

1um trimestre 2um » 3um » 4um »	Iannuarius Aprilis Iulius October	Februarius Maius Augustus November	Martius Iunius September December	In anno communi » » bissexto
Feria II	1, 8, 15, 22, 29	— 6, 13, 20, 27	— 4, 11, 18, 25	Additur unus dies in fine mensis Decembris sine dato. Additur alter dies similiter in fine mensis Iunii.
» III	2, 9, 16, 23, 30	— 7, 14, 21, 28	— 5, 12, 19, 26	
» IV	3, 10, 17, 24 —	1, 8, 15, 22, 29	— 6, 13, 20, 27	
» V	4, 11, 18, 25 —	2, 9. 16, 23, 30	— 7, 14, 21, 28	
» VI	5, 12, 19, 26 —	3, 10, 17, 24 —	1, 8, 15, 22, 29	
Sabbatum . . .	6, 13, 20, 27 —	4, 11, 18, 25 —	2, 9, 16, 23, 30	
Dominica. . . .	7, 14, 21, 28 —	5, 12, 19, 26 —	3, 10, 17, 24, 31	

3° Motiva quae praecitata negotiatorum corpora adducunt ad mutandum Kalendarium Gregorianum in sensu supramemorato, sunt, uti supponendum est, fere omnia oeconomica et materialia, quae ad praecipua sequentia reduci possunt:

a) Quodlibet trimestre et semestre spatium est uniforme. Quilibet mensis anni habet numerum similem dierum profestorum, scilicet dies 26, incluso etiam tertio mense cuiuslibet trimestris.

---

(2) Cf. « Almanacco Italiano » D.norum R. Bemporad et Filii, 1913, p. 11.

Dies primus, quindecimus et trigesimus, qui dies repraesentant in negotiatione aliisve rebus data magni momenti, numquam in diem Dominicam incidunt.

b) Ex uniformitate, simplicitate et fixitate dierum praecitati Kalendarii oritur magna facilitas computandi e memoria data dierum cuiusvis mensis et anni. Item computatio dierum elapsorum a primo die Ianuarii usque ad determinatum datum anni pariter erit facilis. Eaedem Kalendarii qualitates producunt quoque magnam simplificationem computationum et comparationum statisticarum, necnon permagnam parsimoniam temporis et pecuniae.

c) In casu contractus ad mensem inter susceptorem et operarium, cum eiusdem dissolutione primo die mensis, iuxta praedictum Kalendarium non amplius habebitur incertitudo quoad computationem salarii, quoniam quislibet mensis habet similem numerum dierum profestorum, uti supra vidimus. — Item solutiones salarii in industriis et negotiationibus, necnon solutiones rationum pro rebus acceptis, quae regulariter fiunt quolibet die trigesimo vel die quintodecimo mensis, uti regula fixa in praedictis diebus statui possunt, cum renusquisque certus esse possit ea data in Dominicam numquam incidere.

d) Advertendum insuper est quod Kalendarium, in quo dies hebdomadis semper occurrunt iisdem diebus mensis, conduceret itidem ad stabilitatem et fixitatem festorum religiosorum, quae in praesenti valde mobilia sunt, praesertim ea quae pendent a solemnitate Paschatis. Mobilitas autem festorum et imprimis solemnitatis Paschatis producit magna inconvenientia et notabile damnum pro pluribus productibus specialibus commercii. Sic v. gr. in Germania et aliis regionibus, industria vestimentorum perdit plura millia francorum, quando solemnitas Paschatis occurrit mense Martio, quum homines habitudinem habeant vestiarium suum renovare recurrente Paschate, quamvis mensis Martius adhuc consideratur uti pertinens ad tempus hiemis. Sunt adhuc alia plura incommoda et inconvenientia pro pluribus regionibus,

casu quo Solemnitas Paschatis occurrit nimis tempestiva, quibus tamen omnibus provideretur, si dies Paschatis in perpetuum fixaretur die 7 Aprilis.

Eodem tempore provideretur cuicumque gubernio et mensis argentariis (seu nummulariis) in pluribus necessitatibus, cum eorum administratores tunc in perpetuum statuere valeant dies fixas festorum civilium seu vacantium pro singulis annis (3).

Ex praedictis omnibus manifeste patet motiva pro supramemorata Kalendarii reformatione allata non esse spernenda vel uti levia aestimanda, praesertim cum inconvenientia et incommoda magni momenti sint consideranda, si Kalendarium civile a Kalendario ecclesiastico diversum constitueretur.

Huiusmodi enim diversitas Kalendarii causaret confusionem generalem non solum quoad dies hebdomadae et data mensium, sed etiam quoad Dominicas et festa. Cum autem illa motio seu agitatio pro Kalendario perpetuo et invariabili sit quasi universalis (in ultimo enim congressu internationali negotiatorum corpora repraesentabant 47 regiones diversas), ex hoc iuxta me inferendum est, hanc quaestionem de reformatione Kalendarii non leviter esse tractandam vel omnino spernendam, vel dicendo Ecclesiam Catholicam ob eiusmodi argumenta materialia sua disciplinae praecepta mutare non debere, etc. etc. Sed quaestio maximi momenti in hisce circumstantiis iuxta me solvenda est: an et quomodo Ecclesia Catholica praedictam Kalendarii reformationem acceptare possit. Hanc quaestionem in altero articulo examinare intendimus.

(*Continuabitur*).

P. V. ab A.

---

(3) Cf. pro his omnibus cit. « Almanacco Italiano ».

SPECIMEN
KALENDARII ECCLESIAE UNIVERSALIS
PRO ANNO DOMINI 1914
Pascha occurrente die 12 Aprilis

NOVEMBER.

✠ 1. **Dom. XXII. p. Pent. I. Nov.** *Alb.* **OMNIUM SANCTORUM** *dupl. I. cl. cum Oct.* – Off. pr. loc. - Lect. 9. Hom. et com. Dom. in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. Ev. Dom. in fine - In Vesp. (pr. loc.) com. Dom. - Dicto *Bened. Dno* dicuntur Vesp. Defunctorum ut pr. loc. adnotatur - Compl. ut pr. loc. adnotatur, sumptis Pss. de Dom.

2. Fer. II. *Nig.* **COMMEM. OMN. FIDELIUM DEFUNCTORUM** *dupl.* - Off. ut pr. loc. adnotatur - Miss. pr. unica or. et Sequentia. - Vesp. (*Alb.*) de Oct. (ut in 1. Vesp. festi) - Compl. de Dom.

3. Fer. III. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. *Incip. liber Ezechielis* (de Dom. praec.) In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Cr. - Vesp. de seq. com. Oct. ac Ss. Vitalis et Agricolae Mm.

4. Fer. IV. *Alb.* **S. Caroli Ep. C.** *dupl.* - Lect. 9. Ss. Mm. Com. Oct. et Ss. Mm. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi).

5. Fer. V. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lect. 1. Noct. de Scr. occ. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) - Compl. de Dom.

6. Fer. VI. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Cr. - Vesp. de Oct. (ut in festo) - Compl. de Dom.

7. Sabb. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - In Miss. 2. or. de Sp. S. 3. *Ecclesiae* Cr. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb.

Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc. - com. Oct. (ut in 2. Vesp. festi) ac Ss. Quatuor Coronatorum Mm.

Dom. II. Novembris cum sua hebdomada hoc anno omittitur.

✠ 8. **Dom. XXIII. p. Pent. III. Nov**. *Vir*. De ea *semid*. - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. Oct. et Ss. Mm. in Laud et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. (*Alb.*) de seq. (de Comm. or. *Deus qui nobis*) com. Dom. et Oct. - Compl. de Dom.

9. Fer. II. *Alb*. **DEDICATIO ARCHIBASILICAE LATERANENSIS quae Omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis est Mater et Caput,** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. - Lect. 9. et com S. Theodori in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (de Comm.) com. seq. et Ss. Tryphonis et Soc. Mm. - Compl. de Dom.

10. Fer. III. *Alb*. **S. Andreae Avellini C.** *dupl*. - Lect. 9. et com. Ss. Mm. in Laud. et Miss. - Vesp. a Cap. de seq. com. praec. ac S. Mennae M.

11. Fer. IV. *Alb*. **S. Martini Ep. C.** *dupl.* - Ad Mat. omn. de Comm. et pr. cum Lectt. 1. Noct. *Fidelis sermo* - Lect. 9. S. Mennae. - Ad Laud. omn. de Comm. et pr. cum Pss. de Dom. et com. S. Mennae - Ad Hor. omn. de fer. a Cap. de Comm. et pr. - In Miss. 2. or. S. Mennae - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. seq.

12. Fer. V. *Rub*. **S. Martini I. P. M.** *semid*. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - - Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

13. Fer. VI. *Alb*. **S. Didaci C.** *semid*. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. (*Rub.*) de seq. com. praec.

14. Sabb. *Rub*. **S. Iosaphat Ep. M.** *dupl*. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr.) com. praec. et S. Gertrudis V.

✠ 15. **Dom. XXIV p. Pent. (VI. quae superf. p. Epiph.) IV. Nov.** *Vir*. De ea *semid*. – Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc. - Com. S. Gertrudis in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. S. Gertrudis - Compl. de Dom.

16. Fer. II. *Vir*. De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec.

sine Gl. 2. or. *Fidelium* 3. *A cunctis* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

17. Fer. III. *Alb.* **S. Gregorii Thaumaturgi Ep. C.** *semid.* - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. - Vesp. de seq. (ut in Comm. or. *Deus, qui nobis*) com. praec. - Compl. de Dom.

18. Fer. IV. *Alb.* **Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli, App.** *dupl. mai.* - Off. de Comm. et pr. - In Miss. Cr. - In Vesp. (de Comm.) com. seq. et S. Pontiani P. M. -

19. Fer. V. *Alb.* **S. Elisabeth Vid.** *dupl.* - Lectt. 9. et com. S. Pontiani in Laud. et Miss. - Vesp. a Cap. de seq. (m. t. v.) com. praec.

20. Fer. VI. *Alb.* **S. Felicis de Valois C.** *dupl.* - Lectt. 1. 1. et 2. *Incip. Abdias* (de fer. curr.) 2. *Incip. Ionas* (de Sabb. seq.) - Vesp. de seq. (pr. loc.) com. praec. - Compl. de Dom. - Doxol. *Iesu, tibi... Qui natus.*

21. Sabb. *Alb.* **Praesentatio B. M. V.** *dupl. mai.* - Off. pr. loc. In Miss. Cr. Praef. B. M. V. - Vesp. (*Vir.*) de seq. Dom. (Ant. et Pss. de Sabb. Cap. et rel. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc.) com. praec. et S. Caeciliae V. M.

✠ 22. **Dom. XXV. et ultima p. Pent. (sub num. XXIV.) V. Nov.** *Vir.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Caeciliae in Laud. et Miss. Cr. Praef. Trinit. - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. seq. S. Caeciliae et S. Felicitatis M. - Compl. de Dom.

23. Fer. II. *Rub.* **S. Clementis I. P. M.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *A Mileto* cum ℟℟. pr. - Lect. 9. S. Felicitatis - Ad Laud. Pss. de Dom. rel. de Comm. et pr. com. S. Felicitatis - Ad Hor. omn. de fer. a Cap. de Comm. or. pr. - In Miss. 2. or. S. Felicitatis - Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. (m. t. v.) com. praec. et S. Chrysogoni M.

24. Fer. III. *Alb.* **S. Ioannis a Cruce C.** *dupl.* - Lect. 1. Noct. 1. *Incip. Nahum* (de fer. 2. praec.) 2. et 3. *Incip. Habacuc* (de fer. curr.) - Lect. 9. et com. S. Chrysogoni in Laud. et Miss. - Vesp. (*Rub.*) a Cap. de seq. com. praec.

25. Fer. IV. *Rub.* **S. Catharinae V. M.** *dupl.* - Vesp. (*Alb.*) a Cap. de seq. com. praec. et S. Petri Alexandrini Ep. M.

26. Fer. V. *Alb.* **S. Silvestri Abb.** *dupl.* - Lect. 9. et com. S. Petri in Laud. et Miss. - In Vesp. nulla com.

27. Fer. VI. *Vir.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Lect. 1. et 2. *Incip. Zacharias* (de fer. curr.) 3. *Incip. Malachias* (de Sabb. seq.) - Ad Laud. Suffr. - Ad Prim. Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *A cunctis* 3. ad libit. sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. et Suffr. - Ad Compl. Prec.

28. Sabb. **Vigilia S. Andreae Ap.** *Viol.* De ea - Off. ferial. ut in Psalt. - Lectt. pr. cum ℟℟. fer. 4. praec. - Ad Laud. Pss. 2. loc. Prec. ferial. et Suffr. - Ad Hor. Prec. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *Concede* 3. *Ecclesiae* et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) com. S. Saturnini M. - Ad Compl. Prec.

✠ 29. **DOM. I. ADVENTUS** *1. cl. Viol.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Saturnini in Laud. (ad Prim. Prec.) et Miss. sine Gl. 3. or. *Deus, qui de beatae* Cr. Praef. Trinit. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. (de Comm. et pr.) com. Dom. - Compl. de Dom.

† 30. Fer II. (*Rub.*) **S. Andreae Ap.** *dupl. 2. cl.* - Off. de Comm. et pr. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de Comm. et pr.) com. fer. - Compl. de Dom.

DECEMBER.

1. Fer. III. *Viol.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. - Ad Laud. Pss. 2. loc. Prec. ferial. - Ad Hor. Ant. de Laud. Dom. praec. et Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Rub.*) de seq. com. fer.

2. Fer. IV. *Rub.* **S. Bibianae V. M.** *semid.* - Ad Laud. com. fer. - Ad Prim. Prec. - In Miss. 3. or. fer. 3. *Deus, qui de beatae* - Vesp. (*Alb.*) de seq. com. praec. et fer.

3. Fer. V. *Alb.* **S. Francisci Xaverii C.** *dupl. mai.* - Com. fer in Laud. et Miss. - In Vesp. com. seq. fer. ac S. Barbarae V. M.

4. Fer. VI. *Alb.* **S. Petri Chrysologi Ep. C. D.** *dupl.* - Com. fer. et S. Barbarae in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. com. fer. et S. Sabbae Abb.

5. Sabb. *Viol.* De ea - Off. de Sabb. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. Pss. 2. loc. Prec. ferial. et com. S. Sabbae - Ad Hor. Ant. de Laud. Dom. praec. et Prec. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. S. Sabbae 3. *Deus, qui de beatae* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) com. S. Nicolai Ep. C.

✠ 6. **DOM. II. ADVENTUS** 2. *cl. Viol.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. - Com. S. Nicolai in Laud. et Miss. sine Gl. Cr. Praef. Trinit. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de Dom (ut in Psalt. et pr.) com. seq. et S. Nicolai - Compl. de Dom.

7. Fer. II. **Vigilia Imm. Concept. B. M. V**, (de qua nihil in Off.) *Alb.* **S. Ambrosii Ep. C. D.** *dupl.* - m. t. v. - Ad Laud. com. fer. - In Miss. 2. or. fer. 3. Vigil. Cr. Ev. Vigil. in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) com. fer. - Compl. de Dom. - Per tot. Oct. (nisi aliter notetur) Doxol. *Iesu, tibi... Qui natus.*

✠ 8. Fer. III. *Alb.* **IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V.** *dupl. 1. cl. cum Oct.* - Off. pr. loc. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. Praef. B. M. V. per tot. Oct. (nisi aliter notetur) - In Vesp. (pr. loc.) com fer. - Compl. de Dom.

9. Fer. IV. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Com. fer. in Laud. et Miss. 3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. de Oct. (ut in 2. Vesp. festi) com. fer. et S. Melchiadis P. M. - Compl. de Dom.

10. Fer. V. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Com. fer. et S. Melchiadis in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de seq. com. Oct. et fer.

11. Fer. VI. *Alb.* **S. Damasi I. P. C.** *semid.* - Com. Oct. et fer. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) et fer.

12. Sabb. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Com. fer. in Laud. et Miss. 3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. (*Viol.*) de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) com. Oct. et S. Luciae V. M. - Ab his Vesp. et per tot. seq. diem omittit. Doxol. Oct.

✠ 13. **DOM. III. ADVENTUS** 2. *cl. Viol.* De ea *semid.* - Off. de

Dom. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Prim. ℣. ℟. br. *Qui venturus* - In Miss. sine Gl. 2. or. S. Luciae 3. Oct. Cr. Praef. Trinit. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de Dom. (ut in Psalt. et pr.) com. Oct. (ut in 1. Vesp. festi) et S. Luciae - Compl. de Dom.

14. Fer. II. *Alb.* **De Octava** *semid.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Lectt. 1. Noct. de Scr. occ. - Com. fer. in Laud. et Miss. 3. or. de Sp. S. Cr. - Vesp. de seq. (ut in 1. Vesp. festi) com. fer. - Compl. de Dom.

15. Fer. III. *Alb.* **Octava Immaculatae Conceptionis B. M. V.** *dupl. mai.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Com. fer. in Laud. et Miss. Cr. - In Vesp. (ut in festo) com. seq. (or. *Deus, qui nos*) et fer. - Compl. de Dom.

16. Fer. IV. **Quat. Temp.** *Rub.* **S. Eusebii Ep. M.** *semid.* - Lectt. 1. Noct. *De Isaia Proph.* (de fer. 3. praec.) - Lect. 9. Hom. et com. fer. in Laud. (ad Prim. Prec.) et Miss. 3. or. *Deus, qui de beatae* Ev. fer. in fine - In Vesp. com. fer. - Ad Compl. Prec.

17. Fer. V. *Viol.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. (Pss. 2. loc.) et per Hor. Ant. *De Sion* et Prec. ferial. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O sapientia* (quae duplicatur) et Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

18. Fer. VI. **Quat. Temp.** *Viol.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. (Pss. 2. loc.) et per Hor. Ant. *Constantes* et Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* et *Bened. Dno* in fine. - Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Adonai* (quae duplicatur) et Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

19. Sabb. **Quat. Temp. et Vigilia S. Thomae Ap.** (de qua nihil in Off.) - *Viol.* De eo - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. (Pss. 2. loc.) et per Hor. Ant. *Ecce veniet* (de fer 2. praetermissa 4. cuius loco dicit. Ant. *Exspectetur*) et Prec. ferial. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. Vigil. 3. *Deus, qui de beatae* et in fine *Bened. Dno* et Ev. S. Ioannis *In principio* - Vesp. de seq. Dom. (Ant. de Laud. Pss. de Sabb. rel. pr.) Ant. *O Radix* (quae duplicatur) - Ad Compl. Prec.

✠ 20. **DOM. IV. ADVENTUS** *2. cl. Viol.* De ea *semid.* - Off. de Dom. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Prim. Prec. - Miss. pr. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* Cr. Praef. Trinit et *Bened. Dno* in fine. - Vesp. (*Rub.*) de seq. (de Comm et pr.) com. Dom. (Ant. *O Clavis*) - Compl. de Dom.

† 21. Fer. II. *Rub.* **S. THOMAE * AP.** *dupl. 2. cl.* - Off. de comm. et pr. - Com. fer. (Ant. *Nolite*) in Laud. et Miss. Cr. Praef. de App. - In Vesp. (de comm.) com. fer. (Ant. *O Oriens*) Compl. de Dom.

22. Fer. III. *Viol.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. (Pss. 2. loc.) et per Hor. Ant. *Rorate* et Prec. ferial. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Rex* (quae duplicatur) et Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

23. Fer. IV. *Viol.* De ea - Off. de fer. ut in Psalt. (in 3. Noct. Pss. 2. loc.) et pr. loc. - Ad Laud. (Pss. 2. loc.) et per Hor. Ant. *Prophetae* (Ad *Bened.* Ant. *Ecce completa*) et Prec. ferial. - Miss. de Dom. praec. sine Gl. 2. or. *Deus, qui de beatae* 3. *Ecclesiae* sine Cr. Praef. comm. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. de fer. (ut in Psalt. et pr.) ad *Magnif.* Ant. *O Emmanuel* (quae duplicatur) et Prec. ferial. - Ad Compl. Prec.

24. Fer. V. **VIGILIA NATIVITATIS** *Viol.* De ea - Off. de feria ut in Psalt. et pr. loc. - Ad Laud. et Hor. Ant. pr. (ritu dupl.) Pss. de Dom. - Miss. pr. sine Gl. unica or. et *Bened. Dno* in fine - Vesp. (*Alb.*) de seq. (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom. - Ad Compl. et deinceps, usque ad Epiph. Doxol. *Iesu, tibi... Qui natus* et ℣. ℟. br. ad Prim. *Qui natus.*

✠ 25. Fer. VI. *Alb.* **NATIVITAS D. N. I. C.** *dupl. 1. cl. cum Oct. privileg.* - Off. pr. - Hodie celebrantur tres Missae ut pr. loc. Gl. Cr. Praef. et *Communicantes* in 1. Miss. dicit *Noctem sacratissimam*, in reliquis vero *Diem sacratissimum* - In 2. Missa (etiam solemni) fit com. S. Anastasiae M. - In fine 3. Missae legitur Evang. de festo Epiphaniae. - In Vesp. (pr. loc.) com. seq. - Compl. de Dom.

† 26. Sabb. *Rub.* **S. STEPHANI PROTOMART.** *dupl. 2. cl. cum Oct.* - Off. de Comm. et pr. - Com. Oct. in Laud. et Miss.

Cr. - Vesp. de Nativ. (pr. loc.) a Cap. de S. Stephano, com. seq. et Oct. - Compl. de Dom.

✠ 27. **Dom.** *Alb.* **S. IOANNIS * AP. et EV.** *dupl. 2. cl. cum Oct.* - Off. de Comm. et pr. - Com. Octavar. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Nativ. (pr. loc.) a Cap. de S. Ioanne, com. seq. et Octavar. - Compl. de Dom.

✠ 28. Fer. II. *Viol.* **Ss. INNOCENTIUM Mm.** *dupl. 2. cl. cum Oct.* - Off. de Comm. et pr. - In 3. Noct. 2. Ant. *Isti sunt.* - Non dicit. *Te Deum,* sed 9. ℟. - Com. Octavar. in Laud. et Miss. (post Graduale) omitt. *Alleluia* cum suo ℣. et dicitur Tractus) Cr. et *Bened. Dno* in fine. - Vesp. de Nativ. (pr. loc.) a Cap. de Ss. Innocentibus, com. seq. et Octavar. - Compl. de Dom.

29. Fer. III. *Rub.* **S. Thomae Ep. M.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *A Mileto* - Com. Octavar. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. (*Alb.*) Nativ. (pr. loc.) a Cap. de seq. Dom. com. praec. et Octavar. - Compl. de Dom.

30. Fer. IV. *Alb.* **De Dom. infra Oct. Nativ.** *semid.* - Off. ut in festo et pr. loc. - Com. Octavar. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Nativ. (pr. loc.) a Cap. de Dom. com. seq. et Octavar. - Compl. de Dom.

† 31. Fer. V. *Alb.* **S. Silvestri P. C.** *dupl.* - Lectt. 1. Noct. *De Epist. ad Rom.* (pr. loc.) - Com. Octavar. in Laud. et Miss. Cr. - Vesp. de Circumcisione (pr. loc.) sine com. - Compl. de Dom.

In Martyrol. hodie et toto anno seq. Luna pronuntiatur sub littera **p** parva.

Errata-corrige.

Die 11 ianuarii, corrigenda est dispositio pro II Vesperis hoc modo: (Ant. *Magi videntes,* ℣. *Omnes de Saba*).

» 20 » dicatur: « *Vesp. a Cap.* ».

» 25 » *ad com. seq.* adiungatur: « *necnon Convers. S. Pauli, et S. Petri* ».

» 28 » *ad Laud. omn. de fer. a Cap.* addatur: « *ut in fest. (21 ian.) orat. pr.* ».

» 13, 16, 19 februarii, dicatur: « *Miss. Dom. praec. sine Tractu et Cr.* ».

» 21 » *ad Compl.* corrigatur: « *non dicunt. Pr.* ».

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

VI. In tabella occurrentiae accidentalis, ut iam notavimus, in serie horizontali officiorum posita sunt tantummodo officia mobilia. In occurrentia autem duplicium tam j quam ij classis, cum dominicis j ordinis positus est numerus 6, eo quod, dominicae huiusmodi, uti notum est, respuunt quodcumque festum, etiam solemnissimum. In occurrentia vero vero duplicium j classis cum dominica ij ordinis positus fuit numerus 3, eo quod accidentaliter potest occurrere duplex j classis, in una ex his dominicis, ut supra notavimus (nota 1). In occurrentia vero cum duplici ij classis positus est numerus 6, quia huiusmodi festum semper, etiam in accidentali occurrentia, cedere locum debet dominicis maioribus omnibus, etiam ij ordinis.

In occurrentia dominicae minoris cum festo duplici tam maiori quam minori, aut cum die octava quae non sit de facto Domini, positus fuit numerus 4, nempe, fieri debet de dominica, cum commemoratione festi, aut diei octavi. Vide quae ad rem disseruimus in nostro Commentario in constitutionem *Divino afflatu* nota 36 (Ephem. Lit. 1912, p. 61).

VII. In occurrentia diei octavi Corporis Christi cum duplici j vel ij classis positus est numerus 6, quia ex novis regulis huiusce octavae et rubrica speciali, ut in notando 4 sequenti, non amplius ea die admittitur festum aliquod, etiam j classis, excepto festo Ss. Apostolorum' Petri et Pauli. In occurrentia vero cum alio die octavo positum

est signum O, nunc enim impossibile est, quod aliquod festum habeat octavam eadem die occurrentem cum die octava Corporis Christi. Antiquitus quidem id accidere poterat, quando ex. gr. Patronus occurrebat in die festo Corporis Christi; tunc enim die sequenti libero agebatur officium Patroni, et dies octava eius, a sua sede non excedebat, ideoque agebatur de die octava Corporis Christi, cum commemoratione diei octavae Patroni. Hodie vero, licet in die Corporis Christi occurrat Patronus, officium eius non amplius infra octavam agi potest, ideoque impossibilis est casus simultaneae occurrentiae dierum octavarum huiusmodi.

VIII. Hoc loco Tabella occurrentiae accidentalis aliquid novi praescribit, quod scilicet in occurrentia accidentali diei octavae ritus duplicis maioris, cum aliquo festo eiusdem ritus praeferri debet dies octavus, et commemorari festum. Similiter hoc ipsum fieri debet, in occurrentia accidentali diei octavi ritus duplicis minoris, cum festo eiusdem ritus. Diximus hoc omnino esse novum; et sane: rubrica de octavis intacta remansit, a s. Pio v usque ad Leonem xiij. Tempore s. Pii v, non habebantur nisi tres classes duplicium, nempe duplex j classis, duplex ij classis, et duplex ullo sine addito. Dies ergo octava, ritu huiusmodi recolebatur, nempe duplici.

Itaque, exceptis diebus octavis privilegiatis, quaecumque dies octava, tam in occurrentia quam in concurrentia, iisdem iuribus gaudebat sicut et alia duplicia minora. Quando Clemens viij classem duplicium maiorum invexit, dies tamen octavae eodem ritu duplici minori celebratae fuerunt, semper exceptis diebus octavis privilegiatis.

Usque ad ultimam correctionem rubricarum sub Leone xiij anno 1897 peractam, in concurrentia diei octavae Ss. Petri et Pauli cum festo Ss. Cyrilli et Methodii, vesperae dividebantur. Postquam vero statuta est distinctio nobilitatis festorum, quae etiam ad eorum octavas applicari oportebat, factum est, ut in praedicta reformatione tributae sint integrae vesperae diei octavae Ss. Apostolorum in concur-

rentia cum s. Antonio M. Zaccaria. Hoc autem factum est, non quia dies octava aliquid haberet praevalentiae super duplicia minora, sed quia agebatur in casu, de officio Ss. Apostolorum in concurrentia cum alio sancto, inferioris dignitatis personalis, Ex. gr. vesperae s. Hyacinthi cum die octava s. Laurentii, iuxta rubricas breviarii dividebantur, quia dies octava nulla gaudebat praeferentia super festa eiusdem ritus.

Gaudebat sane praeferentia in occurrentia, sed hoc iure fruebatur, non quia dignior esset dies octava, bene vero quia, cum dies octava natura sua sit officium intransferibile (alioquin non amplius dies octavus, sed nonus vel decimus esset), praeferentia gaudebat snper duplicia minora; imo et super maiora. Ratio clarissima cuique apparet: in casu dies octava, simul occurrens cum alio duplici minori vel maiori necessario in sua sede manebat, festa vero alia die celebrabantur, et ita nullum officium peribat. Igitur, cum hodie tam dies octava quam duplex maius et minus, intransferibilia sint, videtur quod, sicut eâdem lege reguntur, quoad intransferibilitatem, iisdem iuribus gaudere debeant in occurrentia; quod si aliqua distinctio inter diem octavam et festum duplex maius vel minus dari debeat, haec in favorem festi, non vero diei octavae, prodesse deberet.

Et sane; dies octava non est ens per se existens, bene vero pendens ex festo ipso, quod cum octava celebratur; ergo, festum duplex maius vel minus, quia ex se ipso existit, nobilius videtur quam dies octava, quae ut existat, necessario indiget festo principali quod per octo dies continuatur. Aliis verbis, dies octava, est quasi appendix festi; festum autem est ens ex se ipso existens.

Neque valet opponere quod tota octava non sit nisi continuatio festi, ideoque, nobilitatis festi habentis octavam, in singulis diebus infra ipsam continuari censeatur; quia dies infra octavam minoris nobilitatis sunt quam festa ritus semiduplicis; ergo sicut dies infra octavam cedunt festis huiusmodi ritus semiduplicis, ita dies octava cedere deberet festis duplicibus.

Norunt omnes, quod in festo duplici ij classis, non fit commemoratio diei infra octavam, sed fit de simplici in Laudibus et Missis privatis. Quare hoc? Omnes liturgistae, cum Gavanto et Cavalerio aiunt, quia omissio commemorationis diei infra octavam parum officit festo habenti octavam, quia iam habuit officium in sua die, et aliis diebus infra octavam et in ipsa die octava habebit; de simplici vero, nisi fieret commemoratio saltem in Laudibus et Missis privatis, tota memoria periret.

Idipsum dicatur de festo occurrente in aliqua die octava; si fieret de festo, cum commemoratione diei octavae, minimum detrimentum obveniret officio octavae, ut patet; maximum vero dannum pati videretur festum, si officium deperderet, ut locum cedat officio diei octavae.

Hisce tamen non obstantibus, aliter disponit tabella occurrentiae accidentalis; forsan quia dies octavus participat nobilitati et excellentiae festivitatis, qua octava decoratur.

IX. Qui bene considerat officia in serie horizontali tabellae concurrentiae, inveniet tantummodo illa, quorum primae vesperae concurrere possunt cum secundis vesperis officiorum, quae in columna verticali inscribuntur. Cum autem inter officia illiusmodi appareat etiam dies infra octavam, concludi oportet quod etiam dies infra octavam habere possunt primas vesperas. Hoc notavimus alias in nostra Expositione Rubricarum breviarii (Vol. 2, 216 et seq.) et in commentario in bullam *Divino afflatu* nota 54 (Ephem. Lit. 1912, p. 84).

Huiusmodi doctrina contra communem doctorum sententiam, quam nos cum Guyeto defendimus, hodie post decretum in Atrebaten. d. 5 iulii 1908, lex est accepta et in rubricis novis inducta, ut videre est inter notanda ad Tabellas sub numero 8.

X. Iuxta novas rubricas, vesperae dominicae non cedunt nisi duplicibus j et ij classis; quia, cum dominica in occurrentia praevaleat festis (quae Domini non sint) licet ritum habeant duplicem minorem vel maiorem, ita et in

concurrentia. Quod si alicubi occurrant eadem die, festum duplex maius alicuius Sancti, et dies octavus Domini duplex minus, ac Dominica minor, etiamsi festum per se praevaleat diei octavo, attamen, quia in casu occurrunt in dominica, cuius agi deberet officium, tunc recitatur officium diei octavi Domini, cum commemoratione dominicae et festi duplicis maioris; non quia dies octava nobilior evaserit, sed quia eius officium tenet locum officii dominicae.

XI. In antiqua concurrentiae tabella, sub Urbano viij confecta, exstabat regula 5 quae sic se habeat: *Capitulum de sequenti, commemoratio praecedentis.* In eadem tabella anno 1897 emendata, servata fuit eadem regula, sed regulae 6, *Totum de dignori, commemoratio de minus digno,* additum est: *In paritate dignitatis a capitulo de sequenti.* Nunc vero in nova tabella, unica regula servata fuit 5, quae sic se habet: *Totum de nobiliori, commemoratio de alio; in paritate, a cap. de seq., commem. de praecedenti.*

Ceterum, quando datur occurrentia inter duo festa, quae omnino paria sunt, scilicet sunt eiusdem *nobilitatis,* certo dividendae sunt vesperae. Antiquitus in praxi nunquam dividebantur vesperae nisi in duplicibus maioribus et minoribus ac in semiduplicibus; licet rubrica breviarii (tit. XI v. 2) praescriberet: *Duplici ergo in secundis vesperis concurrente cum alio duplici in primis, si utraque sint eiusdem solemnitatis* (lege *nobilitatis*) *regulariter a capitulo fit de sequenti cum commemoratione praecedentis.* Antiqua lex ista in novis rubricis fuit ergo restituta.

Notanda in tribus Tabellis

occurrentiae et concurrentiae (1).

1. Quando in regulis cuiusvis Tabellae invenitur: *Officium de Nobiliori,* vel *Totum de Nobiliori,* intelligi debet de illo ex duobus occurrentibus aut concurrentibus Festis vel Officiis, quod sive ratione qualitatis Primarii, sive ratione Dignitatis personalis,

aut Solemnitatis externae, aut Proprietatis (haec tamen in concurrentia non attenditur), alteri praeferri debeat (2).

(1) Cum aliquae leges tam in occurrentia, quam in concurrentia, pro uno vel altero casu tantummodo inserviant, (ex. gr. occurrentia vigiliae s. Ioannis et ss. apostolorum Petri et Pauli), inter notanda, huiusmodi leges speciales positae fuere: idem dicatur de aliqua alia lege, quae in tabellis inscribi non potuit, uti de separatione officii sanctorum, qui socii sunt Patroni vel titularis. Omnino ergo prae oculis habenda sunt huiusmodi notanda, eo quod nonnulla exhibent, quae neque in rubricis generalibus inveniuntur; ac proinde verae rubricae sunt istae, et vim legis habent, sicut et aliae rubricae breviarii, tam generales, quam speciales.

(2) In antiquis rubricis, et maxime in illis, quae reformatae fuerunt semel et bis, sub Leone xiij, festum vel officium, quod praeferri debeat, *dignius* vocabatur, sed huiusmodi vox improprie adhibita erat, cum festum *dignius* dicitur ratione *dignitatis* personae. Aliquando vox adhibita fuit *celebrius* vel *solemnius,* sed et huinsmodi voces aequivoce sumi possunt, cum *celebritas,* vel *solemnitas* indicare possint *ritum.* Necessitatem aliud verbum inveniendi hisce in adiunctis, nos ipsi praevidimus iam in rubricarum breviarii romani Expositione (Vol. II, p. 95). Hanc ipsam necessitatem agnovit ipsa S. R. C., quae in suo decreto, quo probavit noviter reformatam rubricam in festo b. Mariae perdolentis de mense septembris, vocem hanc, nobis proponentibus, adhibuit dicens:

Hac Dominica, si occurrat festum nobilius, celebretur festum B. M. V. Perdolentis, primo sequenti die etc.

Itaque vox *nobilius* indicat praevalentiam, quam habet aliquod festum vel *officium,* super aliud, quacumque de causa; sive ratione ritus, si agatur de duobus officiis diversis ritus, sive ratione qualitatis *primarii,* si agatur de duobus festis

eiusdem ritus; sive ratione *dignisatis personalis,* si agatur de duobus festis eiusdem ritus et qualitatis; sive ratione *solemnitatis* externae, iuxta novas rubricas (Tit. ij, n. 1), sive ratione proprietatis, si cetera sint paria. Quocumque titulo ergc aliquod festum sit praeferendum ex rubricis, apte vocatur nobilius quam aliud, quod cedere illi debet. Hoc valet tam in occurrentia, quam in concurrentia.

Quia vero ob rationes, quas adduximus in nostro Commentario in Constitutionem « *Divino afflatu* » (nota 32) character *proprietatis* non est attendendus in concurrentia, hoc loco denuo id explicite decernitur. In tabella occurrentiae perpetuae habentur regulae 7 et 8 scilicet: *officium de nobiliori, repositio,* vel *commemoratio de alio.* Sit ergo occurrentia perpetua in die 17 ianuarii festi s. Antonii ab. et s. Sabini ep. Placcntini simul, si ambo ritu gaudent duplici minori, fieri debet officium *de nobiliore* (scilicet in casu de s. Sabino, qui Placentiae est proprius), et *de alio* (scilicet de s. Antonio, cuius festum est universalis ecclesiae ac proinde minus nobile), fiat *repositio,* et sic de aliis casibus, in quibus ponitur regula 7 vel 8.

Idem pariter dicendum de regula 5 in tabella concurrentiae, quae dicit: *Totum de nobiliori, commemoratio de alio.* Nobilius festum vel officium est illud, de quo supra iam diximus, excepta qualitate Proprietatis, quae in concurrentia non attenditur.

2. Festa duplicia 1. classis primaria universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet Festo, tam in occurrentia quam in concurrentia. Item Festa Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae, et Patroni loci, cedunt tantummodo praedictis Duplicibus 1. classis primariis universalis Ecclesiae (3).

(3) Uti probavimus in nostra Expositione Rubricarum Breviarii Romani (Vol. I, p. 58) tres habentur ordines festorum primae classis, scilicet festa universalis ecclesiae,

quae tamen sint primaria (et ideo excepto festo sacratissimi Cordis Iesu) pertinent ad primum ordinem, eo quod non cedunt locum ulli festo particularis ecclesiae. Ad secundum ordinem pertinent tria festa localia, nempe Dedicatio propriae ecclesiae, Titulus eiusdem, ac Patronus loci, quia huiusmodi festa non cedunt nisi festis praedictis primariis universalis ecclesiae. Ad tertium tandem ordinem pertinent quaecumque alia festa primae classis,

Hoc docet nova rubrica, quam hic exponimus, quod in antiquis rubricis explicite saltem non inveniebatur, sed tantummodo implicite id erui poterat: nunc vero explicite hoc loco optime declaratur.

Nunc autem advertendum est, quod inter festa secundi ordinis, probe adnumeranda sunt etiam Dedicatio et Titulus Cathedralis extra ipsam, nec non Patronus regni vel provinciae, et quoque titularis vel Fundator alicuius ordinis religiosi; licet enim in occurrentia Titularis propriae ecclesiae cum titulo Cathedralis; et Patroni oppidi, vel civitatis, cum patrono regni, ille praeferendus sit, nihilominus, ad eumdem ordinem secundum, omnia festa praedicta pertinent, sicut et ad primum ordinem pertinent s. Ioseph et Annuntiatio. licet aliquando aliis officiis Dominicae vel feriae maioris cedere locum debeant.

Continuabitur.

Appendix.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM

Conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis mense Augusto in honorem Immaculati Cordis B. M. V. peragendis.

Die 13 Martii 1913.

Quum pluribus in locis invaluerit iam usus dicandi mensem augustum honori et venerationi Immaculati Cordis B. M. V., eodem modo ac alii menses ipsimet colendae Deiparae consecrantur; ut in dies magis ac magis propagetur pius mos praedictus, ac fideles magis ad eandem devotionem alliciantur, enixe suppli catum est, ut omnibus fidelibus christianis, qui sive publice sive privatim singulis mensis augusti diebus aliquas preces fuderint, sive alia pietatis exercitia in honorem Immaculati Cordis B. M. V. peregerint, Sanctissimus Dominus noster aliquot Indulgentias concedere dignaretur. Sanctitas vero Sua, per facultates infrascripto Cardinali Supremae S. Congregationis S. Officii Secretario impertitas, benigne has preces suscepit, ac sequentes Indulgentias, defunctis quoque applicabiles, elargitus est: Indulgentiam trecentorum dierum, singulis praedicti mensis diebus, si corde saltem contriti christifideles, quae supra dicta sunt, pia opera exercuerint; Indulgentiam plenariam semel eo mense lucrandam, si praeterea ad Sacramenta Confessionis et SS. Eucharistiae devote accesserint, aliquam

Ecclesiam vel publicum Sacellum visitaverint, et ad mentem Summi Pontificis oraverint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† Dominicus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

DECRETUM

seu Declaratio circa formulam orationis *Obsecro te*, post Missam recitandae.

Ad Supremam S. Officii Congregationem dubium delatum est, an favores spirituales concessi per Decretum eiusdem S. Congregationis, die 29 Augusti 1912, recitantibus post Missae Sacrificium piam orationem *Obsecro te, dulcissime Domine Iesu,* integri permaneant, si, prout legitur quibusdam in editionibus iam vulgatis, ita amplificata proferatur: «... Mors tua sit mihi *vita indeficiensis, Crux tua sit mihi* gloria sempiterna... »

Et E.mi ac R.mi D.ni Cardinales Inquisitores Generales, in plenario coetu, feria IV die 26 Februarii 1913 habito, dixerunt: Affirmative.

Sequenti vero feria V, die 27, eodem mense eodemque anno, SS.mus D. N. D. Pius div. Providentia Pp. X, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, sententiam E.morum Patrum, suprema Sua auctoritate confirmavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Bibliographia.

I. B. M. Menghini - **Echo Liturgica seu Decreta SS. Rituum Congregationis** anno 1912 vulgata cum rerum indice ac notulis. — Volumen pag. 52, L. 0,60.

Necessitas curarum, quibus implexus Clerus fere universus ad multa in dies et varia trahitur, id efficit, ut nequeant plurimi, ita ad singula applicari, ut quae sunt propria cuiuslibet disciplinae apprime retineant. Hinc opus est mediis ad adiutorium opportunis. Haec inter, cum agitur de legibus, ordinata documentorum dispositio, eorumque summula.

In magno S. Liturgiae pelago id quam maxime necessarium est, et omnes huius scientiae cultores id experiendo didicimus.

Non solet S. R. C. nisi post plures annos suam authenticam Decretorum Collectionem ad diem proximum referre; hinc utilissimum fore duxit Auctor, si annuatim haec documenta colligerentur, atque ita perenniter sub oculis S. Liturgiae cultorum ponerentur, ac notulis quibusdam, quum oportere visum est, illustrarentur.

Alphabeticus index faciliorem reddit inquisitionem, pro cuiuslibet opportunitate.

Additur *Appendix*, ex aliis S. Sedis Documentis, cum SS. Ritibus connexionem habentibus.

Decreta porro anni 1912 nequent ab ullo ex Clero ignorari, quia plurima ad novum Psallendi ordinem referuntur.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

DELEGATIONIS APOSTOLICAE CANADENSIS.

Dubia de diebus in quibus institui potest consecratio Episcoporum.

R.mus D.nus Peregrinus Franciscus Stagni, ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, atque in ditionibus Canadae et Terraenovae Delegatus Apostolicus, sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit:

In hisce regionibus mos invaluit habendi consecrationes novorum Episcoporum aliqua die infra hebdomadam, potius quam die dominica, ea potissimum de causa invectus, ut ceteri Episcopi et praesertim clerus dioecesanus facilius atque maiori numero ad sacram celebrationem possint accedere. Iamvero, iuxta Pontificale Romanum, dies pro consecratione episcopali instituenda « debet esse Dominica, vel Natalitium Apostolorum, vel etiam festiva, si Summus Pontifex hoc specialiter indulserit ». Nonnulla autem dubia circa huius praescriptionis interpretationem nata sunt, quae pro opportuna solutione hic subiiciuntur, videlicet:

I. Quum Evangelistae in re liturgica Apostolis aequiparentur, quaeritur utrum consecratio episcopalis possit fieri diebus natalitiis S. Lucae et S. Marci?

II. Utrum fieri possit in festo S. Barnabae apostoli?

III. Utrum speciale indultum Summi Pontificis requiratur ad consecrationem episcopalem peragendam diebus festivis infra hebdomadam, *a*) qui adhuc sunt de praecepto et proinde Dominicis aequiparantur, *b*) vel etiam qui olim erant de praecepto, sive in festis suppressis?

Et sacra eadem Congregatio, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. et II. Negative.

Ad III. Affirmative ad utrumque.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 4 apr. 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praef.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

S. C. DE DISCIPL. SACRAMENTORUM

ROMANA et ALIARUM.

Dubiorum super Missae celebratione in Oratoriis privatis.

Postquam sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, Motu Proprio « *Supremi disciplinae* » de diebus festis, die 2 iulii 1911 dato, festos dies ex Ecclesiae praecepto servandos imminuit, et Sacra Rituum Congregatio Decretum Urbis et Orbis « *Evulgato Motu Proprio* » die 24 eiusdem mensis iulii edidit, sequentia dubia huic Sacrae Congregationi de Sacramentis proposita sunt:

I. An Missa in Oratoriis privatis prohibita sit diebus festis Commemorationis solemnis S. Ioseph, An-

nuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C. et in festo Patroni cuiusque loci, quum non sint de praecepto:

II. An prohibita censeatur in festo Ss.mae Trinitatis, in Dominica infra Octavam Corporis Christi et in Dominica qua celebratur Nativitas S. Ioannis Baptistae.

Quibus dubiis eminentissimi ac reverendissimi huius sacrae Congregationis Cardinales, in plenario coetu die 5 mensis aprilis 1913 habito, responderunt:

Negative ad utrumque.

Hanc vero responsionem Sanctitas Sua in audientia ab infrascripto Secretario, die 5 eiusdem mensis aprilis habita, ratam habere et confirmare dignata est.

Datum Romae, e Secretaria sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 11 aprilis 1913.

D. Card. FERRATA, *Praefectus*.

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secretarius*.

Assignatur modus, quo legitime Officium ac Missa in Festo Sanctissimi Sepulcri Domini nostri Iesu Christi extra Tempus Paschale agendo celebrentur.

BITURICEN.

Reverendissimus Dominus Aristides Bédu, Curatus decanus Novi Sancti Sepulcri in Dioecesi Bituricensi, a Sacra Rituum Congregatione, per Rescriptum diei 1 iulii anno 1910 editum, obtinuit pro die 15 iulii quotannis recitandum in sua Ecclesia Officium de Sancto Sepulcro Domini nostri Iesu Christi, uti idem Officium ponitur in Breviario Romano-Seraphico sub Dominica II post Pascha; nunc vero ipse Orator enixe iterum instat, ut obtentum Officium, quod in Breviario Romano-Seraphico uni tantum Tempori Paschali convenit,

ita rite aptetur, ut extra Tempus Paschale congrue valeat recitari.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita precibus respondendum censuit: « Sumantur ad Matutinum Festi Sancti Sepulcri omnes Antiphonae ex eodem Communi Dedicationis Ecclesiae, unde et Psalmi iam accipiuntur; Lectio autem IX sumatur ex aliis Appendicibus, ut infra; quod vero spectat cantum, sumatur cantus pro Fratribus Minoribus approbatus, et in additis Missae respondentis partibus serventur Decreta, quae approbationem et editionem Cantus Gregoriani moderantur ».

Lectio IX.

« Petrus igitur videns resurrectionem, quam Dei Filius praenuntiaverat, impletam, qui sollicitus venerat, securus abscessit. Maria tamen, resurrectionis ignara, non cessavit lacrimas fundere, nesciens hanc esse Dominici corporis gloriam, quam putabat iniuriam. Cuius inanes moerores Angelus magis prohibet, quam consolatur, ut Evangelista testatur. Mulier, inquit, quid ploras? Si spirituali prudentia intentionem divini sermonis intelligas, lacrimarum causam non tamquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolentis obiurgat. Mulier, inquit, quid ploras? Quum, vacuo monumento, non damno funeris, sed merito resurgentis, Iesu Christi corpus virtus sibi, non facinus vindicasset; culpat, eodem tempore a Maria lacrimas fundi, quo debuit gloriari » (1).

(Te Deum laudamus).

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 15 februarii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

(1) Cfr., praeter alias Appendices, « **Officia propria Ss. Patronum Poloniae et Succiae** », anno 1899 Ratisbonae edita, pag. 51*-61* Partis Vernae, ubi Officium cum Lectione IX superius exhibita reperitur appositum, cui sequens Rubrica praemittitur: « *Occurrente Festo potioris ritus, vel eiusdem sed primario, transferri potest in aliam* « diem liberam, sed nonultra Tempus Paschale, alias *omittitur*, (*S. R. C. 28 Sept. 1870 et 14 Aug. 1894*) ».

Adnotationes super relato Decreto.

I. — Decretum istud novissimum, ex ipsis Regestis Sacrae Rituum Congregationis exscriptum, merito apud hanc nostram Ephemeridem evulgandum esse censuimus; quoniam normam porrigit amplectendam, si Festum Sanctissimi Sepulcri nequeat intra Tempus Paschale celebrari, ac debeat idcirco ei sedes altera communi per annum tempore libera reperiri (1).

II. — Ac revera, ipsum Sanctissimi Sepulcri Festum, si perpetuo fuerit impeditum in Dominica II post Pascha, irrestrictum iugiter ad repositionem ius obtinet; uti scilicet Rubricae peculiares Breviarii Romano-Seraphici, sub num. 117, ita de omnibus ac singulis Festis Mobilibus, nullo penitus excepto, apertius indicant et ordinant: « Officia, quae mobilibus diebus, Dominicis nempe vel Feriis, sunt affixa... si in diebus iisdem perpetuo impediantur, transferri debent ». Immo, usque ad novissimas Rubricas anno 1911 editas, idem Festum ius quoque ad translationem irrestrictum legitime retinuit; quod nimirum ipsae Rubricae peculiares, sub num. 118, singulis quibusque Festis Mobilibus asservatum voluere: « Quae toti Ordini sine clausula " *ad libitum* ,, sunt concessa ». Festum vero Sanctissimi Sepulcri fuisse universo Fratrum Minorum Ordini sine huiusmodi clausula concessum, aperte ostenditur ex Indulto Sacrae Rituum Congregationis, quo Summus Pontifex Pius IX, die 29 mensis maii anno 1873, hisce annuit precibus, sibi a Reverendissimo Patre Ministro Generali totius Ordinis Minorum oblatis: « Ut amodo Kalendario Ordinis sui sub ritu duplici maiori inscribi valeat in Dominica II post Pascha Festum Sancti Sepulcri Domini nostri Iesu Christi cum Officio et Missa approbatis pro Conventibus Terrae Sanctae » (2). Nulla, ut cernitur, clausula « *ad libitum* » inserta in eodem Rescripto reperitur; nullumque proinde ad repositionem pariter ac translationem ius, si quando perpetuum vel accidentale occurreret impedimentum, Festo Sanctissimi Sepulcri abnegatur.

III. — Attamen, competens eidem Festo ius repositionis simul ac translationis suis hucusque limitibus circumscriptum fuerat, suamque

(1) Decretum vero novissimum, quamvis pro loco particulari editum, suis commentariis elucidatum apud « **Ephemerides Liturgicae** » voluimus, quae pro reliquis non paucis locis et Ordinibus inserviunt, in quibus idem Festum prout in Ordine Fratrum Minorum excultum scimus.

(2) Cfr. « **Officia novissima** », cura Patris Carmeli a Neapoli anno 1887 Neapoli edita, pag. 31.

ex allatis Rubricarum peculiarium locis efficaciam intra unicum Temporis Paschalis ambitum asservare poterat; quod tamen, non ex agnita Festi indole accidebat, sed e restricta potius ad Tempus Paschale Officii ac Missae qualitate in hanc usque diem resultabat. In ipso namque Officio, suum insuper Commune non habenti, secunda et tertia cuiusque Nocturni Antiphona deerat, atque Lectio IX extra Dominicam adhibenda nunc usque aberat; neque notum aut certum fuerat, utrum extra Tempus Paschale omittenda essent an servanda ubique « Alleluia », quae in omnibus Officii partibus reperiuntur inserta. In ipsa Missa pariter ambigi poterat, utrum necne retinenda essent in Introitu, Offertorio et Communione « Alleluia »; neque locus indicatus erat, e quo Graduale cum sequenti Versu inter tria « Alleluia » per annum, atque Tractus post Septuagesimam accipi legitime possent; neque ostensus modus fuerat, quo Praefatio extra Tempus Paschale aptanda esset.

IV. — Nil proinde mirum, si Sacra Rituum Congregatio, nolens interim Officium ac Missam de Sanctissimo Christi Domini Sepulcro ita congruenter aptare, ut possent communi per annum tempori etiam convenire; sub die 16 februarii 1906, in una « ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIAE APULIAE », ad X, resumptis anterioribus Decretis et Concessionibus ac Rubricis, et novam gratiam pro repositione ipsius Festi perpetua concessit, atque simul irrestrictum de cetero repositionis pariter ac translationis ius ad solos Temporis Paschalis terminos ita reduxit: « Si Festum Sanctissimi Sepulcri in Dominica II et IV post Pascha impediatur, iuxta Rubricam peculiarem Breviarii Romano-Seraphici, num. 118, **transferri debet, non tamen extra Tempus Paschale**; et quoties impedimentum fuerit perpetuum, idem Festum ex gratia fixe Dominica infra octavam Ascensionis celebretur » (1).

V. — Verum, eadem Sacra Rituum Congregatio, occasionem sumens ex dubiis propositis a Reverendissimo Rectore Ecclesiae Novi Sancti Sepulcri in Dioecesi Bituricensi exstantis, cui Festum nempe Sanctissimi Sepulcri pro die decima quinta mensis iulii concessum fuerat, et cum Officio quidem ac Missa propriis, quae sub Dominica II post Pascha inter Festa Mobilia reperiuntur in Breviario ac Missali Romano-Seraphico inserta, quotannis peragendum,

(1) Cfr. « **Ephemerides Liturgicae** », anno 1906, vol. XX, ac pag. 323-324, ubi Decretum ipsum exhibetur; quod tamen in vol. VI, « **Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum** », continenti, et anno 1912 in lucem prodeunti, insertum minime reperitur.

necessariis additamentis et correctionibus minime indicatis; opportunum tandem adesse censuit tempus, quo indicaretur modus legitimus recitandi Officii ac Missae celebrandae in eodem Sanctissimi Sepulcri Festo, si hoc debeat extra Tempus Paschale amandari. Nemo autem non videt, authenticam eiusmodi Officii ac Missae aptationem pro omnibus ac singulis inservire, qui Festum idem cum identicis alioquin textibus celebrandum obtinuerint; ideoque smodi Officii ac Missae extra Tempus Paschale legitima expletione, integrum Rubricis peculiaribus Breviarii Romano-Seraphici robur amodo restitui, quae Festum Sanctissimi Sepulcri sine temporis restrictione reponendum, sub num. 117-118, disponunt, quoties idem Festum perpetuo manserit impeditum. Immo, quum hodie cessaverit causa, ob quam Festum Sanctissimi Sepulcri permissum fuerat in Dominica IV post Pascha et in Dominica infra Octavam Ascensionis reponi, nempe arctitudo Temporis Paschalis repositioni eiusdem Festi hucusque idonea, in qua insuper una tantum dies 19 mensis aprilis reperitur, quae pro reponendis et transferendi iuxta Rubricas Duplicibus non classicis in Kalendario Seraphici Ordinis sit libera; idcirco suum omnino amisisse robur censemus Indulta Sacrae Rituum Congregationis, sub die 9 martii 1894 et 16 februarii 1906 edita, e quibus nempe Festum Sanctissimi Sepulcri, in casu perpetui obstaculi, valeat in Dominica IV post Pascha vel in Dominica infra Octavam Ascensionis reponi (1). Ac reapse, si Duplicia primae et secundae classis, etiam Domini, iuxta novissimas Rubricas, sub Tit. IV ac num. 2, reponi nequeunt in diem impeditam: « ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus », et inter dies Octavam generaliter excludentes computatur usque Dominica, uti, sub Tit. III ac num. 2, in ipsis Rubricis indicatur; abnorme utique foret, si Festum Sanctissimi Sepulcri, quod ritum duplicem maiorem non excedit, in posterum quoque reponi posset in Dominica, et eo vel magis, postquam idem Festum, ex novissimo Decreto, per totum annum rite celebrari valet cum Officio ac Missa etiam communi tempori convenienter aptatis.

VI. — Immo, quod in futura Breviarii ac Missalis Romano-Seraphici formatione agendum fore exoptatur, omnino conveniens videtur, ut nuc iam opportunum Sacrae Rituum Congregationis ex-

(1) Cfr. « **Acta Ordinis Fratrum Minorum** », anno 1894, vol. XIII, pag. 62-63; et anno 1906, vol. XXV, pag. 124-125. ubi duo reperiuntur Indulta, quae aliis etiam locis subinde sunt applicata.

petatur Indultum ab iis Provinciis et Conventibus Ordinis, ubi Festum nempe in Dominica II post Pascha perpetim fuerit impeditum; quatenus idem Sanctissimi Sepulcri Festum in die maxime propria, sive 15 iulii, fixe quotannis recolatur. In ipsa siquidem die Sanctissimum Domini Sepulcrum ex Infidelium potestate, ope Crucesignatorum Militum, anno 1099, redemptum fuisse dignoscitur; in eaque etiam die Festum Dedicationis Basilicae, quae Sanctissimum Domini Sepulcrum circumdat, celebratum olim esse rescitur. Ioannes enim Wirzburgensis, uti videre est apud Migne, PATROLOGIA LATINA, tom. CLV et col. 1088-1089, haec nobis testata reliquit anno circiter 1165, in opere DESCRIPTIO TERRAE SANCTAE, ubi de memorabilibus eiusdem Terrae Sanctae rebus verba facit: « Sequuntur adhuc alia circa Terram Sanctam scitu digniora, quae adhuc, velut ex abundanti, pio lectori communicamus. Sunt autem ista: IDIBUS IULII DEDICATIO ECCLESIAE SANCTI SEPULCRI. ITEM EADEM DIE CELEBRIS MEMORIA SANCTAE URBIS IERUSALEM A CHRISTIANIS RECUPERATAE, et ex potestate Paganorum ereptae. In huius rei memoriam eadem die celebratur Missa, ut sequitur: INTROITUS: *Laetare, Ierusalem* ». Nil proinde mirum, si Hierosolymis etiam nunc uno Festo Titulus et Dedicatio Basilicae Sanctissimi Sepulcri recolantur, etsi Festum in Dominica II post Pascha reperiatur affixum; ea nempe servata norma, quae apud Breviarium Romanum sub die 5 Augusti et 29 Septembris admissa conspicitur, et apud Breviarium Romano-Seraphicum sub die 2 Augusti in Ecclesiis sub titulo Sanctae Mariae Angelorum Deo dicatis communiter tenetur, ut duo Officia Tituli ac Dedicationis Ecclesiae simul in unum misceantur.

VII. — Ad maiorem novissimi Decreti intelligentiam, haec advertenda esse censemus, quae Officium ac Missam Sanctissimi Sepulcri extra Tempus Paschale spectant, sive spectare possunt. Et PRIMO quidem, circa Officium, haec adnotamus: — 1. — Ante Vesperas sequens apponi Rubrica potest: *Si hoc Festum extra Tempus Paschale celebretur, servatur in omnibus Officii partibus* Alleluia; *sed ad Matutinum omnes ac singulae Nocturnorum Antiphonae sumuntur e Communi Dedicationis Ecclesiae, unde iam Psalmi accipiuntur.* — 2. — Post Hymnum et ante Versum in I Vesperis, sequens inseri debet Rubrica: *Sic terminantur Hymni per omnes Horas.* — 3. — Ante Lectionem IX, quae etiam intra Tempus Paschale inservit, sequens praeponi valet Rubrica: *Si hoc Festum extra Dominicam celebretur, deficiente alia Lectione IX Officii utcumque Sim-*

plicis, erit sequens. Atque SECUNDO, circa Missam haec observamus: — 1. — Ante Introitum sequens opportuna videtur Rubrica: *Si hoc Festum extra Tempus Paschale celebretur, in Introitu, Offertorio et Communione, servatur* Alleluia: *quod tamen omittitur, si Missa Sanctissimi Sepulcri more tantum votivo per annum dicatur.* — 2. — Post Epistolam et ante duos pro Tempore Paschali Versus, debent apponi Graduale et Tractus, prouti ante novissimum Decretum pro illa Novi Sancti Sepulcri Ecclesia in Dioecesi Bituricensi novimus fuisse indicata, dum Missa et non Officium ipsius Sanctissimi Sepulcri integrum eidem Ecclesiae concessum foret (1); nempe:

Graduale. *Ps. 98, 5.* « Exaltate Dominum, Deum nostrum, et adorate scabellum eius: quoniam sanctum est. ℣. *Gen. 28, 17.* O quam metuendus est locus iste: vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta caeli.

Alleluia, alleluia. ℣. *Ps. 95, 8.* Tollite hostias, et introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius. Alleluia.

¶ *Post Septuagesimam, omissis* Alleluia *et* ℣. *sequenti, dicitur:*

Tractus. *Ps. 131, 7-14.* Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius. ℣. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae. ℣. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

¶ *Tempore Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:*

« Alleluia, alleluia »,

ut in Missali Romano-Seraphico apponuntur, in Dominica II post Pascha, inter Festa Mobilia. — 3. — Denique, quod etiam pro indicata superius Ecclesia statuebatur, in Missa Sanctissimi Sepulcri extra Tempus Paschale omittuntur verba « sed in hoc potissimum », quae in Praefatione intra Tempus Paschale adhibentur; ideoque sequens Rubrica, quae pro Missis votivis in Emmauntino Sanctuario celebrandis approbata fuit, inseri posset: « *Praefatio Paschalis; in eaque, extra Tempus Paschale, absolute dicitur:* omni tempore gloriosius praedicare » (2).

VIII. — In Officio quidem ac Missa Sanctissimi Sepulcri, quae in Breviario et in Missali Romano-Seraphico prostant, non pauca

---

(1) Cfr. « **Missale votivum Terrae Sanctae** », Hierosolymis anno 1898 editum, ubi Graduale huiusmodi et Tractus approbanda legitime proponebantur.

(2) Cfr. « **Missale votivum venerandi Emmauntini Sanctuarii** », die 16 decembris anno 1902 a Sacra Rituum Congregatione approbatum, et anno 1903 Ratisbonae editum, pag. 20*.

reperiuntur menda, sensim in successivis editionibus adaucta; quae interim hic in textu omittuntur, ut in nota fusius exponantur (1).

---

(1) Menda principaliora sunt sequentia. - 1. - In Hymno Vesperarum, secundus versus strophae secundae sic legendus est: « *Cisterna symbolum dedit* », non vero: « *Dedit cisterna symbolum* ». Et primus strophae tertiae versus: « *Hoc,* **quem** *fidelis fortium* », non autem: « *Hoc,* **quod** *fidelis fortium* ». In Hymno insuper Laudum, secundus versus strophae secundae sic legendus: « **Illam** *Propheta praecinit* », non vero: « **Illum** *Propheta praecinit* ». Atque ultimus penultimae strophae versus: « *Nos morte culpae* **liberans** », non autem: *Nos morte culpae libera* ». - 2. - In Lectione VI dicendum est: « *non sentiunt* **viae** *laborem* », nec ponendum: « **vitae** *laborem* ». Item: « *cum... Isaias tam aperte* **praedixerit** », nec ponendum « **praedixit** ». In Lectione VII legendum: « *quod perdiderit* **et** *defunctum... queritur corpus ablatu... r eliquit terrae* **mortis** *exsuvias* », neque legendum: « *perdiderit defunctum... quaeritur corpus... reliquis terrae exsuvias* ». - 3. - In Responsorio IV dicendum est: « *quae paraverant* », nec ponendum: « *paraverunt.* In Responsorio autem V sic legendum: *Quem quaeritis?* **An Iesum quaeritis?** *Iam surrexit* », nec ponendum: *Quem quaeritis? Iam surrexit* ». In responsio VI dicendum est, ut in Responsorio II Dominicae Resurrectionis: « **Cum transiret** *sabbatum...* **et** *Maria Iacobi* », nec ponendum: **Cum transiret** *sabbatum, Maria Magdalene, Maria Iacobi* ». - 4. - In Antiphona ad « Magnificat in II Vesperis dicendum est: « *sedentem* **in** *dextris* », nec ponendum: « **a** *dextris* ». - 5. - Denique Evangelium Missae sic inchoandum est, prouti iam incipitur in Lectione VII ad Matutinum: **In illo tempore:** *Una Sabbati* », non vero absolute inchoandum: « *Una Sabbati* ». Ac de cetero, in Sabbato et in Dominica in Albis, licet sequatur alia temporis indicatio, tamen praeponuntur verba: « *In illo tempore* ». - 6. - Haec porro menda, de quibus habenda est ratio in reformandis Propriis eisque ad Sacram Rituum Congregationem mittendis, socientur etiam pluribus violationibus normarum meliorum, quae in antiquis Officiis et Missis servatae sciuntur; nempe: *a*) Tres primae Antiphonae in Vesperis, Antiphona in III Nocturno, atque Antiphona prima necnon quarta et quinta in Laudibus, **directe** et **primario** dicuntur cum alienis omnino Psalmis, ac mimine cum iis Psalmis, unde ipsae sunt acceptae. - *b*) Lectiones III Nocturni sunt ex apocryphis S. Augustini sermonibus desumptae, Evangelium ab Officiis alienum, nempe Ioannis, cap. XX et vers. 1-13, interpretantur ac minime Evangelium Lucae, cap. XXIV et vers. 1-12, pro Festo selectum; et in Lectione IX illud offenditur, quod parum Evangelicae historiae consonat. Ibinamque Petrus ante Crucem seu Passionem Domini Resurrectionem scivisse asseritur, etsi Evangelistae Lucas, cap. XVII et versu 34, et Ioannes, cap. XX et versu 9, contrariam insinuare sententiam videantur. - *c*) Lectiones I Nocturni longius, quam par est excurrunt; et Lectio I sic dicere deberet: « *ignorantes* **Iesum** », prouti habet Epistola Missae, non vero ponere: **hunc** ignorantes. - *d*) Responsoria, quae ex aliis Officiis semper sunt accepta in pluribus differunt ab aliis Officiis unde ipsa sumuntur; quod inchoaerentiam ingerit, et difficultatem genuini cantus rite asservandi non parvam infert. - *e*) Capitula Sextae et Nonae ex Evangeliis efformantur; sicque norma violatur, quae Capitula, idest parvas Lectiones, ex Evangeliis, Psalmis et Canticis in Psalterio adhibitis, sumi nullatenus sinit. - *f*) Denique Psalmus post Introitum Missae, non a primis eiusdem verbis incipitur, sed a vocibus in versu 5 exstantibus exorditur.

Haec fusius adnotanda fuisse censuimus eo semper fine, quo melius lectores nostri oculis videant et manibus tangant, quanto studio quantoque labore sint examinanda Propria, ut expressae iam Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X menti ac voluntati, per Litteras Circulares Sacrae Rituum Congregationis die 15 Maii anno 1912 patefactae, ab omnibus occurratur, sicque Officium quodlibet et quaevis Missa ab omnibus mendis ex editorum saepius oscitantia provenientibus expurgetur.

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

in secunda Dominica post Pascha

(Continuatio, V. num. 5 currentis anni, pagg. 266-270).

§ 3°. — De huius stationis solemnitate.

Statio ex se, uti iam monuimus, semper solemnitatem liturgicam indicat (1), quamvis non semper parem; stationes enim aliae maiori, aliae minori celebrantur solemnitate. Ea, de qua loquimur, praeter intrinsecam solemnitatem ei obvenientem ex die, quae est Dominica, et ex loco, qui est Basilica Principis Apostolorum, aliis quoque solemnitatis notis decorata fuit.

1.° — Inter stationes *maiores*, seu inter eas quae maiore solemnitate in Basilica Vaticana celebrabantur, collocata fuit.

Ad calcem codicis ms. Bibliothecae Vaticanae cui titulus: « Constitutiones Bibliothecae Vat. », dies assignantur, quibus « Canonici Basilicae Principis Apostolorum de Urbe ante integralem divisionem oblationum maioris altaris ipsius Basilicae, de ipsis oblationibus percipere consueverunt, et usque ad ista tempora perceperunt a tempore cuius contrarii memoria non extat » : hi autem dies ita indicantur: « In primis XII stationibus *maioribus* praemissae Basilicae, videlicet: In Epiphania Domini, etc. » sexto autem loco ponitur:

(1) Egregie Cl. Cabrol de stationis die affirmat: « Le jour de station est donc par excellence un jour de fête liturgique » *Cours et Conferences de la Semaine Liturgique De Maredsous,* 19-24, Août 1912 Maredsous 1913, pag. 82. Vid. pag. 120 copiosam de stationibus *Bibliographiam*.

« Dominica de *Pastor Bonus* » (1) Haec igitur statio inter *maiores* recensebatur.

Veteres tabulae stationum et festivitatum in Basilica Vaticana, quae aliqua ratione solemnius celebrandae erant, hanc quoque stationem seu festivitatem continent. Hae tabulae a Canonicis Benedicto et Petro Mallio, ab Albino Cardinali, a Cencio Sabellio Camerario (2) exscriptae, antiquas Ecclesiae Romanae consuetudines referunt, et sunt ipsis Scriptoribus, ut facile intelligitur, multo antiquiores. In his itaque tabulis haec statio:

2.° — Inter eas collocatur, « in quibus lectorium (3) eiusdem Basilicae de consuetudine ornatur mappula et facula librarum duarum a confessione traditis » (4). — Quamvis haec oculis nostris res videatur non magni momenti, tamen ex ratione qua enunciatur, colligitur de re agi magni facienda; ita enim caput, quod inscribitur: *Quando lectorium Beati Petri ornatur* (5), incipit: « In memoriam posterorum scribimus nos Canonici Basilicae Sancti Petri, in quibus noctibus lectorium eiusdem Basilicae ornatur mappula et facula librarum duarum » (6). Ex festivitatibus, quae inde recensentur argui licet de signo agi magnae festivitatis;

(1) Cod. Barb. 2303, fol. 63. — Verba adducta partem constituunt declarationis, quae exorditur: « In nomine Domini. Amen ». Praemittitur indicatio: « Infrascripta ex libro Petri Mallii Canonici Basilicae et ex libro Bullarum Basilicae fol. 80 ». Haec aliena manu notantur. — In primo Codicis folio ad calcem notula dicit: « Iacobus Herculanus Canonicus S. E., Tiberius Alpharanus eius Alumnus scripsit 1558 ». Hic etiam fuit eiusdem Basilicae clericus beneficiatus.

(2) Videsis citationes quas superius dedimus, pag. 266 nota. 3.

(3) Per *lectorium* intelligitur *Ambo*, seu *pulpitum* in quo legitur in Ecclesia. Cf. Du Cange *Glossarium* V. *Lectorium*.

(4) Migne, P. L. LXXVIII, 1058. Mabillonius *Musaeum Italicum*. Parisiis T. II, pag. 159.

(5) Mabillonius ponit: *ornabatur*; Parisiis, pag. 159; ponit: *Ornabatur* sed mss. et Duchesne, *Le Liber Censuum*, T. II. pag. 90, ponunt: *ornatur*.

(6) Mabillonius, *Musaeum Ital.* Parisiis T. II, pag. 159. — Migne P. L. LXXVIII, 1058.

enumerantur enim inter hos dies, Nativitas, Epiphania, Pascha, Pentecostes, Natalis SS. Petri et Pauli, etc., etc. (1).

3.° — Inter eas festivitates enumeratur « in quibus Dominus Papa *debet coronari* » (2) — Per verbum: *Coronari* significatur *corona ornari*, quae corona vocabatur quoque *regnum* (3), *thiara, triregnum* (4). Cuique autem manifestum est hoc ornamento Pontifices uti tantummodo in solemnioribus festivitatibus. In quodam Caeremoniali Romano, exscripto ex alio Caeremoniali, ab Episcopo Corcyrensi confecto, de usu coronae seu thiarae vel triregni traditur: « Hac thiara utitur Romanus Pontifex in maximis solemnitatibus eundo ad Ecclesiam et redeundo... Antiquitus... Romanus Pontifex diebus solemnibus thiaram hanc ferebat » (5). Erat igitur haec Dominica in Ecclesia Romana *dies solemnis* et *maximae solemnitatis.*

4.° — Inter dies et solemnitates quoque ponitur « in quibus consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia in persona celebrare ». Plura enim Caeremonialia sub rubrica: « In diebus et solemnitatibus infra positis consueverunt Romani Pontifices Missarum solemnia celebrare in propria persona, sed praedicare consueverunt in iisdem diebus et solemnitatibus in propria persona » etc.; diem de quo loquimur recensent, et ita enunciant: In Dominica qua cantatur: *Ego sum Pastor bonus; et praedicatur* (6).

---

(1) Non omnes codices eundem dierum numerum habent, Dominica tamen *Boni Pastoris* numquam deest.

(2) Plura Manuscripta et Duchesne ponunt: *Debet coronari*. (In edit. Mabillonii l. c. pag. 158. Migne, L. c. 1057, legitur: *solebat coronari*. Quae mutatio, sicut antecedens, iure supponitur a transcriptore factam, eo quod suo tempore ea amplius fieri non consuevisset.

(3) Cf. Mabillonius, l. c. pagg. 258, 340, 454, etc.

(4) De his luculenter Moroni, *Dizionario di erudizione ecclesiastica* ad verbum *Triregno*, et in locis ibi citatis. Cf. etiam Giorgi. *De Liturgia Romani Pontificis*, T. I, pag. 230 et ss. ac 240 et ss.

(5) Archiv. Basilicae Vat. Ms. A, 49. — Notulam refert his verbis expressam: *Creditur confectum de anno 1450.*

(6) Mabillonius, l. c. pag. 379. — Migne P. L. LXXVIII, 1222. — Gatticus *Acta selecta Caeremonialia S. R. E.* Romae 1753, pag. 86. —

Haec solemnitatis nota, qua scilicet Summum Pontificem per se sacra mysteria operari indicatur est maximum festivitatis decus, et tenendum stationem, de qua loquimur, a S. Gregorio M. usque ad exitum saeculi XIII fuisse hoc decore ornatam.

Liceat nobis in hac solemnitatis nota historice consideranda aliquantulum immorari.

Ioannes Diaconus, praefati Sancti Gregorii M. biographus rationem quam servabat S. Pontifex in celebrandis stationibus ita describit: « Sequebatur exercitus Domini ultra citraque Gregorium praeeuntem, et auditurae verbum doctrinae innumerabiles undique diversi sexus, aetatis ac professionis, voluntariae confluebant cohortes, quibus ille, utpote doctor caelestis militiae, cunctis dumtaxat arma spiritualia suggerebat, pauperibus vero et advenis, qui pro conditione temporum Romam influxerant quotidiana stipendia ministrabat » (1).

Haec, de stationum celebratione generatim dicta, ad huius quoque nostrae stationis celebrationem referenda esse iusta et rationabilis praesumptio suadet, eo magis quod eo tempore fere omnes stationes dominicales uti *papales* habebantur (2).

Praecitatus Ioannes Diaconus testatur quod *hactenus*, id est ad sua usque tempora, stationes, quas sanctus Gregorius *sollicite ordinavit, plebs Romana, quasi eo vivente certatim discurrit* (3), et iure praesumitur etiam Summos

---

Diximus: *plura Caeremonialia*, quia praeter illud quod edidit Mabillonius, et *Ordo Romanus XIV* denominatur, alia secum invicem contulit, ad unum redegit et edidit Gatticus sub titulo *Acta selecta*, modo citata, et nos ipsi quinque exemplaria horum Caeremonialium mss. in Bibliotheca Vaticana vidimus sub indicatione Vat. 4731, 4732, 4733, 4734, 4770.

(1) IOANNES DIACONUS, *Vita S. Gregorii M.* Lib. II, n. 19. Migne LXXV, 94. — Quanti meriti essent hae sancti Pontificis stationum frequentes celebrationes, ostendunt miracula, quae idem Ioannes Diaconus narrat harum occasione patrata. Cf. l. c. nn. 41, 42, 43.

(2) Cf. ORDO ROMANUS *XIV*. cap. 98. Migne P. L. 1222.

(3) IOANNES DIACONUS, l. c. n. 18. Migne l. c. col. 94.

Pontifices illius temporis sancti Praedecessoris vestigia secutos fuisse.

Procul dubio hac in re Sanctum Gregorium secuti sunt Innocentius III et Honorius III, quorum extant homiliae, durante statione, ad populum habitae. Innocentius III sermonem hisce praeclarissimis verbis claudit: « Oves meas pascendas Dominus Petro commisit vocabulo tertio repetito, quem pastorem sibi substituit, et ob hoc hodierna statio in eius basilica celebratur, ad laudem et gloriam summi Pastoris Ecclesiae Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in saecula saeculorum. Amen (1) ».

Quamvis in sermone ab Honorio III hac Dominica habito, nulla extet de statione memoria, ex verbis tamen, quibus dicendi finem facit, arguitur ad Cardinales etiam allocutum fuisse, qui praesentes esse nequibant nisi ob stationis celebrationem (2). En itaque Pontificis verba: « Vos ergo, *Fratres,* non quae vestra sunt, idest utilitatem temporalem, sicut mercenarius et qui non est Pastor, sed quae Iesu Christi sunt, idest salutem animarum cum Bono Pastore quaerentes, sic vigiletis super grege vobis commisso, ut cum eo ad pascua aeternae patriae pervenire possitis. Quam nobis et vobis donare dignetur ipse Iesus Christus, qui est Deus benedictus in saecula » (3). In hac admonitione Honorius, iuxta veterem Romanorum Pontificum morem, Cardinales vocat *Fratres* (4), quo nomine nunc quoque in actibus solemnibus a Summo Pontifice appellantur (5).

Haec omnia apprime congruunt illius temporis disciplinae celebrandae stationis: nam praefati Pontifices Inno-

(1) Migne, P. L. CCXVI, 410.

(2) Ex Ordine Romano XIV colligimus, Cardinalium praesentiam locum habere non potuisse hac die, ob consistorii convocationem; nam inter dies quibus consueverunt Romani Pontifices a consistoriis abstinere, quaelibet dies Dominica imprimis enumeratur, his verbis: « Imprimis sciendum est, quod nullo die Dominico per totum annum fit sistorium ». Migne P. L. LXXVIII, 1226.

(3) Migne continuatio. — Honorius III. *Opera Omnia*, T. I. col. 925.

(4) Cf. Du Cange *Glossarium* V. *Fratres*.

(5) Sed cf. *Act. Ap. Sedis* vol. IV. pag. 169.

centius III et Honorius III ac insuper Alexander IV in Bullis quibus stationem ad Hospitale S. Spiritus in Saxia vel instituerunt, vel confirmaverunt inter alias decreverunt etiam: « Debet huic stationi Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus interesse, ut et Missarum solemnia ibi celebret et exhortatorium faciat de hac celebritate sermonem » (1). Hanc disciplinam potiori ratione observatam tenendum est in antiquioribus venerabilioribusque stationibus celebrandis, potissimum in Basilica Principis Apostolorum.

Solemnitatem continuatam fuisse usque ad Ioannem XX vel XXI et Nicolaum III ex eo habetur, quod hi Pontifices hanc Dominicam, in qua cantatur: « *Ego sum Pastor bonus* » inter eas recensent festivitates, in quibus solitis distributionibus quae Canonicis Basilicae Vaticanae dantur *additio fieri debet* (2).

5.° — Alia huius Dominicae solemnitatis nota colligitur ex modo, quo in superius (3) citato Responsoriali et Antiphonario S. R. E. primae Vesperae indicantur et ordinantur. En itaque de his rubrica: « *Sabbato de* Pastor Bonus *cantantur quinque Psalmi festivi cum quinque Alleluia de Pascha.* Laudate Dominum omnes gentes *est quintus Psalmus* » etc. (4). Primo intuitu et etiam sola ratione spectata qua Sabbatum indicatur, statim deprehenditur agi de peculiari festivitate; quod adhuc magis clarescit si inter se comparentur, ratio qua ordinantur Vesperae solemniores v. g. in Sabbato Pentecostes, in Vigilia Nativitatis, Epiphaniae (5) etc., et ratio, qua ordinantur Vesperae fe-

(1) Trium praedictorum Pontificum Bullae extant in Bullario Basilicae Vaticanae, T. I, pag. 89, 110 et 132: exordiuntur: *Ad commemorandas nuptias salutares,* in iisque illi Pontifices scribunt: « Monemus et obsecramus successores nostros per Christum Iesum, qui venturus est iudicare vivos et mortuos, ut hanc institutionem, quae de pietatis fonte noscitur processisse, faciant inviolabiliter observari ».

(2) Cf. Bullarium Basilicae Vat. T. I, pag. 165 et 187.

(3) Anno curr. pag. 217.

(4) TOMASI - VEZZOSI T. IV, pag. 100.

(5) TOMASI - VEZZOSI l. c. pag. 37, 47, 112.

riales (1). Comparatio inter utramque rationem, plenissime ostendit hic agi de Vesperis festivis et solemnibus.

6°. — Ex hucusque descripta solemnitate, alia deinde profluxit solemnitas, synodorum nempe celebratio. Haec enim Dominica, quae tota est de Bono Pastore, ut tempus spectabatur magis consentaneum ad animarum pastoribus propria officia proponenda et inculcanda (2). Quapropter Sicardus Cremonensis Episcopus in suo *Mitrali,* seu *De officiis Ecclesiasticis Summa,* scribit de hac Dominica: « In hac Dominica celebrantur Concilia, in quibus est forma quam sequi debeant animarum pastoribus proponenda » (3); et Durandus in exponendis huius Dominicae officiis, scribit: « Et quia Petrus loquitur ad Pastores in Epistola: *Christus passus est pro nobis,* etc., ideo nunc fiunt synodi » (4). Notis musicis enunciabatur ad Martyrologii lectionem hac formula: *Dominica secunda post Pascha... Diocesana synodus habebitur* (5). In initiali sessione legebatur Evangelium Dominicae *Ego sum Pastor bonus* (6), et super hoc Evangelium sermo habebatur ad Synodum (7). Et Benedictus XIV refert, quod in nonnullis Dioecesibus designati erant inter dies quibus praedictae Synodi haberentur: « feria tertia et quarta illus hebdomadae post Pascha in qua cantatur: *Ego sum Pastor bonus;* quos quidem dies antiqua suae Ecclesiae statuta renovando, iterum synodis perpetuo destinavit

(1) Tomasi - Vezzosi l. c. pag. 17.

(2) Cf. inter ceteros Rupertus Abb. Tuitiens. *De Divinis officiis* l. IX, c. 1. Migne P. L. CLXX, 239.

(3) Sicardus Cremonensis Episcopus, *Mitrale,* seu *de officiis Eccles.* l. VII, c. II, Migne P. L. CCXIII, 363.

(4) Durandus *Rationale* etc. l. c.

(5) Cabrol, *Dictionnaire d'Archéol. Chrét. et de Liturg. V. Annonces des fêtes,* Vol. II, col. 2238.

(6) Cf. Bouix, *De Concilio,* Part. V, *Cérémonial* §§. III et IV. — Chevalier, *Bibliotheque Liturg.* Paris 1910 T. XIV, pag. 97-98.

(7) Huiusmodi sermonum exempla extant: Migne P. L. CLXXXIV, 1026, inter sermones Sancto Bernardo adscriptos. — S. Bernardini *Opera Omnia.* Lugduni 1650, Tom. IV, pag. 153. — Mansi, Supplementum ad Concilia a Labbé edita Lucae 1749, T. III, pag. 785.

Hugo Episcopus Biterrensis anno 1368; ... iisdemque fere diebus Synodus singulis annis habendas decrevit Raymundus Episcopus Ruthenensis » (1).

Concilium quoque Tridentinum pro Provincialibus Synodis coadunandis, tempus veluti magis congruum, indicavit quod venit: *post Octavam Paschae Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi* (2), tempus nempe quod Dominicam, secundam post Pascha circumstat.

Habuit, igitur haec Dominica propriam liturgicam dignitatem, eminentiorem locum inter ordinarias Dominicas certo per plura saecula tenuit, et singularibus solemnitatis notis diu in Romana liturgia fulsit.

---

(1) Benedictus XIV. *De Synodo Dioecesana* L. I, Cap. VI, n. II.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIV, *De Reform.* Cap. II.

Varia de re liturgica.

De reformatione Kalendarii Gregoriani

(Continuatio V. n. 5 currentis annis pagg. 295-301).

III. Animadversiones super propositam Kalendarii Gregoriani reformationem.

Postquam propositam Kalendarii Gregoriani reformationem ex parte omnino œconomica et materiali seu sub respectu civili consideraverimus, eam in praesenti penitius examinare proponimus ex parte ecclesiastica et liturgica, seu in medium afferre volumus quidquid iuxta opinionem nostram dicta reformatio sub respectu ecclesiastico et liturgico in suum favorem vel in suum detrimentum habeat.

Ea autem quae dictae reformationi contraria vel faventia invenimus, ad sequentia puncta reducimus:

1° Ex supradictis satis patet in Kalendario Gregoriano annum communem eodem modo divisum esse ac in nova eius reformatione, scilicet in 12 menses, 52 hebdomadas et unum diem, et in 365 dies; annum autem bissextum, etiam in annis centesimis, eodem modo habere dies 366.

Differentia autem inter utrumque Kalendarium in sequentibus tantummodo existit:

a) dies mensium aliter dispositi sunt: in Kalendario Gregoriano in anno communi sunt 7 menses dierum 31, 4 menses dierum 30 et unus mensis dierum 28. In novo vero Kalendario proposito 8 menses habent 30 dies et 4 menses dies 31, et additur in anno communi unus dies sine dato ad complendum dies 365, et in anno bissexto adduntur duo dies extra cursum hebdomadis seu sine dato ad complendum dies 366.

b) Secunda differentia est sequens: in antiquo Kalendario magna habetur mobilitas festorum principalium, quae mobilitas in novo Kalendario omnino ablata seu abolita est.

Revera iuxta antiquum Kalendarium festa mobilia seu dies principales mobiles inter sequentem terminum occurrere possunt:

1° Septuagesima	a die	18 Ian.	inclus.	usque ad	21 Febr.	inclus.;
2° Dies Cinerum	» »	4 Febr.	»	» »	10 Mart.	»
3° Pascha	» »	22 Mart.	»	» »	25 Apr.	»
4° Ascensio	» »	30 Apr.	»	» »	3 Iunii	»
5° Pentecostes	» »	10 Maii	»	» »	13 Iunii	»
6° Corpus Christi	» »	21 Maii	»	» »	24 Iunii	»

Et ita de reliquis diebus et festis mobilibus quae a solemnitate Paschatis dependent.

In Kalendario autem novo, si iuxta eius votum solemnitas Paschatis fixe assignetur in die 7 Aprilis, praedicti dies et festa mobilia fixe occurrunt in sequentibus diebus:

1° Septuagesima	in die	12 Februarii;
2° Dies Cinerum	» »	29 Februarii;
3° Pascha	» »	7 Aprilis;
4° Ascensio	» »	16 Maii;
5° Pentecostes	» »	26 Maii;
6° Corp. Christi	» »	7 Iunii.

Dominicae post Epiphaniam semper erunt 4, et Dominicae post Pentecosten 26, ac Dominica I Adventus semper incidet in 3 Decembris.

2° Si Kalendarium novum adoptetur, plura emolumenta et commoda orientur non solum pro Ecclesia universa, sed etiam pro qualibet Ecclesia particulari. Adoptato enim proposito Kalendario facile erit componere *Kalendarium perpetuum immobile*, tum pro Ecclesia universali quum pro qualibet Ecclesia particulari. In eo omnia Festa et Dominicae diem fixum mensis habebunt; omnes variationes annuales ipso facto cessabunt; diversi casus occurrentiae, concurren-

tiae et translationum, quolibet anno supervenientes, e medio tollentur; Breviaria, Diurnalia et Missalia semel impressa sine reformatione adhiberi poterunt, inserendo solummodo in Appendice variationes quae ex adoptione novorum Sanctorum postea supervenient.

Ex eadem adoptione novi Kalendarii orientur magna simplificatio et facilitas pro intelligentia Rubricarum et innumerabilium S. R. C. Decretorum; item permagna parsimonia et emolumentum temporis et pecuniae pro Clero universo, tum in incumbendo studio scientiae S. Liturgiae, tum in procurandis libris liturgicis, tum in conficiendis et comparandis Kalendariis annualibus, etc. etc.

3° In praesenti parum penitius examinemus, an et in quantum illa differentia novi propositi Kalendarii ab Ecclesia acceptari possit:

a) quoad fixitatem solemnitatis Paschatis in die 7 Aprilis. — Sciendum est quod in Concilio Romano sub Victore Pp. I sic habeatur statutum: « Decretum est Pascha non decima quarta luna primi mensis (*i. e. Martii*), sed potius die Dominico pôst decimam quartam lunam, et vernale Aequinoctium occurrente, prout ab Apostolis traditum est, celebrandum est » (Cf. Ferrar., v. *Pascha*, n. 3). Hinc Gavant. (tom. II, P. I, Sect. II, C. IV) ait: « Pascha celebrari debet in die Dominico, qui proxime succedit decimae quartae lunae primi mensis, id est Martii; ita tamen, ut si decima quarta luna cadit in Dominicum diem, Pascha nostrum celebretur in sequenti Dominico die, ne conveniamus cum Hebraeis » (1).

Deinde Victoris I Decretum a Nicaena Synodo confirmatum est, et Quartadecimanorum error, universi Orbis auctoritate, convulsus. Tres erant rationes, quae causam edendi Decreti praebuerunt Victori: 1ª, ne communicaremus cum

(1) Apud Hebraeos is vocatur primus mensis cuius XIV luna vel cadit in diem verni Aequinoctii (i. e. 21 Martii) vel propius ipsum sequitur. Hinc dies primus huius lunae cadere potest inter diem 8 Martii inclusive et 5 Aprilis inclusive (Cf. Brev. Rom. *de Festis mobilibus*).

Iudaeis Christi interfectoribus; — 2ª, ut in tota Ecclesia esset una celebrandi Paschatis ratio, et pauci Orientales Iudaizantes, omnibus Occidentalibus pluribusque Orientalibus aliter sententibus cederent; — 3ª, quia Orientales aliter facientes quandoque uno anno bis, quandoque numquam Pascha celebrarent (Cf. Merat. in Gavant., tom. II, P. I, Sect. II, C. IV, n. 1).

Iuxta praedicta itaque ab Ecclesia Catholica praeceptum est, prout ab Apostolis traditum est, ne celebremus Pascha eadem die ac Iudaei, i. e. die XIV lunæ Martii, sed potius die Dominico post XIV lunam et vernale Aequinoctium occurrente.

Hinc, si solemnitas Paschae in die 7 Aprilis fixe assignaretur, statuendum esset (ut similiter statutum est in Kalendario actuali), quodsi XIV luna cadat in 7 Aprilis (quod tamen rarissime erit), Pascha nostrum celebrandum sit in sequenti die Dominico (i. e. in 14 Aprilis), ne conveniamus cum Hebraeis.

Insuper cum in solemnitate Paschatis praesertim recolatur Resurrectio et non anniversarium mortis D. N. I. C., ideo congruum est ut solemnitas Paschatis post diem 25 Martii, quo die passio et mors D. N. I. C. iuxta auctores locum habuerunt, assignetur, quod fiet, si in die 7 Aprilis illam solemnitatem celebremus.

R.mus Abbas Ferdinandus Cabrol, in articulo in pluribus periodicis publicato, etiam vult ut Pascha sit conservatum in die Dominica. Traditio Paschatis Dominicalis (ipse addit) praevaluit a saeculo II-III in Ecclesia uti traditio Ss. Apostolorum Petri et Pauli contra systemata Asiatica, iuxta quae Pascha celebrabatur in quolibet die hebdomadis. Est itaque impossibile renuntiare huic traditioni. Et cum Pascha celebrari nequeat in die anniversario mortis I. C., ideo ipse suggerit ut Pascha assignetur in Dominica sequenti post 25 Martii.

b) Quoad dispositionem diversam dierum mensium in novo Kalendario, nulla difficultas iuxta me existit. — *Quoad*

additionem autem unius diei in fine anni extra cursum hebdomadae et quoad additionem alterius similis diei in fine mensis Iunii pro anno bissexto, mihi videtur eiusmodi dispositionem a S. Sede admitti non posse, *nisi ille dies addititius sit festivus,* seu sub praecepto recolatur. Tunc enim, sive in fine mensis Decembris sive in fine Iunii, semper habetur una hebdomada constans 8 diebus. Porro, nonne in S. Scriptura legatur *Septem diebus constare hebdomadam?* In libro Exodi, Cap. XX, a v. 8, sic proponitur tertium Decalogi praeceptum: « *Memento, ut diem Sabbati sanctifices: sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est* ». Et iterum, C. XXXI, v. 15: « *Sex diebus facietis opus: in die septimo Sabbatum est, et requies sancta Domino* ». « *Sex enim diebus fecit Dominus coelum, et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo* » (Exod. c. XX, v. 11). Quibus locis et aliis similibus sermo est de hebdomada septem dierum, quorum primi sex liberi relinquebantur populo hebraeo ad laborandum, septimo autem die, qui dicitur Sabbatum, interdicebatur labor. — Nomine autem septimi diei ad quietem deputati in veteri Testamento venit Sabbatum, in novo vero Testamento, Dominica.

Prima autem et principalis ratio, propter quam in lege nova dies Dominica divino cultui specialiter destinatur et ut festiva servatur, ea est, quia sicut in lege veteri Sabbatum sive septimus ab initio creationis dies colebatur quierscendo et cessando ab omni labore, eo quod in eo cessaverit Dominus et requieverit ab omni opere suo quod patrarat; ita similiter in lege nova congruentissime Dominica sive prima creationis dies colitur quiescendo seu a servili labore cessando; quia videlicet hac die Dominus requievit ab excellentiore opere, quod patrarat, redemptionis et reformationis mundi sive omnium hominum.

Rursus, si in lege scripta Sabbatum colebatur ad creationis beneficium recolendum; congruentissime in lege gratiae, abolito Sabbato, dies fuit constituta Dominica, ad recolendum beneficium tum ipsius creationis, tum maxime

redemptionis et restaurationis humanae substantiae, quae per peccatum fuerat penitus depravata (Cf. Tetamum, *Diar. Liturg.* etc., tr. I, l. II, P. II, c. 1, n. 8).

Cum igitur unicus hebdomadae dies ex septem ad specialem cultum Dei sit designatus, qui in lege veteri erat septimus, et in lege gratiae primus dies seu Dominica, quaestio magna in praesenti est, an praeceptum Dominicae, seu cessatio ab omni labore post sex dies, sit *de iure divino?*

Ad hanc quaestionem Tetamus (l. c. nn. 11 et 12) ita respondet: « Etsi aliqui id affirmant, supponentes, ut videntur, esse de iure divino, Deo colendo dedicare septimum quemque diem, seu diem sequentem post sex dies laboris, et determinationem ad talem diem seu mutationem Sabbati in Dominicam esse ex institutione divina in lege nova: hoc tamen non probatur ex ullis testimoniis Scripturarum, nec ex Traditione; unde nec verum censendum est, inquit Suarez (tom. I de Relig., tr. 2, c. 4, n. 8), quia est contra regulam generalem, quod in lege nova non sunt data specialia praecepta divina de his accidentalibus observantiis, sed tantum de substantialibus, quae sunt fides, sacramenta et sacrificium. Reliqua enim dispositioni Pastorum Ecclesiae relicta sunt ».

« Dicendum est itaque tantum ex praecepto Ecclesiae retentam esse determinationem septimae diei ad divinum cultum, seu diei sequentis post sex dies laboris, ut olim erat in lege veteri, et eodem iure mutatam esse a Sabbato in Dominicam; ita Suar. (loc. cit.) et Navar. (in Man. c., 13, n. 1), qui etiam laudat pro hac sententia D. Thomam, multosque alios Doctores, et quidem Io. Maldonatus (Comment. in Ioan. c. 20, v. 26) appellat hanc sententiam veram (ut etiam indicat Suarez supra), atque testatur illam esse fere communem Theologorum omnium. Legi etiam potest Fagund. in I praecept. Eccl. l. 1, c. 2, a n. 3; Azor. Institut. Moral. P. 2, l. 1, c. 2, q. 2 ».

Addit tamen idem laudatus auctor (l. c., n. 13): « Simpliciter loquendo et quasi de potentia absoluta Ecclesiae

seu Pontificum, praeceptum Dominicae mutabile est; tamen practice ac moraliter dici potest aliquo modo immutabile, licet ecclesiasticum sit et non divinum. Enim vero quaedam sunt Ecclesiastica praecepta, tam propinqua et tam similia divinis institutionibus, tamque conformia legi naturali et tot rationibus honestatis ac religionis munita, et tam vetusta ac universali consuetudine firmata, ut simpliciter loquendo secundum ordinariam potentiam abrogari et omnino tolli non possint, quamvis in particulari possint dispensari. Et per hoc posterius satis ostenditur, non esse de iure divino».

Ex praedictis itaque satis liquet, quamvis sit de absoluta Ecclesiæ potentia mutare praeceptum Dominicae, ita ut ipsa determinare posset, loco diei septimi post sex dies laboris, semel in anno communi et bis in anno bissexto, post septem dies laboris octavum diem Deo colendo dedicandum esse; practice tamen et moraliter loquendo dicendum est hoc non esse de potentia Ecclesiae ordinaria, licet ipsa in casu particulari in eo praecepto dispensare possit.

Sed, si modo praedicto Ecclesia praeceptum Dominicae mutare nequeat; nonne alio modo Ecclesia supramemoratam Kalendarii reformationem admittere posset, ex. gr. praescribendo ut ille dies in anno communi adiungendus, et duo dies in anno bissexto, qui extra cursum hebdomadae intercalandi sunt, semper *sub duplici praecepto* servandi essent? Iuxta me, certe Ecclesia catholica hoc praecipere potest (quum in anno plures dies festivi intra hebdomadae spatium occurrant), et cum hac conditione ipsa dictam Kalendarii reformationem admittere valet. In periodico « *Rassegna Gregoriana* » eadem sententia exhibetur, nam mense Decembri 1911, p. 435, ubi agitur de reformatione Kalendarii et de solemnitate Paschatis, haec habentur: « A questo scopo si è ventilato il progetto di rendere il primo giorno dell'anno isolato e *festivo*, in modo che non entri nel calcalo di nessuna settimana e di nessun mese; sarà semplicemente: *il primo giorno dell'anno*. L'anno sarebbe quindi composto di 364 giorni, e nell'anno bisestile si inserirebbe il giorno

supplementare, che sarebbe pur esso isolato e *festivo*, tra il 31 Luglio e il 1° agosto. In questo modo, si dice, sarebbe agevole alla Chiesa di fissare la data della solennità di Pasqua in una delle prime domeniche di aprile...»

In conclusione hoc adiungere desidero:

Nonne melius et magis simplex esset, adoptando praedictam Kalendarii reformationem, ut in anno communi seu potius quolibet anno Festum Nativitatis Domini per duplicem diem sub dato 25 Decembris sub praecepto servaretur, necnon Festum Paschatis die 7 Aprilis per duplicem diem sub praecepto annue celebraretur, ita tamen ut in anno bissexto ille duplex dies 7 Aprilis pro uno dato haberetur?

Hoc sapientiorum iudicio relinquo.

Consultationes.

Ex Urbe. — **De primo Psalmo ad Primam in Dominica in Albis.** — Iuxta Breviarium Romanum *(ad Primam in Dom. in Albis)*, in hac Dominica et aliis Dominicis diebus usque ad Ascensionem dicendus est pro primo Psalmo ad Primam *Deus, in nomine tuo*. Ita pariter praescribitur pro Dominica in Albis ab *Officio Hebdomadae Maioris*, a typographo Fr. Pustet hoc anno edito et d. 21 Nov. 1912 a S. R. C. approbato. Omnes autem Kalendaristae Romani, aliique dicunt in casu Ps. *Confitemini* esse recitandum. Quid ad casum?

Resp. Antequam opinionem nostram ad hanc quaestionem praebeamus, primo argumenta, quae pro et contra in casu allegari possunt, examinare proponimus.

In Ordinario novi Psalterii *(pag. 21 edit. Vatic.)* ad Primam invenitur sequens Rubrica: « Post enuntiatam Antiphonam dicuntur tres Psalmi Officio diei congruentes. — Quando autem adhibetur posterius Laudum Schema, duo Psalmi, in priori Laudum Dominicalium Schemate omissi, resumuntur ad Primam Dominicae ante alios Psalmos... » Ex hac Rubrica, uti patet, pro tempore Paschali et in particulari pro Dominica in Albis, nihil deduci potest ad determindum quinam primus Psalmus ad Primam in casu sit recitandus.

Prima autem Rubrica quae habetur in Psalterio ad Primam Dominicae *(p. 74 edit. Vatic.)* ita sonat: « Antiphonae cum Psalmis per annum ac Tempore Paschali ad Horas minores assignata, adhibentur semper, extra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, quando fit Officium de Dominica minori, ac de maiori Dominica in Albis. — Ex hac Rubrica etiam difficile est de-

terminare quinam ex duobus primis Psalmis dicendus sit in casu, ad Primam nempe pro Dominicis Temporis Paschalis. Rubrica tamen videtur innuere quod eadem Antiphona et iidem Psalmi recitanda sint ad Primam (et alias Horas minores) in Dominica in Albis ac in alia Dominica minori Tempore Paschali, quando de ea Dominica fit Officium. Sed quaestio praecise est in casu, quisnam sit primus Psalmus ad Primam Tempore Paschali in Dominica minori? Iuxta antiquam Rubricam Breviarii Romani est Psalmus *Deus, in nomine tuo.* Atqui, cum haec Rubrica per praefatam novam Rubricam mutata non videatur, sequitur primum Psalmum ad Primam in Dominicis Tempore Paschali debere esse *Deus, in nomine tuo.*

Secunda Rubrica, quae ibidem *(pag. 75 edit. Vatic.)* hebetur ante Ps. *Deus, in nomine tuo,* ubi specificatur quandonam hic Psalmus est recitandus, est sequentis tenoris: « In vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes, in ultimo triduo Maioris Hebdomadae, in Feria VI post Octavam Ascensionis, in duplicibus I et II classis, in Festis Domini, Beatae Mariae Virginis, sanctorum Angelorum, sancti Ioannis Baptistae, sancti Ioseph, sanctorum Apostolorum, et infra omnes Octavas, si de eis fiat Officium, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam dicuntur Psalmi de Dominica; sed ad Primam, loco Ps. 117 *Confitemini,* dicitur Ps. 53 *Deus, in nomine tuo* etc, ».

Iuxta hanc itaque Rubricam in Dominicis minoribus Tempore Paschali ac in Dominica in Albis, cum hae Dominicae in praedicta Rubrica, habentes pro primo Psalmo ad Primam *Deus, in nomine tuo,* non recenseantur, recitandus est ad hanc Horam Psalmus *Confitemini.*

Haec conclusio omnino vera ac legitima videtur pro Dominicis minoribus per annum et Tempore Paschali, non autem pro Dominica in Albis, quia haec Dominica censetur et revera est dies octava Paschatis, et consequenter Octava Festi Domini. Etenim in « *Mutationes in Breviario et Missali faciendae* » dicitur « *Dominica in Albis in Octava Paschae* ».

Idem habebatur in Breviario et Missali, ante novissimam Rubricarum reformationem. Insuper, cum dies octava cuiuslibet duplicis I classis primarii in praesenti gaudeat ritu duplici maiori, ita quoque in praesenti Octava Paschae (*Vide praedictas Mutationes*).

Obiicitur: Castaldus (in suo opere: *Praxis Caeremoniar.*, libro III, sectione IX capite IV, numero 5) dicit: « Ad Nonam huius (diei *i. e. Sabbati in Albis*) terminatur Officium et festum Paschae, quod iuxta Augustinum ad mysterium per hebdomadam celebratur; incipiens namque Sabbato sancto post Nonam, totius hebdomadae circulus ad Nonam huius diei perficitur ». Item, nonne in Missali Romano explicite habeatur quod in Praefatione verba « *in hac potissimum die* », orationes *Communicantes* et *Hanc igitur* propriae et duplex *Alleluia* post *Ite, missa est* dicenda sint usque ad Sabbatum in Albis inclusive? Nonne ex his omnibus pateat Octavam Paschae cessare post Nonam Sabbati in Albis, et consequenter Dominicam in Albis non revera considerari posse ut diem Octavam solemnitatis Paschae?

Resp. Ad hanc obiectionem respondeo cum cl. Doct. P. Piacenza (*in Tres Tabellas Comment.*, p. 22): « Scimus quidem, Octavam huius festi (*Dr. Piacenza loquitur de Dominica Ss. Trinitatis*) finem habere post Missam Sabbati praecedentis, sicut et Octavam Paschatis, eo quod, cum utraque solemnitas initium habuerit in Sabbato ad Missam, ita et Octava ad Missam Sabbati sequentis concludi debet... Sed aliud est dicere, quod Officium proprium cum unico nocturno Octavarum Paschatis et Pentecostes desinit in Sabbato; aliud dicere, quod Dominica subsequens non sit revera Octava earumdem solemnitatum (1). Primo quidem quia Dominica in Albis adhuc inscribitur in Breviario (*adde et Missali*) sub titulo *in Octava Paschae* (2)... » Itaque

---

(1) Quod auctor dicit de uno Nocturno, id etiam applicari potest aliis rebus, quae illis Octavis omnino sunt propriae.

(2) Castaldus (*loc. cit., nn. 6 et 7*) quoque dicit: « Dominica haec, quae vulgo in Albis dicitur, convenientius, prout in Breviario et Missali habetur, Dominica in Octava Paschae dici deberet, nam

Officium huius primae Dominicae post Pentecosten, iisdem frui debebat iuribus ac Dominica in Albis; nam sicut Festa Paschatis et Pentecostes, eorumque dies infra Octavas, aequalibus prorsus praerogativis potiuntur, nulla ratio sufficiens proferri poterat, ex qua dies eorum octavi diversimode recenserentur?

In praesenti autem, iuxta « *Mutationes in Breviario et Missali faciendae* », Dominica SS. Trinitatis (quae nunc Festum SS. Trinitatis ibi appellatur) elevata est ad ritum duplicem I classis, et Dominica in Albis, quae primo gaudebat ritu duplici, ad duplex maius, uti dies Octava cuiuslibet festi primarii duplicis I classis.

Ex dictis satis patet, uti mihi videtur, Dominicam in Albis, non ut aliam Dominicam Temporis Paschalis considerandam celebrandamque esse, et consequenter in ea, uti in alia die octava Domini, pro primo Psalmo ad Primam Ps. *Deus, in nomine tuo* esse recitandum, uti *Officium Hebdomadae Sanctae,* a Domino Pustet editum et a S. R. C. approbatum indicat.

E Lahore (*in Indiis Orient.*). — **De anniversario Dedicationis et Titulari Ecclesiae Cathedralis.** — In Rubricis ad normam Bullae « *Divino afflatu* », tit. IX, n. 2, dicitur: « Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu du-

---

in praecedenti Sabbato Neophytorum terminantur festa: ideo et in Sacramentorum libro vocatur haec Dominica post Albas, et in Officio Ambrosiano Dominica in Albis depositis. — Huius Dominicae Officium duplex est (*in praesenti duplex maius*) et ideo ad Vesperas praecedentis Sabbati, completo iam Paschali festo, in ipsa Dominica, quae octava est Dominicae Resurrectionis, in qua et omnium nostrum resurrectio praefiguratur, ordo Officii variatur; est namque primae classis, et quodcumque festum etiam Patroni, vel Titularis in ea occurrens transfertur; in ipso autem Officio tam huius Dominicae, quam sequentium Dominicarum omnia Tempori Paschali n Breviario assignata observantur ».

plici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava». Evenit autem quod in Dioecesi Lahorensi in Indiis Orientalibus omnes Sacerdotes sunt Fratres Minores Capuccini, et fere omnes alumni Provinciae Belgicae, cui haec Dioecesis commissa fuit Decreto S. Congr. de Prop. Fide, die 5 Nov. 1888. Insuper Kalendarium Diocesanum est idem ac Kalendarium Provinciae Belgicae, iuxta Acta I Synodi Lahorensis (tit. IV, cap. III, A, n. 2). In Kalendario vero, de quo supra, ponitur die 6 Septembris Festum Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis Minorum Capuccinorum, sub ritu duplici I classis cum Octava, et Festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Lahorensis omittitur tanquam inclusum in praedicto Festo Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis, licet anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis cadit die 19 Novembris.

Festum autem Ss. Cordis Iesus, quod est Titulare Ecclesiae Cathedralis ab omnibus Dioecesis Sacerdotibus non deservientibus Ecclesiam Cathedralem celebratur absque Octava, ut in universa Ecclesia. Quaer. 1. Utrum visis circumstantiis supradictis Fratres Minores Capuccini in Dioecesi Lahorensi munere apostolico fungentes teneantur celebrare Anniversarium Ecclesiae Cathedralis?

2.° Si affirmative, utrum in tota Dioecesi teneantur celebrare hoc anniversarium cum Octava?

3.° Utrum in tota Dioecesi teneantur celebrare cum Octava Festum SS. Cordis Iesus, quod est Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis?

Praenotandum: Ut aliquis Clerus, sive saecularis, sive regularis, in aliqua Ecclesia seu in aliquo Oratorio publico vel semipublico Kalendarium suum sequi valeat, nullimode requiritur ut ille Clerus huius Ecclesiae seu Oratorii dominium habeat; sufficit ut cura et directio istius Ecclesiae

seu Oratorii a competente auctoritate illi Clero commissae sint, seu aliis verbis, ut ille Clerus huic ecclesiae seu Oratorio a competente auctoritate ex Officio deserviat ad longum vel indefinitum tempus. Sacra enim Rituum Congregatio decrevit: « Missae celebrandae sunt *iuxta Kalendarium Regularium* in Ecclesiis tum parochialibus vel annexis, tum talibus, quae a fidelibus, peregrinationis causa, pio animo frequentari solent, quae, licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint, et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen sacerdotibus Regularibus ad longum vel indefinitum tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant, et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem sacramentorum ex officio deserviant; hinc in praedictis Ecclesiis etiam Episcopus et Parochus parochiae saecularis eiusque Vicarius, atque Beneficiarius Ecclesiae adscriptus, in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare tenentur (1). Ita S. R. C. declaravit die 27 Ianuarii 1905 (n. 4150), iuxta Decretum n. 3862, *Urbis et Orbis*, 9 Dec. 1895, et n. 4051, *Urbis* 15 Dec. 1899 ad 2. — Quod autem statuitur de Kalendario *Regularium* sequendo in Ecclesiis parochialibus vel adnexis, aliisve, quarum cura et directio ab Episcopo illis Regularibus ad longum vel indefinitum tempus commissae sunt, id a fortiori applicandum est Ecclesiis et Oratoriis publicis Dioecesis Lahorensis, quarum cura et directio con-

(1) Haec sunt verba ipsius App. I, vol. VI, Decret. authent. C. SS. Rit., verb. *Missa in aliena Ecclesia vel Oratorio publico*, pag. 155.

In Decreto *Urbis* S. C. d. 15 Dec. 1899 (n. 4051) quaer.: « Dub. II. In Ecclesiis alicui Religiosae Familiae concreditis, Sacerdotes exteri in illis celebrantes tenenturne sequi Kalendarium eiusdem Familiae proprium, si habeatur? « Dub. III. Num idem sit dicendum de Ecclesiis, quae non Religiosae Familiae, sed tantum alicui personae privatae, etsi ad eamdem Familiam pertinenti, commissae sunt? » S. R. C. rescripsit et servari mandavit: « Ad II. Affirmative. Ad III. Negative ».

creditae fuerunt Patribus Capuccinis Provinciae Belgicae a S. Congr. de Propaganda Fide, anno 1888. — Nullum itaque dubium esse potest, quin dicti Patres Capuccini in iis Ecclesiis et Oratoriis suum Kalendarium sequi non solum possint, sed et debeant. Hoc pariter in casu supponitur, cum in eo dicitur; « Kalendarium Diocesanum est idem ac Kalendarium (PP. Capuccinorum) Provinciae Belgicae». Hisce praenotatis:

Resp. ad I.: Iuxta Decretum generale S. R. C. d. d. 9 d. Iulii 1895, III et IV (n. 3863), Clerus tum saecularis tum regularis, non solum tenentur ad Anniversarium Dedicationis Omnium Ecclesiarum respectivae Dioecesis vel Instituti ex indulto Apostolico concessum, sed insuper ad Anniversarium Dedicationis Cathedralis Ecclesiae (Cf. pariter Decr. S. R. C. d. 22 Iunii 1895 ad 1, n. 3861). Notandum tamen est quod ante novam Rubricarum reformationem Clerus regularis tantum qui in Civitate Episcopali degebat ad Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis tenebatur sub ritu duplici II classis sine Octava, Clerus autem secularis totius Dioecesis illud Anniversarium celebrare debebat sub ritu duplici primae classis, in civitate Episcopali cum Octava, extra vero sine Octava (Ita Decr. gener. S. R. C. d. 9 Iulii 1895, IV). In praesenti autem, iuxta novam Rubricam Psalterii, tit. IX, n. 2.: « Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt ritu duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava ».

Hinc PP. Capuccini Provinciae Belgicae, in Dioecesi Lahorensi apostolico munere fungentes, tenentur celebrare non solum die 6 Septembris Dedicationem omnium Ecclesiarum Ordinis, sed etiam die 19 Novembris Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

Obiicitur: Quod Regulares utriusque sexus per totam Dioecesim teneantur etiam ad Anniversarium Ecclesiae Cathedralis, hoc intelligo, quia Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis nequit censeri comprehensum in Anniversario Dedicationis Omnium Ecclesiarum Ordinis; et ita intelligo Decretum S. R. C. d. 22 Iunii 1895 ad 1 (n. 3861). Sed quod Capuccini Belgi, apostolico munere fungentes in Dioecesi Lahorensi, praeter Festum Dedicationis omnium Ecclesiarun Ordinis, adhuc teneantur separatim ad celebrationem Anniversarii Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, hoc non bene intelligo, quia Ecclesia Cathedralis, uti aliae Ecclesiae eiusdem Dioecesis, omnino propriae censendae et considerandae sunt (uti patet ex praenotando supra), et consequenter illa Dedicatio omnium aliarum Ecclesiarum illius Dioecesis (si ibi habeantur Ecclesiae consecratae), revera comprehensa est in universa Dedicatione omnium Ecclesiarum Ordinis, die 6 Septembris.

Resp. 1.° Iuxta Decret. S. R. C. d. 16 Febr. 1910 ad 3 (n. 4249), Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam extra ipsam Cathedralem, censetur Festum ***primarium***, quum haec Ecclesia omnibus e Clero sit propria aut ratione beneficii, aut ratione subiectionis.

2.° Iuxta Decretum generale S. R. C. d. 9 Iulii 1895, III et IV (n. 3863) Clerus, tam saecularis quam regularis, tenentur tum ad Dedicationem Ecclesiae propriae seu ad Dedicationem omnium Ecclesiarum Dioecesis vel Instituti, tum ad Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

3.° Si Clerus saecularis, quamvis ipsi celebret Dedicationem omnium Ecclesiarum Dioecesis, adhuc teneatur ad Anniversarium Ecclesiae cathedralis; quare ad hoc non etiam obligarentur Regulares? Nullum habetur motivum exemptionis quoad hoc punctum.

Sed notandum est quod obligatio celebrandi Festum Dedicationis Ecclesiarum Ditionis, per Decretum Card. Caprara imposita, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, non obligat illos Regulares seu Religiosos qui a S. Sede

indultum obtinuerunt celebrandi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis, die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum (S. R. C., 1 April. 1905 ad 2, n. 4155; vide Decr. n. 3861 ad 1 et n. 3925 ad Dub. V).

Resp. ad II. Cum PP. Capuccini Provinciae Belgicae Cathedrali Ecclesiae, aliisque Ecclesiis Dioecesis Lahorensis a competente auctoritate ex officio deserviant, eodem modo quo Clerus saecularis in aliis Dioecesibus, et Kalendarium dictorum Regularium uti Dioecesanum considerandum sit, mihi videtur, in casu a dictis Regularibus in tota Dioecesi Lahorensi Anniversarium Dedicationis huius Ecclesiae Cathedralis celebrandum esset sub ritu duplici I classis *cum Octava*.

Resp. ad III. Ob idem motivum ab iisdem Regularibus celebrandum est Festum Titulare Ecclesiae Cathedralis Lahorensis per totam Dioecesim sub ritu duplici I classis *cum Octava.* P. V. ab A.

Ex America. — I. **De ablutione manuum post Missam.** — Rubricae tacent de ablutione manuum post Missam celebratam, vestimentis depositis, nec videtur aliqua ratio adesse cur sacerdos manus tunc lavet, praesertim cum digitos post communionem abluerit. Attamen non desunt qui manus post sacrificium peractum lavant, sive ex ignorantia mos iste invaluerit, sive ex consuetudine quae oriri videtur ex eo quod multis in locis duplex linteum cum respectivis inscriptionibus: « Ante Missam » et « Post Missam » ad fontem allutionis appendatur. Quaeritur ergo an talis consuetudo quamdam adducere praescriptionem censenda sit, vel uniformitas in ratione agendi diversorum sacerdotum in eadem ecclesia celebrantium tanti sit habenda ponderis, ut posthabitis silentio rubricae argumentoque ex ablutione post communionem desumpto, adsit aliqua vel minima convenientiae ratio cur sacerdos mori invalescenti sese conformare teneatur.

Resp. Ablutio manum praescribitur ante Missam; et, iuxta S. Alphonsum (*Theol. mor.* tom. VI, n. 409) fieri debet sub veniali, sub gravi autem, si manus sint valde immundae, propter reverentiam Sacrificii. Post autem Missam lavare non est de praecepto, nisi, iuxta cl. Erker, Ordinario hanc praxim inducere placuerit, vel nisi vigeat consuetudo contraria. Cl. De Herdt, circa hanc lotionem loquens, ait: « Licet non praescribatur, convenit tamen ut celebrans manus abluat in reverentiam ss. Sacramenti, antequam res profanas cum iisdem contrectet. Haec ablutionis aqua in sacrarium proiici deberet; et conveniens esset, ut duo manutergia in usum sacerdotum in sacristia appenderentur, unum ad abstergendas manus ante Missam, et alterum ad easdem abstergendas post Missam (Prax. Sacrae Liturg. Pars 2. Ritus Missae privatae, n. 294) ». Confer etiam Gavantum (p. 2, tit. 12, rubr. 6, in fine), et Merati (ibid. n. 14). — Romae, praxis ecclesiarum non videtur conformis; et nobis constat quod etiam inter religiosos eiusdem communitatis indulgetur maxima libertas, sine ulla inter adstantes ob discrepantiam admiratione. Si nostrum iudicium pondus aliquod videtur inter allatos auctores habere, dicere censemus, libertatem unicuique relinquendam esse, nisi Ordinario pro clericis sibi subiectis, vel Superioribus regularibus pro suis alumnis praeceptum ob uniformitatem imponere placuerit.

II. **De actholyo vel clerico tonsurato munere subdiaconi in Missa solemni fungente.** — Decretum recenter promulgatum prohibet quoslibet in sacris non constitutos fungi munere subdiaconi in Missa solemni, nisi adsit gravis ratio, isque qui ad tale munus assumitur sit saltem tonsura initiatus. Quidam autem nostrorum opinantur praxim in caeremoniis acquirendam pro degentibus in Seminariis clericis qui iuxta morem nostrum feria VI et sabbato ante Passionem respective ad subdiaconatum et diaconatum evehuntur sufficienter gravem praebere rationem cur clerici ad fungendum munere subdiaconi assumantur; sicque fit ut

ante Passionem clerici in minoribus constituti, post vero Passionem, iamiam deficientibus minoratis, clerici tonsura tantum insigniti in Seminario adhibeantur ad munus subdiaconi, quamvis non desit copia sacerdotum. An haec interpretatio literae et menti decreti sit consentanea petitur.

Resp. Ad hoc II quaesitum, verbis ipsis in Ephemerid. nostris ab hinc compluribus annis refertis, responsum ducimus. — Ut loco Subdiaconi in Missa solemni deputari possit alius clericus, duo nunc sunt rigorose observanda, 1°. *ut adsit rationabilis causa;* 2°. ut clericus sit in *minoribus ordinibus* aut saltem *sacra tonsura initiatus.* S. R. C. iam ab anno 1698, suo decreto n. 2002, et postea aliis decretis 2525[1], 2965[4], 3525[1], 3832[7], declaraverat, Subdiacono deficienti pro Missa solemni *extra casum absolutae et praecipuae necessitatis,* clericum non esse substituendum. Huius ratio per se patet, nam in Ecclesia Dei Ordines sacri eo ipso instituti sunt ut unusquisque in gradu suo ad altare deserviat. Porro, parum valeret Subdiaconorum ordinatio, in qua Episcopus inter alia dicit: « *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium praeparare, Diacono ministrare... Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre...* », si cuique licitum foret, eorum munere fungi. Nihilominus, *data vera necessitate* et *rationabili causa,* permittit Ecclesia clerico, loco Subdiaconi, deservire, cauto tamen ne *omnibus muneribus Subdiaconi* fungatur, sed eius vices gerat in aliquibus tantum, quae ad ordinem Subdiaconatus praecise non attinent; nonnulla enim fiunt ad altare a Subdiacono, quae rigorose loquendo ad illum exclusive non pertinent. — Quae autem erit *causa rationabilis,* et quae *praecisa necessitas?* non enim quaevis ratio sufficit ut clericus pro Subdiacono assumatur. Ex. gr. festum magnum celebratur, et populus aegre ferret si Missa solemnis a Sacerdote absque Ministris decantaretur; nullus adest Minister *in sacris* qui uti Subdiaconus deserviat; vel adest quidem Sacerdos, sed aut aetate valde provectus inhabilis iam est ad ministerium explendum, vel puta scholae cantorum praeesse debet, alioquin Missa, qua par est solemni-

tate, decantari nequiret. Item adsunt quidem Sacerdotes, sed ipsi vel cantui, vel confessionibus excipiendis, vel aliis sacri ministerii operibus incumbere debent, hae sunt causae a S. R. C. decr. n. 3525[1] admissae in casu de quo agitur. Si vero Sacerdos haberetur validus, ecclesiae servitio addictus et nullimode praepeditus, licet esset Canonicus vel Parochus, ad mentem S. R. C. (decr. citat.) munere Subdiaconi perfungi deberet, ut Ecclesiae leges, Ordinisque iura rite serventur. Secunda conditio huiusmodi concessionis est, ut clericus sit in minoribus Ordinibus constitutus, aut saltem *sacra tonsura initiatus*. In citatis S. R. C. decretis antiquis, nempe sub nn. 2525, 2965, 3525, nec non aliis sub nn. 2002 et 2221, omnino requirebatur ut clericus in Ordinibus minoribus esset constitutus; in recentiori vero sub n. 3832, permittitur ut clericus *saltem tonsura initiatus* Subdiaconi munere fungi valeat. Hinc si alicubi adsit clericus in minoribus Ordinibus, certo certius tonsurato praeferri debet. Patet ex dictis, et ratio ipsa suadet, nam tonsura est quidem initiatio ad sacra, non tamen inter Ordines connumeratur. Qui ergo Ordinem minorem habet, proximior est Subdiacono ideoque praeferendus. Quapropter clericus, qui revera sacra tonsura non sit initiatus, licet adultus, licet regularis cum votis solemnibus Deo adstrictus, numquam poterit a Superioribus ecclesiarum, vel ab ipso Episcopo, ad munus Subdiaconi in Missa cantata obeundum deputari. Hinc nil valet consuetudo, parum probata, clericos tonsuram in capite habentes, quin eam ab Episcopo obtinuerint, aequiparandi iis qui revera sacra tonsura initiati sunt. Nihilque hodie valet invocare decretum S. R. C. n. 2965, quo, iuxta quandam interpretationem, permitti posse videbatur, ut Regularis absque clericali tonsura pro Subdiacono deputaretur; ceterum in eodem decreto explicite apponitur conditio *debere esse clericum,* idest sacra tonsura rite initiatum. Sed de hac secunda conditione, quae quaesitum allatum exsuperat, satis dictum est, ad frenandam atque cohibendam damnabilem illam benignitatem rectorum, superiorum regularium nec non aliquorum Antistitum, qui leges Ecclesiae contemnentes,

officio Subdiaconi non infrequenter, in ecclesiis etiam maioribus laicos fungi permittunt et aliquando iubent. — Hisce praeiactis, concludendum est: Opiniones in exposito quaesito allatas prorsus nihili valere; et instructionem ad caeremonias addiscendas pro degentibus in seminariis clericis nemo dicere audet *casum absolutae et praecipuae necessitatis, rationabilemque causam conficere.*

III. **De consuetudine in Vesperis circa cantum antiphonarum.** — In Vesperis solemnibus apud nos antiphona prima iam a Celebrante usque ad asteriscum, inde vero ad finem a clericis cappa indutis ante Psalmum cantata, et a toto choro post Psalmum repetita, sequentes antiphonae post praeintonationem a cantoribus cappa indutis, non a primis in choro sedentibus sacerdotibus intonantur, sed a toto semi-choro, una scilicet a semichoro a parte Evangelii, altera vero ab altero semichoro, et ita porro. An eliminanda talis consuetudo Pontificali (?) prorsus contraria?

Resp. Dispositiones Caeremonialis Episcoporum, Decretorum S. R. C. et probatorum Auctorum, quoad vesperas sunt sequentes:

a) Si celebrans sedet in scamno ad cornu epistolae, et duo tantum assistentes pluvialibus parati intersint, isti ad latera eius sedent; si autem praeter hos et alii parati sint, duo ad latera celebrantis et alii in plano chori hinc inde contra altare disponendi sunt.

b) Sive duo, sive quatuor, sive plures dentur assistentes parati, a duobus clericis cottis vel habitu chorali indutis psalmos et versiculos intonari praescribitur, qui regulariter in inferioribus subselliis ab utraque parte sedent: unus autem ex presbyteris paratis celebranti praeintonat antiphonam primi psalmi, initium hymni necnon antiphonam ante canticum *Magnificat;* alter autem, si sunt plures quam duo parati, secus cantor, antiphonas ceteras.

c) Presbyter praeintonator solus accedit, ducente caeremoniario, non autem comitante alio presbytero parato.

d) Qui antiphonam praeintonat, facta altari genuflexione, si ante ipsum transeat, accedit ad illum cui praeintonanda est, praemissa reverentia et antiphonam praeintonat, quae cum repetita seu intonata fuerit, reiterat reverentiam et ad locum suum recedit.

e) Antiphonae praeintonandae sunt canonicis, vel vices ipsorum facientibus, incipiendo a dignioribus, utravis parte sedeant, etiam non obstante consuetudine (D. 190), nisi haec sit immemorabilis (D. 228); ita ut servandus sit ordo antiquitatis non habilitatis (D. 1091).

f) Omnes surgunt ab utroque latere chori (D. 2079[13]), nisi adsit consuetudo, ut pars tantum ubi sedet canonicus qui antiphonam repetit surgat (D. 3110[2,3]). Hebdomadarius vero paratus non surgit; surgunt utique assistentes parati, exceptis illis duobus, qui cum celebrante in iisdem scamnis sedent, nisi adsit consuetudo ut sedentes caput discooperiant.

g) Quoad continuationem cantus antiphonarum nihil explicite dictum est in Caerem. Episcoporum, quapropter varia in ecclesiis videtur conuetudo. Ut plurimum, prosequuntur cantum alumni scholae cantorum: sed, data Caeremonialis reticentia, quid vetat consuetudinem, de qua supra, servari posse? scilicet quod a toto semi-choro a cornu evangelii vel epistolae respondente, cantus continuetur? Dummodo intonatio antiphonae, non a semi-choro, quod contra vel saltem extra legem foret, sed ab uno tantum e choralibus fiat.

IV. **De usu aquae benedictae egredientibus ab Ecclesia.** — Antiquum memini adagium iuxta quod «aqua benedicta datur ingredientibus, non vero egredientibus», quod quidem perfecte consonare videtur tum rubricae praecipienti sacerdoti e sacristia in ecclesiam procedenti Missam celebraturo ut, si commode fieri possit, aqua benedicta se signet, tum efficaciae speciali sacramentalis; aqua enim lustrali abluimur, cum ecclesiam adimus, ad abstergendas maculas in mundo contractas; nullam autem maculam dum

in ecclesia versamur contrahere supponimur. Hisce consentit historia usus aquae benedictae, nec non et praxis adspergendi fideles in initio Missae solemnis in Dominicis, et offerendi aquam benedictam dignitati ecclesiam adeunti. Quid igitur de more a permultis approbato seu cum aqua benedicta signandi quo tiesingrediuntur in ecclesiam vel ab ea recedunt?

Resp. Ad IV demum quaesitum respondendum, nonnulla dicere oportet de aquae lustralis fine. Haec aqua, quae prope Ecclesiae fores reperitur, Ecclesiae exorcismis ac precibus benedicta et consecrata, unum est ex Sacramentalibus, et ad omnem immundi spiritus infestationem abigendam instituta, terroremque venenosi Serpentis procul pellendum, ad omnes latentis inimici insidias praecavendas eliminandasque, praecipue ad fideles a levioribus noxis liberandos, et ad delendas in illis veniales culpas, positis requisitis dispositionibus, aliisque quae requiruntur. Ecclesia hanc in templorum foribus aquam retinendam voluit ad fidelium templa ingredientium religiosum usum, ut puriores ingrederentur, et dignius incruento Sacrificio adstarent, mundioresque Divinae Maiestati sese offerrent, et suas ad Deum preces mundiore funderent corde. Unde, ex dictis, aqua benedicta habet virtutem hominum sanctificativam, in quantum excitat devotionem, et purificativam, in quantum per eam venialia diluuntur, et ablutivam sterilitatis rerum mundanarum, sicut sal sub Eliseo, sanavit aquae et terrae sterilitatem, et virtutem aversivam insidiarum Diaboli, et defensivam a malis phantasmatibus. Diximus, inter diversos fines is adnumeratur, ut fideles puriori corde Sacro peragendo adsistant; unde ex rubricis et decretis constare videtur usum aquae benedictae fieri tantum in ingressu ecclesiae; sive quoad ecclesiasticos sive laicos; sive in actu functionis sive extra; aliquando per aspersorii contactum, uti in ingressu Praelatorum, aliquando ex pila per se ipsum vel per alium aquam digitos intingendo. Ecclesiastici quidem, similiter et laici, aquam benedictam sumunt, ecclesiam ingredientes, nisi fa-

cienda sit aspersio solemnis, qua occasione attendere sufficit aspersionem per celebrantem peragendam. Usus autem signandi cum aqua benedicta in egressu ab ecclesia, a nullo sacro codice praescribitur, neque ab ullo auctore de re liturgica dictum est verbum. Noster sentiendi sensus, quoad praxim, est nullum esse ritum introducendum, a legitima auctoritate non praescriptum, quoad ecclesiasticos, presertim in actu functionis: quoad simplices fideles autem, de legibus liturgicis prorsus ignaros, et de consuetudinibus valde firmos et tenaces, non est loquendum neque praesertim conquerendum. Si autem scandalum pati viderentur fideles nos videntes aquam lustralem non accipientes cum ab ecclesia egredimur nonne, in casu, cum conscientia eorum sit infirma, haec aedificabitur, si nos, sicut et ipsi fideles, attingere aquam lustralem consueverimus, iuxta sensum Apostoli, qui ait (I Corinth. VIII, 9): *Videte ne forte haec licentia vestra offendiculum fiat infirmis?* P. M.ª D. A.

E Dioecesi Calaritana. — **De Missis de requie Missam exsequialem concomitantibus, et pro alio defuncto applicatis.** — Turibius parochus adit Ecclesiam alienam in qua funera peraguntur praesente cadavere cum Missa solemni aliisque Missis de requie, quae, « eodem temporis momento » in singulis altaribus celebrantur. Et Turibius Missam simul cum aliis « de requie » dicit, eamque pro suo fideli nuper defuncto applicat, eo quod pro defunctis pauperibus suae paroeciae Missam lectam de requie celebrare Parocho licitum sit. Quid de his dicendum?

Resp. Incongruum omnino est quod plures privatae Missae eodem temporis momento celebrentur quo canitur solemnis Missa; quia, cum agitur solemnis functio, omnes illi attendere debent, est enim haec quasi dixerim functio officialis. Et contra ex hoc sequitur inconveniens, quod fere omnes attendunt hisce in casibus ad Missas breviores, et negligunt, cum magno solemnis functionis et recti sensus detrimento, quod principale est; ex humana quippe fragilitate, cum plu-

rimi res expeditiores, praesertim quoad Sacra, requirant, si detur libertas eligendi, breviores et simpliciores eliguntur.

Scimus, aliquem Episcopum prohibuisse, etiam statutis poenis, ne tempore pontificalis Missae aliae privatae celebrarentur, et bene.

Et quando agitur de funeribus, additur ratio negandi istius rei opportunitatem, ex eo quod fere semper est vana pompae ostentatio, quae cupit se explicare magno Missarum numero eodem tempore celebratarum.

Adde anormalitatem, quae oritur vel ex reticito campanularum sonitu ad *Sanctus* et ad elevationem, vel e contrario ex simultanea omnium, eodem vel fere tempore pulsatione; similiter e qualitate vocis in Missis privatis adhibendae, ac insuper ex recitatione trium *Ave, Maria* etc. in fine, quae similem perturbationem parerent.

Decretum S. R. C., permittens Missarum de requie celebrationem etiam in duplicibus, quibusdam exceptis, quo die habetur funus saltem cum cantu, praesente physice vel moraliter cadavere, vult ut Missae quae de requie dicuntur applicentur pro defuncto pro quo fiunt exsequiae. Hinc patet quod in casu exposito Parochus Turibius nequibat applicare Sacrificium die ritus duplicis pro defuncto suae paroeciae. Ratio quam adducit Parochus, de licito nempe celebrandi Missam de requie lectam etiam in duplici, valet tantum pro sua paroecia, vel alia ecclesia, ubi praesens est saltem moraliter cadaver defuncti pauperis, et tunc permissio habetur tantummodo pro unica Missa.

Concludendum igitur, non potuisse Parochum in casu exposito, Missam applicare celebrando in nigris paramentis, nisi ritus ecclesiae Missas de requie privatas permisisset. Hoc autem praescindendo ab alia consideratione, quod scilicet Parochus fingeret se conformare petitioni tales Missas funus concomitantes celebrandi, dum ea vice alii intentioni satisfacit. Quod si de hac re inter se et ecclesiae rectorem convenerit, tam iste quam ille erraverint, saltem aliqua ex supra dictis rationibus.

I. B. M. M.

BREVIORA RESPONSA

Pro B. C. in Canada. — In Novis Rubricis Bullae *Divino afflatu,* tit. X, n. 5 legitur: « Leges pro Missis Defunctorum in cantu immutatae manent ». Quaero, an haec verba comprehendant etiam Missas quotidianas, dummodo sint in cantu? Decr. S. R. C., 8 Febr. 1913, et varia in idem commentaria nihil clare vel directe dicunt de his Missis. Ratio dubii est, quod, ni fallor, nullae sint speciales leges pro Missis Defunctorum in cantu, exceptis Missis pro die obitus, die III, VII, XXX et anniversaria. Item exceptiones in eodem numero, pro quibusdam Missis lectis, firmant legem; dum, mea sententia, eadem est lex pro Missis quotidianis Defunctorum, sive lectis, sive cantatis.

Resp. Recta est affirmativa interpretatio rubricae quae in quaestionis expositione citatur; ratio autem dubii nulla est, quia fallitur sane Rev. Inquirens dum putat, nullas esse speciales leges pro Missis quotidianis cum cantu, imo, leges quae sunt de Missis lectis defunctorum, easdem et ad quotidianas cum cantu pertinere. Et re quidem vera, specialis lex est de Missis quotidianis cum cantu, ut celebrari queant singulis feriis Quadragesimae et aliarum feriarum maiorum, Missam propriam habentibus, nec non in Vigiliis et quando anticipatur vel reponitur Missa Dominicae impeditae; quibus diebus prohibentur Missae lectae non privilegiatae pro defunctis. Ergo, si verum est, Missas quotidianas cum cantu haberi posse quotiescumque permittuntur Missae lectae de requie item quotidianae, nullimode verum est, hos terminos posse converti, et revera aliquot dies supersunt, in quibus solae Missae quotidianae cum cantu permittuntur, non autem Missae lectae quotidianae.

Pro dioecesi Bononiensi. — Nova Rubrica ante Matutinum defunctorum praescribit *Pater, Ave* et *Credo*, quoties Matutinum non sequatur delationem cadaveris ac Respon-

sorium *Subvenite*, vel Matutinum diei currentis. Hinc dubium: Debetne dici *Pater, Ave* et *Credo* etiam ante unicum Nocturnum sine vel cum Laudibus, si dicatur omisso Invitatorio? Ex verbis dictae Rubricae videtur respondendum negative, etenim dicit: *secus absolute incipitur ab Invitatorio*. Sed ex similibus casibus respondendum videtur affirmative, praescribitur enim *Pater, Ave* et *Credo* in festo Epiphaniae et in ultimo triduo maioris hebdomadae.

Resp. Affirmative, et difficultas duplici modo resolvi potest; aut asserendo: semper dicendum esse invitatorium; aut interpretando: quando dicendum est Invitatorium. Sed probabiliter in ulterioribus emendationibus Breviarii, quae parantur, Invitatorium praescribetur dicendum etiam si unicum Nocturnum sumatur, uti fit in Officio parvo B. M. V. et in festis simplicibus et feriis unum Nocturnum habentibus. At, quomodocumque res se habeant, ut clare pateat quid hic et nunc agendum, dicimus: hoc est indubium: *Pater, Ave* et *Credo* semper dici debent quotiescumque incipiendum est Officium defunctorum, excepto solo casu, quo hora pro defuncto dicatur post Officium diei, vel post delationem cadaveris ad ecclesiam, recitato *Subvenite*... Si enim, ex decretis S. R. C., dierum 24 iulii et 25 octobris 1912, *Pater* et *Ave* dicenda sunt ante Vesperas et adhuc ante Laudes, si in privata recitatione a Matutino separentur, ex paritate rationis dici debent, cum *Credo*, ante Matutinum, etiam si hoc recitandum sit absque Invitatorio; non intelligeretur equidem cur *Pater, Ave* et *Credo* cum Invitatorio tantum relationem habere deberet.

Pro eodem loco. — Quum imminens sit *nova editio* typica Ritualis, et *complementum* mutationum, quae in Breviario inducendae sunt, iuxta novissimas S. Sedis sanctiones, abstinemus hic et nunc a responsione donanda circa orationem pro defuncto, quae invenitur in quadam editione, quae *asseritur* typica.

Pro dioecesi Calaritana. — Celebratio Missae sub dio, extra scilicet Ecclesiam, quandonam et sub quibus conditionibus liceat?

Resp. Praescindendo a quolibet indulto, quod habetur habitualiter a Cappellanis militaribus, Missionariis etc., possunt Episcopi id permittere iuxta normam datam die 23 decembris 1912, ad I, a S. C. de disciplina Sacramentorum, circa Missam in privatis domibus celebrandam, scilicet: «Ex iustis et rationabilibus causis, per modum actus, servatisque aliis de iure servandis».

Pro Tornepia in Belgio. — I. An licitum est laicis sedere et Sacram Communionem sumere in Choro Ecclesiae, qui chorus, tantisper per elevationem loci, et ceteras dispositiones aedificii, tantum «*materialiter*» vocatur «chorus» utpote numquam clerum choro addictum in ambitu suo recipiens?

Resp. Difficile est, nisi constet de visu, rem decernere prout in casu exponitur; neque est satis dicere, quod eo in loco numquam clerus recipitur, quia ratio prohibitionis, ne laici in sanctuario morentur, non est tantum praesentia cleri, sed ipse ambitus loci sacratioris et propinquitas ad altare. Datur interdum talis loci dispositio, qua planities, navi ecclesiae altior, non format presbyterium, quod v. gr. determinatur balaustrio altari propinquiori. Defectu balaustrii aliusve repaguli, prefecto nescitur quomodo se gerendum. Hinc, pro praxi, consilio iuvamus, ut ubi deest eiusmodi divisionis signum, aliquomodo de eo provideatur, ex. gr. genuflexorio, ita ut sic cuique pateat, non esse locum, ultra ipsum, laicis, ac praesertim foeminis. Etiam si locus elevatior satis angustus est, ut nemini possit ingerere dubium, quin illud sit presbyterium, praestat ut aliquo repagulo semper protegatur. Scimus, s. m. Pium Pp. IX, aliquam Romae ecclesiam, paulo ante cultui restitutam, visitantem, vehementer reprehendisse rectores illius, quia in restauratione non providerint de balaustriis, altaribus etiam minoribus apponendis. Et sane, maxime plorandum est, quod, praesertim cum magnus habetur concursus, populus ita invadit altaria, ut haec fiant et personarum fulcrum et rerum omnium usualium depositum.

II. Quaenam preces recitandae sunt pro refectione plena sumenda meridie tempore ieiunii? cuinam legi innititur haec praxis, scilicet dicendi tunc preces tanquam ad coenam?

Resp. Iuxta modum apud plurimos Regulares receptum, dicuntur diebus ieiunii ad prandium preces de coena, excepto, saltem apud quosdam, psalmo *Miserere,* qui semper dicitur ad prandium (cfr. Rituale Congregationis Beuronensis O. S. B., et Rituale Eremitarum Camaldulensium C. M. C., a S. R. C. approbatum, anno 1906), hanc ob causam, quia olim semel diebus ieiunii cibus sumebatur, et quidem post solis occasum. In coenula autem serotina, apud Regulares hunc ritum sequentes, diebus ieiunii habetur brevior benedictio, quae in Breviariis ad usum romanum non invenitur. Apud monachos Beuronenses haec est: « Benedicite. - Benedicite. - Collationem servorum suorum benedicat Christus rex Angelorum. Amen ». Post coenulam dicitur: « Tu autem... Sit nomen Domini benedictum. - Ex hoc nunc et usque in saeculum. - Retribuere dignare, Domine... Amen. - Benedicamus Domino. - Deo gratias. - Fidelium animae... Pater noster... Deus det nobis... » Ante ientaculum et coenulam, apud Eremitas Camaldulenses, de quibus supra: « Benedicite. - Benedicite. - Cibum et potum sanctae caritatis benedicat dextera Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti. - Amen ». Post ientaculum et coenulam: « Tu autem... » et reliqua, uti apud Beuronenses.

III. Quid censendum de palmis, ceterisque rebus a populo in manibus gestis in ecclesia, sed longe post renes Celebrantis, qui in altari dicit preces benedictionis; an haec res sunt benedictae sicut aestimat populus, qui hanc praxim generatim hisce in locis sequitur?

Resp. Regula sane est, ut obiecta benedicenda morali praesentia stent coram benedicente. Dicimus *coram,* quia profecto incongruum est et ridiculum quod aliquis actionem quamcumque peragat circa ea quae retro habentur, nisi hae per modum unius et ob continuitatem partem quae ante habetur sequantur. In casu autem, si obiecta sunt eiusdem

naturae, sunt tamen et inter se distincta et asportabilia. Id igitur non potest includere unitatem et continuitatem. Ubi aliter fieri nequit, sive ob consuetudinem, sive ob difficultatem dandi et recipiendi ramos, quos afferunt fideles, etiam addito aliquo signo; posset, iuxta nostrum sentiendi modum, benedictio cumulative fieri, dummodo provideatur ut Crucis signa et adspersio ac thurificatio fiant largius fere in centro ramorum, prouti fit in omnibus benedictionibus quae populo aut extensis rebus donantur.

IV. Item, quid de aqua benedicta quae extra ambitum fontis baptismalis collocatur in vigiliis Paschatis et Pentecostes, et avide et in magna quantitate esumitur a populo; nonne speciatim a sacerdote benedicenda est, ut realiter sit benedicta; sed quid tunc de rubricis huic ritui obstantibus?

Resp. Usus, aquam in Sabbato sancto benedictam ad domos fidelium asportandi, ab Ecclesia commendatur, si ergo avide id concupiscitur, malum non est, imo res est laudanda. Nunc vero, si aqua in fonte baptismali non capitur ad sufficientiam, profecto in ampliori vase, prouti alias diximus, potest benedici. Nullimode admitti potest quod fiat specialis benedictio iuxta ritum diei, extra sacram liturgicam functionem; sed nisi id fieri possit, uti dictum est, in magno vase separato, oporteret ut benedictio communis adhiberetur, quae per annum adhiberi solet, et certe etiam Sabbato sancto prohibita dici nequit.

V. In caeremoniis baptismatis, inter scapulas et in pectore puer catechumenus debet ungi oleo catechumenorum. Ergo denudatio pectoris et scapularum, aliqualis saltem, debet obtineri, quod non fit et quod saltem in pluribus parochiis non obstantibus conatibus omnimodis obtineri posse non videtur. An tunc sufficit unctio facta in gutture et in collo, ut semper reapse fit? quid opus faciendum?

Resp. Casus potius moralis hic est, et solvendus iuxta regulas a moralistis traditas, quando res omnino necessaria adimplenda est, et moraliter impossibile, vel fere est eam rite faciendam obtinere. Fit tunc quo modo potest. In casu

autem, insistendum ut possibile fiat ritum prouti describitur adhibere, sin vero sufficiet ut unctio prope locum indicatum per rubricam peragatur.

VI. Quandonam hoc anno in Ecclesia universali (ergo absque indulto et legitima consuetudine) locum habere debuit externa Solemnitas Festi Annuntiationis B. M. V.? Habetur in hac re mira discrepantia; item factum fuit pro Commemoratione S. Ioseph; hanc celebrarunt cum populo, alii die 19 martii, alii 2 aprilis. An hoc anno Missa exequialis *A) corpore praesente* fuit licita diebus 19 et 25 martii? vel 31 martii et 2 aprilis? *B)* vel corpore absente, sed infra hoc biduum celebrationis Missae, sepulto?

Resp. Regulae circa feriationem dierum S. Ioseph, 19 martii et Annunciationis B. M. V., 25 eiusdem mensis, immutatae permanserunt; igitur hoc anno feriatio respectiva diebus 19 et 25 permansit. Permansit, dicimus, quoad chorum, namque compertum est, apud populum non amplius vigere. Ergo, neque de iure, neque de facto, neque in choro neque in populo feriatio translata est ad dies 31 martii vel 2 aprilis. Licita igitur fuit Missa exsequialis hisce diebus. De corpore absente, sed infra biduum sepulto, nihil dicimus, notum quippe est, in casu, nullimode regulas differre, ac si corpus esset realiter praesens.

VII. An verum est, ut sustinent Benedictini Montis Caesaris Lovanii, velum humerale subdiaconi in omni Missa, semper esse posse *albi* coloris, et quidem *lineum*, non vero sericum album, rubrum etc., quia antiquitus sic de eo erat?

Resp. Ritus, caeremonias, consuetudines liturgicas, quae in Ecclesia obsoleverunt, nemini licet exhumare, quidquid dicere archaeologi queant, utut placeant ipsismet aliisve. Hoc unum tolerari et forte aliquando omnino retineri potest et debet, quod servetur ritus, caeremonia, consuetudo antiqua, numquam interrupta, prout est illa v. gr. quae nobis nunc ad mentem revocatur, apud Franciscales de S. Monte Alverniae, circa quatuor acolythos in Missa solemniori, indutos alba et quodam indumento ad tunicellae instar con-

fecto. Si igitur quis probaret, antiquitatem et continuitatem enunciati usus quoad Subdiaconum apud aliquam ecclesiam, nos quidem molesti nullimode ei erimus, dummodo tamen leges aestheticae et decoris domus Dei salvae permaneant.

Pro loco N. — Occurrent in urbe Olomucensi anno sequenti, die 5 iulii, Dominica V post Pentecosten, tria festa: 1) Ss. Cyrilli et Methodii EE. Conf. et Moraviae Patronorum, duplex 1 cl. cum Octava et feriatione; 2) S. Paulinae V. M., Patronae urbis, dupl. 1 cl. cum Octava (affixum Dom. V post Pentec.); 3) Pretiosissimi Sanguinis, dupl. 2 cl. (affixum Dom. I iulii). Quaeritur: In quam diem, fer. 2, vel 3, transferendum est festum S. Paulinae, attentis novis Rubricis de translatione dupl. 1 et 2 cl., ed attento privilegio concesso festo Pretiosissimi Sanguinis in casu translationis?

Resp. Ad normam decreti S. R. C., n. 4264, calendarium annuale particulare pro divino Officio ordinando super cacalendario annuali dioecesis redigendum est. Hinc in casu, cum, uti supponimus, Officium pretiosissimi Sanguinis in calendario dioecesano iam adeptum sit feriam secundam post Dominicam I iulii, ob impedimentum festi SS. Cyrilli et Methodii, aliud festum impeditum die 5 iulii transferendum est, quoad Officium, ad primam diem sequentem liberam ab alio Officio duplici I vel II classis, iuxta novissimas rubricas, tit. III, n. 3. Iamvero non erit transferendum Officium S. Paulinae in urbe Olomucensi, sed SS. Cyrilli et Methodii, quia, inter duos Patronos, unum urbis et alium regionis, praelatio datur magis particulari, nempe urbis, iuxta decretum n. 2319, rel. dub., I.

Pro Mylapore in Indiis. — Si festum S. Ritae de Cascia, quae Officio proprio gaudet, cum hymnis propriis pro utrisque Vesperis, Matutino et Laudibus, alicubi careat primis et secundis Vesperis, horum hymnus dicetur ad Matutinum, et hymnus Matutini omittetur, iuxta decretum n. 4262, IV. Hymnus quippe Matutini, quoad historiam, non est nisi repetitio prioris, qui ceterum historiam a nativitate S. Ri-

tae incipit. Non est autem omittendus hymnus de Laudibus, quia, etsi tertia strophe sit repetitio rerum iam in aliis hymnis dictarum, secunda tamen in illis nullimode continetur. Si ita ageretur: et omitteretur quod proprium historice est in isto, et repeteretur, uti legenti patet, in alio quod in priori iam dictum est.

Pro Archidioecesi Varsaviensi. — Dominica Ss. Trinitatis Missa celebratur de ipso festo, quia Missa Dominicae prohibetur ob festum Domini, feria vero secunda fit Officium feriale; Quaeritur: fitne Missa hac feria modo dominicali, nempe cum *Gloria, Credo* et praefatione de SS. Trinitate, uti in Dominica fieri solet; an fit in casu Dominicalis Missa reposita modo feriali, nempe sine *Gloria* et sine *Credo* cum praefatione communi, et in fine: *Benedicamus Domino?*

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, quia novae rubricae nihil hac de re immutarunt, et solummodo iuxta Decretum S. R. C. 6 Decembris 1912, ad I, prohibuerunt (tit. X, n. 2), eiusmodi feriis, Missas votivas et de requie, privatas.

Pro Abula in Hispania. — I. S. Canutus (19 Ianuar.) est *semid.* ad libitum: poteritne omitti Officium S. Canuti, et eius loco Feriale Officium recitari?

II. S. Remigius (1 Octob.) est *semid.* ad libitum *simplex* de praecepto: quodnam Officium recitari debet *semidup.* vel *simplex* praesertim in recitatione publica seu chorali? Quomodo Calendaristae indicare debent Officium istud in annuali Calendario?

Resp. ad I et II. Vide responsionem similis quaestionis in sequenti resolutione pro *Eggenburg* in Austria.

III. In aliquibus locis Celebrans in Missa solemni de Requie, dicta Sequentia, statim legit Evangelium in cornu Evangelii quo finito sedet cum Ministris dum in choro cantatur Sequentia, post cuius cantum Diaconus Evangelium canit: estne licitum Celebranti legere Evangelium in casu antequam sedeat?

Resp. Servandae sunt in Missa defunctorum cum cantu,

sine differentia, regulae, quae habentur pro aliis Missis solemnibus. Ait cl. Van der Stappen quoad hanc rem: « Melius itaque et magis ordinate sessio fiet dum protrahitur cantu pars Missa quae ad epistolam pertinet; et versus finem huius cantus incipietur id quod ad sequentem evangelii partem spectat, ita ut huius partis interruptio nulla sit (*De officio Caeremoniarii*, n. 23, ad 7, nota). »

IV. In Caeremon. Episcopor. lib. I, cap. XXVIII, n. 6, et Decr. 4054, IX, legitur quod illud, quod per organum figuratur cantari, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur. Nonnulli requirunt ad hoc duos recitatores. An revera sint necessarii duo recitatores in casu, vel sufficiat unus tantum.

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Quia, si admittitur unus cantor pro iis quae stricto sensu cantantur (cf. resolutionem quam dedimus pro Gallia in fasciculo mensis elapsi, pag. 293-294), a fortiori id admittendum est cum aliquid *figuratur* cantari. Id ceterum significat et ipse modus loquendi: « ab *aliquo* de choro ».

Pro Eggenburg in Austria. — In proximo libello « Ephem. Liturg. » exspecto responsum ad haec duo quaesita:

I. Officia. quae sunt semiduplicia ad libitum, uti v. gr. S. Canutus, S. Remigius, possuntne vel ritu semiduplici vel simplici agi, tum in privata recitatione tum in Choro?

Resp. Cl. Cavalerius, decretum commentans diei 13 iunii 1682, n. III, circa verba ipsius decreti: « Si non potuerit celebrari », ait: « ... tu adde, *vel non placeat de eo recitare*, quia cum ritus simplex sit de praecepto, praetermitti non valet, quacumque de causa cessetur a celebratione illius, tamquam officii novem lectionum ». Auctorem hunc citavimus, quia tum ex rubricis tum ex decretis nullimode constat de modo recitandi eiusmodi officium, ita ut omnibus dubiis fiat satis. Etiam auctores passim parcissimi sunt in declarationibus circa eiusmodi officia. Hinc concludimus, tum ex ipso nomine officiorum *ad libitum*, tum ex interpretatione cl. Cavalieri, posse, tam in choro quam privatim, officia ad libitum

semiduplicia recitari uti simplicia, et tunc cum tertia lectione tantum, iuxta recentissimas normas, ex una vel duabus vel tribus conflata, quae forte in Breviario aut in proprio ecclesiae, Dioecesis, Ordinis vel Congregationis inveniuntur.

II. Quomodo ordinandae sunt Vesperae Sabb. ante Dom. infr. oct. Ascens., si praecedat fest. dupl. — Praeterito anno in Calendar. Eccles. univers. Ant. et Ps. e Sabb. assignatae erant, quod minus rectum esse videtur. Verisimiliter Ant. et Ps. e festo Ascens. assignandae erant.

Resp. Dominica infra octavam Ascensionis Domini, cum officium habeat de octava et non de psalterio, profecto iam a suis primis Vesperis proprio officio gaudere dicenda est. Hinc, si in sabbato factum sit de officio duplici minori vel maiori, antiphonae et psalmi ad Vesperas sumenda sunt ex octava, quae ad Dominicam in casu pertinent, tamquam si officium duplex nullatenus occurrisset die sabbati, sed cum commemoratione duplicis et octavae.

Pro Dioecesi N. in Austria. — In festo S. Marci Ev., ubi unica Missa celebratur pro Processione, dicitur Missa Rogationum cum commemoratione S. Marci. *Credo* et tertia oratio non dicitur: Sed dicitur ne in hac Missa, in qua dupl. II cl. commemoratur, oratio ab Ordinario imperata?

Resp. Negative, quia Missa in casu omnes compossibiles qualitates induit duplicis simplificati, quod in ipsam influit. Ita in regulis quae traditae sunt pro occasione XL Horarum, cavetur ne diebus impeditis fiant commemorationes, neve dicantur collectae imperatae, v. gr. feria IV Cinerum, quia in casu Missa induit praerogativas Missarum solemnium pro re gravi.

II. Ubi est Titulus Ecclesiae Nativitas B. M. V. celebratur hoc festum ritu dupl. I cl. et Lect. 9 et commemoratio S. Hadriani omittitur; unde sumenda est Lectio 9 in hoc casu, vel quo modo Lectio dividitur?

Resp. Iuxta sententiam cl. A Carpo (Compendiosa Bibliotheca Liturgica, p. IV, n. 181), octava lectio desinit ad verba *sedem tuam,* et nona incipit ad *Iudas autem.* Iuxta au-

tem nonnullas Breviarii editiones, desinit octava ad *Zaram de Thamar,* et incipit nona ad *Notandum, in genealogia.* Sed, uti legenti patet, melius abrumpetur octava ad *sedem tuam,* quia verba quae subsequuntur, scilicet *Iudas autem*, sunt textus evangelicus, qui, non cum praecedenti commentario relationem habet, sed cum sequenti, scilicet *Notandum* etc.

III. In oratorio monialium potest in Altari Ss. Sacramentum exponi feria VI in Parasceve ad adorandum (in Ecclesiis iuxta antiquam consuetudinem erigitur S. Sepulcrum)? In dicto sacello nullae caeremoniae peraguntur. Et potest hoc fieri ex permissu Episcopi? Puto haec omnia sunt iuxta rubricas impossibilia.

Resp. Consuetudo, de qua in dubio, sustineri nequit, quia repugnat legibus Ecclesiae universalis, et non admittitur neque a locali usu, cui R. Inquirens innuit. Episcopus ceterum nequit, uti notum est, aliquid de S. Liturgia, praesertim in re tam gravi, immutare vel introducere.

IV. Missae de requie cantatae sunt fundatae, sed dies pro celebrandis his Missis non est determinatus; sunt ad libitum celebrantis, ita ut hoc anno illa die, alio anno altera die iuxta libitum celebrantis cantentur. Quia certo diei non sunt determinatae, possunt tantum cantari diebus, quibus per rubricas Missae pro Defunctis sunt permissae. Quando haec Missa pro Defunctis fundata non certo diei determinata cantatur, dicitur Missa quotidiana an in anniversario? Et dicitur una oratio an tres?

Resp. Distinguendum est; si eiusmodi Missae habentur semel in anno, deberent fere considerari uti anniversaria late sumpta, et tunc gauderent privilegiis anniversariorum, non quidem circa extrinsecas, ut ita dicamus, praerogativas, videlicet, ut dicantur in duplicibus, sed intrinsecas, scilicet ut habeant unicam orationem; ideo diximus *fere* esse consideranda uti anniversaria late sumpta; si vero pluries in anno, scilicet pro eadem vel iisdem personis, semel rationem haberent anniversarii, ut supra, aliis vicibus essent quotidianae.

V. Titulus Ecclesiae est S. Dionysius Ep. M. (die 9 Oct.). Socii eius sunt separandi, et celebrantur alio die sub ritu semiduplici. Quae Lectiones II et III Nocturni, oratio ac Missa sunt pro S. Dionysio, et quae pro Sociis eiusdem.

Resp. In festo S. Dionysii certo certius dicendae sunt lectiones historicae prouti prostant in Breviario, sunt enim, uti cuique patet, inseparabilia verba quae Socios respiciunt, et nullimode distrahunt a subiecto principali, sunt insuper brevissima.

Etiam lectiones III Nocturni videntur electae esse tamquam maxime congruentes S. Dionysio, ita ut non conveniat eas immutare.

Quod orationem attinet, nos quidem putamus, non esse variandam, sed si quis putaret, nomina Sociorum nimis a solemnitate distrahere, posset supprimere comma: *quique illi... dignatus es.* Ceterum habemus exemplum primae sententiae favens in festo S. Monicae, in cuius oratione post insertum nomen filii sui Augustini, dicitur: *da nobis utriusque interventu* etc. Hinc instamus pro prima sententia; nimis insuper arbitraria videtur suppressio verborum, quae referuntur et ad S. Dionysii ipsius praedicationem.

Missa de S. Dionysio erit *Statuit* de Communi unius Martyris cum orationibus, epistola ac evangelio de die 9 octobris.

Quod Socios spectat, in II Nocturno sumentur lectiones de Communi plurimorum Martyrum, primo loco, in III legentur eaedem ac die 9 octobris, scilicet de tertio loco, utpote congruentes hisce Sanctis, sicut S. Dionysio. Oratio erit *Deus, qui nos concedis* de Communi.

Missa vero erit *Sapientiam* de Communi plurimorum Martyrum, quae indicatur die 9 octobris, cum evangelio ex Missa eiusdem diei 9 octobris.

VI. Hoc anno festum Commemorationis S. Ioseph (19 Martii) et Annuntiationis B. M. V. (25 Martii) sunt translata in diem 31 Martii et 2 Aprilis. Potest dici una Missa de Requie in die sepulturae, diebus, in quos haec festa sunt trans-

lata; an prohibita est diebus, quibus occurrunt regulariter i. e. 19 et 25 Martii?

Resp. Regulae, quae ante suppressionem festorum, de quibus in dubio sermo fit, datae erant, immutatae manent; ideo prohibitio Missae exsequialis, praesente physice vel moraliter cadavere, eaedem manent, scilicet ut consideretur adnexa festo exteriori, non vero officio, atque ita vetitum respicit dies respective 19 et 25 eiusdem mensis martii.

VII. Si infra hebdomadam est dies libera ab officio 9 Lectionum v. g. feria 5, Dominica post Epiph. anticipata (excepta Dom. II) ponitur in hanc diem liberam, an tantum in Sabbato commemoratur in officio novem Lectionum?

Resp. Cum Rubrica generalis Breviarii, tit. IV, de Dominicis, n. 5, quae loquitur de anticipanda aliqua ex Dominicis, a tertia ad sextam post Epiphaniam, postquam dixerit: « tunc de ea fit officium in sabbato ante Dominicam Septuagesimae, *ut dictum est supra, numero praecedenti* », non ambigimus, quod omnia quae dicta sunt ibi de Dominica post Pentecosten anticipanda, dicenda sint pariter de aliqua post Epiphaniam, in casu impedimenti ab officio novem lectionum recurrente exorientis. Secus saltem dicere debuisset « de ea fit officium vel commemoratio in sabbato ».

VIII. Officium est de die infra Octavam cum commemoratione festi simplicis. Festum cum Octava celebratum habet *Credo*. Potest dicit Missa de festo simplici ritu festivo i. e. cum *Gloria;* sed quaeritur: dicitur hoc in casu in Missa de festo simplici *Credo*, ratione Octavae?

Resp. Principium est liturgicum, quod in Missa quae celebratur iuxta vel extra ordinem officii, et subit influxum officii alterius, saltem commemorati, omnia dicantur quae talis officii sunt propria, dummodo indoli ipsius Missae non repugnent. Hinc, si v. gr. Missa est de duplici non habente *Credo,* facta tamen in illa commemoratione festi impediti alicuius Ecclesiae Doctoris, huius causa *Credo* assumit, quia Missae de festo non repugnat. Si e contrario agatur Missa v. gr. de feria Quadragesimae cum Doctoris commemora-

tione, tunc *Credo* omittendum est, quia repugnat Missae de dicta feria. In casu autem de quo in dubio, Missa est de festo, cui certe non repugnat *Credo*. Quod fit in Missa festi semiduplicis, si incidit infra aliquam octavam habentem *Credo*, cur fieri nequiret in alia de festo simplici? Non esset ita, si potius quam de Missa de festo, esto simplici, ageretur de Missa votiva nullimode festiva, scilicet neque de festo occurrente, neque de infra octavam festi habentis octavam cum *Credo*. Ratio est quia *Credo* repugnat Missae simpliciter votivae, et non votivo-festivae, qualis est Missa, ut diximus, de simplici occurrente et de infra octavam.

Siquis obiiceret, quod simplex officium est feriale officium, et ideo eius Missa non patitur *Credo*, responderemus negando quod simplex Sanctorum officium sit praecise feriale officium, sed est mixtum, Missa autem est vere de festo et non de feria, et si in casu repugnaret *Credo*, similiter repugnaret *Gloria*, imo a fortiori.

IX. Festum S. Marci occurrit festo Solemnitatis S. Ioseph. Iuxta rubricas festum S. Marci transfertur, sed non transfertur Processio. Pro Processione Rogationum in hac Solemnitate S. Ioseph dici potest Missa Rogationum vel debet dici Missa de festo cum commemoratione Rogationum? Et quid faciendum, ubi unica Missa tantum celebratur et Processio peragitur?

Resp. Iuxta decretum S. R. C. n. 3009, ad I, Missa Rogationum cantari et Processio fieri potest, etiam si occurrat festum duplex primae classis. Ita agendum putamus in casu Missae Litaniarum maiorum die 25 Aprilis, cum eaedem regulae utroque in casu habeantur. Exceptio, quae confirmat regulam, habetur per decretum S. R. C. n. 2942, in quo praescribitur, in ecclesiis ubi unus tantum vel duo Sacerdotes celebrant, Rogationum diebus, seu in festo S. Marci, occurrente festo Patroni principalis vel Titularis, ut dicatur post Processionem Missa de festo cum commemoratione Rogationum. Dubium oriri potest in casu particulari exposito, nempe de festo primario primae classis Ecclesiae universalis,

sed usque dum Auctoritas secus non iudicet, regulis iam datis standum est. Translatio Processionis praescribitur a rubrica Breviarii (die 25 Aprilis) tantum pro die sancto Paschatis. Pro feria II sequenti non fit exceptio nisi ut prohibita censeatur in eam translatio Processionis impeditae die praecedenti, et iubetur quod tunc Processio transferatur ad feriam tertiam subsequentem. Et quidem feria II et III Paschalis sunt festa primaria primae classis Ecclesiae universalis.

X. Die Dominica occurrit Octava dies annivers. Dedicationis Ecclesiae, item occurrit hac Dominica festum Domini, ritu dupl. mai., sed secundarium. Est ne officium de Octava Dedicationis Ecclesiae, an de festo Domini? Puto de Octava ob festum primarium.

Resp. Profecto de Octava, tam ratione primarietatis quam sola ratione diei octavae duplicis maioris, quae, iuxta novam tabellam occurrentiae, praeferri debet etiam duplici maiori primario.

XI. Sabbato fit officium de die III infra Octavam, Dominica sequenti occurrit festum dupl. II cl. Officium est de festo dupl. II cl. cum commemoratione Dominicae et octavae diei. Sabbato Vesperae erunt de festo dupl. II cl. cum commemoratione Dominicae et Octavae. Pro commemoratione Octavae Sabbato dicitur e I Vesperis, an fit commemoratio diei VII infra Octavam? Puto e I Vesperis, quia dupl. II cl. commemorationem praecedentis ritu semiduplici non admittit.

Resp. Recte iudicavit Rev. Inquirens, quia in casu dies octava consideranda est tamquam festum nullam habens relationem cum officio praecedenti, et tamquam si esset aliud quodcumque festum duplex maius vel minus, quod, die dominico occurrens, suam commemorationem obtinet in primis Vesperis, post commemorationem Dominicae.

I. B. M. M.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

(Continuatio, V. n. 5 curr. anni pagg. 310-317)

Notanda in tribus Tabellis

occurrentiae et concurrentiae

3. Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua Festa ipsa, ad quae spectant (1).

(1) Dies octavae, sicut et dies infra octavas, si plures occurrant, praeferuntur inter se, eadem lege, sicut praeferuntur festa ipsa, quorum celebratur octava.

Cum antiqua rubrica (Tit. VII, n. 3) dicat: *fiet de digniori* octava *cum commemoratione alterius,* locus est aliquid hic disserendi de comparativa dignitate octavarum, ut lex eruatur pro praecedentia inter easdem.

Apud melioris notae celebrioresque liturgicos haec, uti canones, habentur circa octavas; scilicet: 1. Octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes octavae pro una festivitate computantur (Rodulphus Tungrensis, propos. 19 et 23).

2. Octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis (Guyetus, lib. IV, c. 6, q. 5, fol. 36).

4. In paritate ritus festi, praefertur octava festi solemnioris (S. R. C. 29 martii, 1760 n. 4286 ant. coll.).

Cognita ergo praecedentia festorum, habebimus quoque praecedentiam octavarum simul occurrentium. Praestantia

vero festi primo desumitur a ritu et classe: hinc octava festi duplicis primae classis nobilior est octava, quae pertinet ad festum duplex secundae classis. Secundo a qualitate primarii prae secundario festo; hinc octava festi primarii praestantior est, ritu et classe paribus, octava festi secundarii. Tertio desumitur ex dignitate personae, ad quam festum pertinet; ut proinde, ritu, classe et primarii vel secundarii qualitate paribus, dignior sit octava festi Domini, quam octava festi Deiparae: dignior octava festi Deiparae, quam octava festi alicuius ex sanctis etc. Igitur, sicut festa duplicia primae classis, quae ab universali Ecclesia celebrantur, primique ordinis dicuntur, ceteris omnibus praestant, ita et eorum octavae. Occurrente ergo ex. gr. die infra octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, cum die infra octavam b. Mariae titularis propriae ecclesiae, agendum erit de octava Apostolorum, cum commemoratione octavae b. Mariae, licet haec dignitate personali sit praestantior.

Similiter, cum festa primae classis secundi ordinis, nempe dedicatio propriae ecclesiae, patronus loci et titulus ecclesiae, praeferantur ceteris duplicibus primae classis, tertii ordinis, licet haec nobiliora sint, dignitate personali inspecta, ita et octavae eorumdem pari ratione praeferendae erunt. Idem dicatur de duplicibus secundae classis, octavam habentibus; octava enim festi secundae classis primarii praefertur octavae festi secundae classis secundarii, ob eamdem rationem, licet festum secundarium sit dignius dignitate personali.

Quando vero agitur de octavis festorum, quae pertinent ad eumdem ritum, classem et ordinem, et ambo sunt primaria, vel secundaria, tunc, sicut festum maioris dignitatis personalis in casu praefertur, ita praeferenda erit eius octava.

Hinc ex. gr. si octavae dedicationis et tituli propriae ecclesiae simul occurrant, cum utrumque festum sit primae classis et secundi ordinis et primarium, ratio praelationis repetenda erit ex maiori dignitate festi. Quoniam vero de-

dicatio est festum Domini, dignius est quam festum tituli, ideoque octava eius in casu cedit octavae dedicationis, prout docet Gavantus (hoc loco, n. 7).

Aliter est dicendum de octava patroni, cuius festum agatur cum feriatione, quia ob honorem feriationis, tunc festo patroni datur potestas ut praevalere possit dedicationi (S. R. C. decr. 4025).

Quod si octavae occurrentes pertineant ad festa in omnibus paria, scilicet eiusdem ritus, classis et ordinis, tunc agendum erit de octava illa, de qua actum est festum anterius. Hinc occurrentibus ex. gr. octavis s. Paschalis Baylon, 17 maii, et s. Bernardini Senensis, 20 maii, quorum festa ambo sint ij classis. fiet de octava primi cum commemoratione secundi.

Eapropter huiusmodi normas prae oculis habeant calendariorum redactores in praeferenda altera octava alteri, quando simul inter se occurrant; et meminerint nobilitatem festi ante omnia esse perpendendam, quae ex ritu, classe, qualitate primarii aut secundarii atque ordine constituitur, et deinde, si ea sint paria, dignitatem personalem. Hoc omnino, in praesenti maxime, certum est, sive rubricis, sive recentioribus decretis inspectis.

Nos quidem non latet, recentiores auctores, ut A Carpo (Biblioth. p. ij, c. 15, n. 191, fol. 288), opinionem sequentes Cavalerii (t. 1, c. 1, decr. 22, n. 15, fol. 37), quem nobis refragantem confitemur, dignitatem octavae non repetere a dignitate festi *extrinseca,* sed contra a dignitate *intrinseca.* Audiatur A Carpo: « Si festa eumdem ritum habent, praefertur octava festi dignioris dignitate insigni (quod verbum aequivalet, in casu nostro, *intrinseca*), tametsi occursus sit cum octavis sanctorum, quorum festa in occursu nulli cedunt, uti sunt festa Assumptionis b. M., Nativitatis s. Ioannis Baptistae, Ss. apostolorum Petri et Pauli, ac Omnium Sanctorum, quia (en in cauda venenum) etsi istorum festa sint privilegiata, non tamen privilegiatae sunt eorum octavae ».

Iuxta ergo citatos auctores, quamquam festa sanctorum digniora dignitate *extrinseca* praeferantur festis Domini, dignioribus quidem dignitate *intrinseca,* eadem praelatione non gaudent eorum octavae. Ideoque, iuxta ipsos, quamquam e. g. festum Omnium Sanctorum praeferendum sit, ex rubrica, dedicationi ecclesiae, octava tamen dedicationis dignior est octava Omnium Sanctorum.

Sed hoc minime concordat cum canonibus in principio prolatis, quod scilicet octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes octavae pro una festivitate computantur, et quod octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis.

(Continuabitur).

Appendix.

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM.

Christiana salutatio sub invocatione Divini Iesu Nominis ampliori Indulgentia ditatur.

Ex audientia Sanctissimi, die 27 martii 1913.

Etsi pervetusta piissima consuetudo, inter christianos plurimis in locis invecta, sese invicem salutandi sub Ss.mi Iesu Nominis invocatione, qua nimirum alter dicit: *Laudetur Iesus Christus*, alter vero respondet: *Amen* vel *In saecula*, aut similiter, iamdiu apostolicae Sedis favorem adepta sit, et Indulgentia quinquaginta dierum per Summos Pontifices ditata; ut tam frugifera praxis impensiori studio, ubi viget teneatur, ubi autem obsolevit restituatur, alibi demum large propagetur; Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, precibus Sibi, occasione sextodecimo recurrentium saecularium solemnium a pace Ecclesiae donata, porrectis benigne annuens, Indulgentiam centum dierum, defunctis quoque adplicabilem, a singulis christifidelibus quoties uti supra se invicem salutaverint lucrandam, largiri dignatus est. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† Dominicus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

II.

DECRETUM

Augentur et extenduntur Indulgentiae pro quadam laude Ss.mi Sacramenti.

Die 10 aprilis 1913.

Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, per facultates infrascripto Cardinali S. Officii Secretario specialiter tributas, benigne concedere dignatus est, ut christifideles, qui laudes et gratiarum actiones erga D. N. I. C. in Ss.mo Eucharistiae Sacramento impendunt, iaculatoria prece quae sic sonat: *Laudetur et adoretur in aeternum sanctissimum Sacramentum*, vel quae in authentica sylloge Indulgentiarum invenitur his verbis expressa: *Sia lodato e ringraziato ogni momento il santissimo e divinissimo Sacramento,* ampliori spiritualium favorum emolumento gaudere valeant, quam antea frui poterant alteram recitantes; videlicet: Indulgentia trecentorum dierum, defunctorum animabus etiam adplicabili, quoties dictam alterutram precem corde saltem contrito recitaverint; plenaria vero, defunctis similiter adplicabili, quatenus per integrum mensem eandem quotidie elicere consueverint, si insuper confessi ad sacram Synaxim accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† Dominicus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

In secunda Dominica post Pascha

(Continuatio, V. num. 6 currentis anni, pagg. 331-338).

§ IV. — De huius solemnitatis cessatione.

Quamvis haec Dominica tot solemnitatis notis fulserit, tamen pedetentim fere (1) omnes amisit, et in communem Dominicarum classem redacta est. Nunc igitur animus sponte sua movetur ad causam inquirendam cur tanta solemnitas defecerit.

Non certo defecit ob causas ipsi solemnitati intrinsecas; non quia ex. gr. vel superflua, vel inopportuna, vel catholicae doctrinae non satis consona; sed desivit ob causas omnino extraneas, et tantum quoad notas extrinsecas. Id bene animadvertere praestat, quia, ex hoc, eius instauratio et restitutio facilior redditur ac fidentius sperari potest.

Duplici itaque de causa, ut scribit Augustinus Patricius Piccolomineus Episcopus Pientinus in sua ad Innocentium VIII epistola, multae liturgicae solemnitates, et potissimum stationales, mutatae fuerunt; et primo « *propter Romanae Curiae crebras apud exteras gentes peregrinationes* », et secundo « *propter varias confusasque scribentium sententias* » (2).

---

(1) Dicimus *fere*, quia neque omnino *omnes*, neque *in totum* praefatae solemnitatis notae cessarunt. Remanet enim, uti iam demonstravimus, stationis inscriptio in libris liturgicis in usum ipsius Vaticanae Basilicae; remanet ipsius stationis privata celebratio; remanet a mane ad vesperum sex cereorum ad Altare confessionis accensio; quae omnia efformant aliquid externum adhuc permanens antiquae solemnitatis vestigium et testimonium.

(2) Mabillonius, *Musaeum Italicum*, T. II, pag. 585, Migne P. L. LXXVIII, 1400. — Epistola data est Romae, Kalendis Martiis 1488.

Haec secunda causa in primam resolvitur, quia scribentium confusae sententiae inde ortae sunt, eo quod veteres liturgici usus, ob longam intermissionem memoria exciderunt.

Quam unicam causam optime exponunt rerum liturgicarum Scriptores, et peculiariter ad stationum celebritates applicant. Eruditus Petrus Morettus ita de his disserit: « Pontificibus Romam saepe diuque deserentibus, ritus omnes, praesertim in stationibus adhibendi, necessario vel penitus cessabant, proptereaque ex hominum memoria evanescebant, vel diversissima ratione exercebantur in Urbe; vel variabantur insigniter pro commoditate Summorum Antistitum extra Urbem, ut plurimum (si placuisset) celebrantium priscas solemnitates intra palatia in privatis sacellis... Ex quibus omnibus factum est ut, restituta tandem Romae Çuria, ritus aliqui nullo modo refloruerint, emarcescente pristinae eorum praxeos recordatione; aliqui tandiu extra Urbem aptati loco, tempori ac necessitati, vel dispari ratione in Urbe frequentati, iamque recentibus scriptionibus cum veteribus pugnantibus, aut novam assumpserint faciem, aut novam assumptam minime deposuerint » (1). Si haec urbanarum consuetudinum iactura, quam melius vocarem subversionem, ex brevioribus Romanorum Pontificum absentiis repetenda est, quanto maior rerum liturgicarum ruina repetenda erit ex illa longiori Avenionensi Romanae Curiae commoratione, quam nonnulli Scriptores Babylonicae transmigrationi compararunt, et ex qua illud diuturnum schisma ortum duxit, quo nihil luctuosius pro Ecclesia cogitari potest? « Tunc sane, prosequitur praecitatus Moretti, periere non pauca sanctissima maiorum instituta, et novi mores confirmati, potissime agendi veteres quamplurimas stationales celebritates intra palatiorum angustias » (2).

(1) Petrus Moretti, *Ritus dandi Presbyterium* papae, cardinalibus et clericis nonnullarum Ecclesiarum Urbis. Romae 1741, pag. 177. — De hoc eruditissimo rerum liturgicarum Scriptore, Cf. Hurter *Nomenclator*, Oeniponte, 1910, T. IV, pag. 1321, Auctoresque ibi citati.

(2) Petrus Moretti, l. c. pag. 178. — Ex celebratione veterum solemnitatum in capellis palatinis factum est, ut nomen *Capellae* trans-

Petri Moretti sententia communis dicenda est inter rerum liturgicarum historicos (1): et in hoc omnes conveniunt, quod veterum rituum in celebrandis potissimum stationibus desuetudo inceperit, cum Romani Pontifices frequentius et diuturnius abesse coeperunt. Id procul dubio factum est saeculo XIII, post mortem Gregorii IX, quae contigit anno 1241; a quo tempore usque saltem ad Bonifatii VIII electionem, anno 1294, variis de causis Romani Pontifices ab Urbe frequentissime et diuturne abfuerunt. Tempore Innocentii IV Urbs novem continuis annis sine Pontifice remansit. Post Alexandrum IV duo Pontifices, Urbanus nempe IV et Clemens pariter IV, qua Pontifices, numquam Romae fuerunt, et dein tum ob profectionem B. Gregorii X ad Concilium Lugdunense, tum ob longiores Romanae Sedis vacationes, tum ob politicas contentiones, Urbisque populares seditiones, aliis quindecim annis, paucis interiectis mensibus, Romae Pontifices non fuerunt (2). Sequuti sunt deinde Pontifices valde senes et infirmi, qui brevi mortem obiere (3).

---

ierit ad ipsam solemnitatum celebrationem indicandam. *Capellae* distinguebantur in *Papales* et *Cardinalitias*, prout sacra mysteria adstante Summo Pontifice vel solis Cardinalibus celebrabantur. Videsis DU CANGE *Glossarium*, V. *Capella*. — MORONI, *Dizionario* ecc. V. *Cappella*, ubi argumentum scite et erudite pertractatur.

(1) Cfr. GUÉRANGER, *Institut. Liturg.* Paris 1878, pag. 348. — DE ROSSI, *Roma Sott.* T. III, pag. 528 et ss. — BAUMER, *Historie du Bréviaire*, Paris, 1905, T. II, pag. 87. — GRISAR, *Roma alla fine del mondo antico*, Roma 1908, pag. 670.

(2) Qui velit exactam notitiam de Romanorum Pontificum itineribus, et per consequens etiam de eorum ab Urbe absentiis sibi comparare, consulat *Regesta Pontificum Romanorum* per Iaffé et Augustinum Potthast edita Berolinii 1874-75, in quibus locus subscriptionis omnium Pontificum documentorum indicatur. Ex his Mas Latrie Pontificum itineraria confecit in suo opere: *Trésor de Chronologie* etc. Paris 1889. Quoad absentias, de quibus nunc loquimur, cfr. ibi col. 1117 et ss.

(3) Post Gregorium X fuerunt tres Pontifices, videlicet Innocentius V, Hadrianus V, et Ioannes XXI, qui paucis tantummodo mensibus Ecclesiam rexerunt.

Cum vero Pontifices extra Urbem morabantur, apud se totam quoque Curiam, Cardinales nempe et Praelatos habebant; et sic inter mala, quibus Urbs opprimebatur, hoc quoque addendum, ut Pastoris sui praesentia, ac nobilioris Cleri sui parte privaretur.

His in adiunctis factum est, ut sacrae solemnitates, potissimum quae in vaticana Basilica celebrabantur, maiori suo destitutae decore, nempe Summi Pontificis ac Cardinalium praesentia, languescerent; et quaedam, uti haec nostra, in desuetudinem abirent (1).

Quid enim moris fuerit tunc temporis cum Pontifex a solitis celebrandis solemnitatibus impediretur, traditum habemus in *Ordine Romano XIV* his verbis: « Quamvis consueverint Romani Pontifices istas solemnitates superius (2) dictas observare (inter quas hanc quoque nostram signatam vidimus), si tamen sint impediti ex debilitate vel alia rationabili causa, possunt ipsas omittere » (3). Numquam forsan Romani Pontifices debilitate, infirmitatibus aliisque causis impediti fuerunt, quominus consuetas solemnitates celebrarent, sicut in praenotato temporis spatio.

Ex hoc etiam intelligitur, cur quarumdam stationum inscriptio in libris liturgicis pedetentim disparuerit. Tunc enim stationis inscriptio erat pro totius Urbis Clero et populo invitatio ad solemnitatem: cum autem solemnitas non amplius

(1) Doctissimus Garampi rationem reddit cur in saeculo XIV stationum solemnitas non amplius celebraretur, dicens:... « Gli *Ordines Romani* di Gaetano e dell'Amellio non fanno più menzione delle stazioni, e quindi bisogna dire che fossero intermesse nell'assenza da Roma della sede Apostolica, e per conseguenza anche dalla Scuola dei Cantori e dai principali del Clero ». *Memorie Ecclesiastiche appartenenti all'istoria ed al culto della B. Chiara di Rimini*. Roma 1755, pagg. 202, 203, nota *c*.

(2) Cfr. quae supra, pag. 333, n. 4, exposuimus, et loca ibi citata.

(3) Migne P. L. LXXVIII, 1225. — Mabillonius l. c. pag. 381. — Verum est quod deinde prosequitur: « et consueverunt quandoque committere alicui Episcopo vel Presbytero Cardinali, quod celebret et sermonem faciat in Ecclesia cuius festum est ». Hic profecto non est sermo de festis stationalibus in Basilica Vaticana, nec alibi celebrandis.

celebraretur, aut celebrari non posset; inutilis, immo impropria evasit invitatio, ac proinde deleri debuit. Et sic quaedam stationum inscriptiones disparuerunt; non ideo tamen stationes omnino cessarunt, sed saltem in libris ad ipsius Basilicae usum, inscriptio perseveravit, ac stationes a Clero ibi ministrante celebrari numquam desierunt.

Eodem modo, quo haec nostra, desierunt in Basilica Vaticana: *a*) Statio in Nativitate Domini ad tertiam Missam, quae « propter parvitatem diei et difficultatem viae » (1), ad S. Mariam Maiorem quoad solemnitatem translata fuit, ubi celebrabatur, uti nunc etiam, statio ad primam Missam: — *b*) Dominica prima Quadragesimae, quo die statio solemnis est ad S. Ioannem in Laterano; — *c*) In festo utriusque Cathedrae S. Petri; — *d*) In Octava SS. Apostolorum Petri et Pauli; — *e*) In festo S. Andreae Apostoli (2). Harum quoque inscriptio in Missali Romano ab eo tempore disparuisse videtur.

Quidam Scriptores, uti Panvinius (3), has stationes *obsoletas* dixerunt, sed Adnotator Bullarii Basilicae Vat. monet quo sensu statio *obsoleta* appelletur. Stationem in Nativitate Domini dicit *obsoletam* vocari, « quatenus desiit celebrari iuxta antiquum ritum ». Et subiungit eam adhuc permanere cum ceteris a Mallio memoratis, nempe inter septem nocturnales: *Festivitate S. Petri et Octava eius, ac Festivitate S. Andreae:* et inter diurnas *Dominica Ego sum Pastor Bonus* se-

(1) Ita *Ordo Romanus XI*, Mabillonius, *Musaeum Ital.* etc. pag. 126. — Migne P. L. LXXVIII, 1032. Ibi viae indicantur percurrendae a S. Anastasia, ubi est statio ad secundam Missam, ad Basilicam S. Petri, « ubi est statio, et ibi honorifice cantatur Missa cum omnibus Ordinibus Palatii, sicut decet; et debet ibi accipere coronam in capite suo, et per mediam Urbem cum Processione redire ad Palatium, perficere festum coronae ».

(2) Cfr. *Ordo Divini Officii* etc. ad usum Basilicae Vaticanae pro anno 1913, pag. 117. Recensio ibi exhibita stationum quae in Basilica Vaticana celebrantur, vetustissima est: iam invenitur in Ordine divini Officii pro anno 1610.

(3) Panvinius *De Stationibus Urbis Romae libellus.* Ad calcem Historiae Platinae *de vitis Pontificum* etc. Coloniae 1574, pag. 102-103.

cunda post Pascha, *in Dedicatione Ecclesiarum Apostolorum Petri et Pauli, et in Cathedra S. Petri* (1).

Quo proprio tempore huius potissimum nostrae stationis solemnis celebratio desierit, colligitur ex duabus Constitutionibus, quibus Indulgentiae Basilicam Vaticanam visitantibus, quibusdam diebus festis conceduntur. Datae fuerunt hae Constitutiones a Nicolao IV, sub diebus 24 et 25 Februarii 1289 (2). In his, dum plura festa nominatim exprimuntur, Dominica secunda post Pascha omittitur.

Cum Indulgentiae concessae fuerint, ut Basilica populi frequentatione, diebus saltem solemnioribus, honoraretur (3), si illius Dominicae mentio omittitur, arguendum est, ipsam iam iam memoria excidisse, et in desuetudinem prorsus abiisse. Et id eo magis suadetur, quod paucos ante annos (annis scilicet 1277, 1279 ac 1286) Ioannes XXI, Nicolaus III (4) et Durandus (5), uti vidimus, de ea explicitam mentionem fecerunt.

Decennio, quod interfuit inter Nicolaum III et Nicolaum IV, nostrae stationis desuetudinem et oblivionem consummatam fuisse, aliquatenus etiam huius temporis conditiones innuunt. Nam post Nicolaum III († 1280), electus fuit a. 1281 Martinus IV, qui numquam, qua Pontifex, Romae fuit. Hoc vita functo (28 Martii 1285), die 22 Februarii 1288

(1) *Bullarium Basilicae Vaticanae,* T. III, pag. 362.

(2) *Bullarium Basilicae Vaticanae,* T. I, pagg. 213-214 — Utraque exorditur: « *Ille qui solus* ». Harum altera est veluti prioris appendix et supplementum. — Quamvis haec nostra Statio in neutra Constitutione nominatim exprimatur, videtur tamen comprehendi in generali clausula, quam habet posterior, quae ita sonat: « In singulis diebus quibus est Statio in ipsa Basilica *ordinata*..... duos annos et duas quadragenas de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus ». Bull. cit. pag. 215. Perpendatur verbum *ordinata,* quod iam supponere sinit stationes *ordinatas* seu statutas, quamvis non *celebratas.* Quas inter et nostra ex tunc recensita videtur.

(3) Cfr. *Bull.* cit. pag. 214.

(4) Cfr. *Bullarium Basilicae Vaticanae,* T. I, pagg. 165, 186.

(5) Circa annum 1286 videtur scripsisse opus, cui titulus *Rationale Divini Officii:* cfr. pagg. 743 et 750, edit. Neap. 1859.

creatus fuit Pontifex Nicolaus IV; at, podagrae morbo affectus semper fuit, et manibus pedibusque ita impeditus, ut celebrare non posset nisi cum quibusdam instrumentis (1). Tenendum est id maxime contulisse ad papales stationes minuendas ac propterea factum esse ut haec nostra, iam sat frequenter ob Pontificum absentias intermissa, non amplius revixerit; eiusque indicatio in libris liturgicis ad totius Ecclesiae usum omissa fuerit.

Praeter Romanorum Pontificum ab Urbe absentiam, aliae causae quoque ad nostrae aliarumque stationum intermissionem contulerunt, seu potius effecerunt, ne, semel intermissae, resumerentur; inter has, sequentes simpliciter indicamus.

a) Haec nostra statio, sicut illae quas supra recensuimus, ita propriae Summi Pontificis habitae sunt, ut ab eo dumtaxat solemniter celebrari, congruum putaretur; habent enim arctissimam habitudinem cum eius persona, et eas *stricte* papales superius vocavimus. Delegatus, sive Episcopus, sive Cardinalis numquam cum eo decore et significatione celebrare eas potuisset, sicut Summus ipse Pontifex. Ideo congruentius putatum est eas omittere, seu privatim celebrare.

b) Solemnis praefatarum stationum celebratio ad Altare *maius* seu *Confessionis* fieri debuisset. Ast ad hoc altare, nonnisi per indultum Apostolicum, cuiquam licuit et licet celebrare. Ne autem concessio nimis ordinaria et habitualis fieret, satius iudicatum fuit solemnitatem omittere (2).

c) In *Ordine Romano XV*, Cardinales improbantur ob Missam solemnem absente Papa celebratam. Res ita enarratur: « Domini Cardinales in die Corporis Christi voluerunt audire magnam Missam cum sermone in magna capella,

---

(1) Raynaldi, *Annales* ad a. 1285, XIV. In edit. Lucensi 1748, T. III, pag. 597. — Nicolaus IV obiit 4 aprilis 1292.

(2) Exempla concessionum celebrandi ad Altare Maius in Basilicis Patriarch. Romae, habentur in *Bullar. Basilicae Vat.* T. 1, pag. 335; vol. II, pag. 102; vol. III, pagg. 50 et 72. Recentissime ampla huiusmodi concessio facta est. Cfr. *Acta Apost. Sedis*, V. V, pag. 151.

Papa absente, contra mores Romanae Ecclesiae. Cardinales enim nec in Conciliis, nec in Missis debent congregari sine licentia Papae... Caveatis ne trahatis in consuetudinem, quia contra statum et honorem Romani Pontificis est » (1).

d) Id quoque addendum, quod cum Pontifices pluribus negotiis in Ecclesiae regimine in dies gravarentur, et aliunde ordinarie essent aetate provecti et non satis firma valetudine, ipsis onus solemnitatum celebrandarum congrue minutum fuit.

Huius igitur nostrae stationis cessatio, pro ea parte, qua cessavit, causis omnino extrinsecis adscribenda est, inter quas potissimum temporum calamitas. Eo prope modo cessavit, quo hac nostra aetate illas solemnium sacrorum mysteriorum celebrationes, quas *capellas papales* vel *cardinalitias* vocant, intermitti et in desuetudinem abire iam vidimus, quarum intermissio nonnisi temporum calamitati est tribuenda (2).

Sed super omnia interest huius stationis obiectum declarare.

(1) MABILLONIUS, *Musaeum Ital.* pag. 513-514. — MIGNE P. L. LXXVIII, 1339.

(2) Auctor libelli cui titulus: *L'année Liturgique a Rome:* Romae 1902, in *Avant-Propos*, affirmat: « Les événements politiques ont eu leur contre-coup sur la vie religieuse de Rome. Tandis que les manifestations anticléricales peuvent se développer librement, les cérémonies exterieures du culte catholique sont entravées, ou interdites: plus de processions du T. S. Sacrement, plus de prédications au plein air... plus de grandes cérémonies papales dans les basiliques... Inutile de dire, par exemple, quelles étaient autrefois les chapelles papales ou cardinalices etc. » — De tot *Capellis papalibus*, quae olim celebrabantur (cfr. MORONI, v. *Cappelle*) duae tantummodo remanent, de quibus cfr. *Acta Apostolica Sedis.*, Vol. V, pag. 21.

Praxis liturgica

DE REQUISITIS AD MISSAE CELEBRATIONEM.

I. — De loco et tempore Missam celebrandi.

1. *Iure communi et ordinario.* Missa celebranda est in ecclesia vel oratoriis publicis, ab habente auctoritatem consecratis vel saltem benedictis, dummodo non sint interdicta, nec polluta, nec execrata (1). — Nomine *Ecclesiae* intelligitur sacra illa aedes quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat (2). — *Oratoria publica* sunt, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta, vel etiam solemniter consecrata, ianuam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum (3).

2. Ordinarii *iure proprio* facultatem celebrandi in Oratorio *semipublico* concedere valent. « Oratoria *semipublica* ea sunt, quae etsi in loco quodammodo privato, vel non abso-

(1) Conc. Trident. Sess. XXII, decr. *de observ. et vitand. in celebrat. Mis.* et Const. Bened. XIV « *Magno* », d. 2 Iunii 1751.

(2) S. R. C. 22 Iunii 1855 ad 3, n. 5215 *Gardell.*

(3) S. R. C. 23 Ian. 1889, n. 4007. — Quoad erectionem Oratorii *publici* a Regularibus probabilius observandae sunt Constitutiones Pontificiae pro erectione domus religiosae stabilitae. Quando tamen Regularibus conceditur licentia erigendi novam domum seu conventum, eo ipso ecclesiam vel oratorium publicum construere et aperire possunt (Cfr. P. Victorii *Comp. Iur. Reg.*, q. 657). — Superiores Regulares possunt, sine Ordinarii loci licentia, solemniter benedicere suas ecclesias et oratoria (Leo X, Const. *Religionis suadet;* cf. P. Victorii *Man. Liturg.*, t. I, p. 31).

lute publico, auctoritate Ordinarli (1) erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt. In his, sicut, auctoritate Ordinarii, Missae Sacrificium offerri potest, ita omnes, qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent » (2). Talia sunt oratoria Seminariorum, Communitatum religiosarum, nosocomiorum, carcerum, atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam (3). Insuper ex iustis et rationabilibus causis, per modum actus, Ordinarii permittere possunt, ut SS. Missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatis aliis de iure servandis (4).

---

(1) Regulares proprie dicti in suis conventibus et domibus erigere possunt plura oratoria quae pro Missis quotidie celebrandis ob necessitatem vel utilitatem Superiores Generales aut Provinciales adprobaverint, quin audiatur Episcopus loci, iuxta Decr. n. 4007 (S. R. C. 10 Nov. 1906, n. 4190.)

(2) S. R. C. 23 Ian. 1899, n. 4007.

(3) An haec ultima verba intelligi possint de quibuscumque fidelibus, qui, assentiente domino loci, et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta Oratoria, pro audienda Missa etiam in adimplementum praecepti festivi, iuxta S. R. C. 3 Aug. 1901 (apud Ephem. Liturg. Vol. XVI, p. 1), dubitari potest; quia Decr. e Collect. Auth. exulavit.

Quoad oratoria *stricte privata*. quae in privatis aedibus in commodum alicuius personae vel familiae ex indulto S. Sedis erecta snnt, cf. *Normae pro concessionibus communibus Oratorii privati, suarumque extensionum*, emanatae a S. Congr. de Sacramentis, d. 7 Febr. 1909, apud Ephem. Liturg., 1910, p. 132. — Haec oratoria nequeunt consecrari vel solemniter benedici, sed ea tantum formula benedicuntur quae pro domo nova aut loco in Rit. Rom. habetur (S. R. C., 5 Iunii 1899, Decr. gen., VI, n. 4025). — Hodie Indultis oratorii privati intelligitur inclusa facultas S. Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus, qui Sacrificio Missae assistunt, salvis iuribus parochialibus (Decr. *Urbis et Orbis*, S. R. C. 8 Maii 1907, n. 4201).

(4) S. C. de Sacram. 23 Dec. 1912 ad 9, A. A. S., IV, 725.

3. Dicitur supra *iure ordinario*, quia in casu gravis et urgentis necessitatis licet celebrare etiam *sub dio*, in tentoriis, et alio quovis decenti loco, cum e. gr. deest ecclesiarum copia et urget praeceptum celebrationis vel audiendi Sacrum; itidem tempore pestis, belli, persecutionis, etc. (1). In his tamen casibus, si Ordinarius adiri possit, eius licentia postulanda est (2). — Sine speciali indulto Apostolico non licet Missam celebrare *supra mare in navibus*, quod non conceditur, nisi sub conditionibus, quod mare sit tranquillum, adsit Sacerdos vel Diaconus ad tenendum calicem, et, si in navi non habeatur capella propria vel altare fixum (3), ne locus ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum praeseferat; quod certe eveniret, si in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis (4). Hoc indultum non comprehenditur in sola facultate Missionariis concessa celebrandi Missam *quocumque loco decenti* (5).

4. Ecclesiae et oratoria publica, etiam Regularium, a solo Episcopo dioecesano *consecrari* debent. Episcopus extraneus non potest licite, quamvis valide, Ecclesiam consecrare absque licentia Ordinarii loci (6). — Ecclesia *execrata*, quoad reconciliationem, iterum consecranda vel benedicenda est iuxta ritum et formam pro consecratione vel benedictione ecclesiae praescriptam. — Ecclesia *polluta*, si fuerit tantum *benedicta*, reconciliari potest per simplicem Sacerdo-

(1) Gardell. in not. ad Decr. S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 4788.

(2) A A.

(3) Capella in navibus erecta, pro Sacro litando, si locum fixum habeat, uti publica pro navigantibus habenda est; secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti altare portatile (Decr. S. R. C. 4 Mart. 1901 ad V, in *Vicen*, n. 4069.)

(4) S. C. de Prop. Fide, 1 Mart. 1902, apud Ephemer. Liturg., vol. XVI, p. 484. — Per hoc decretum tamen non absolute celebratio *in cellulis* prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula (Declaratio eiusdem S. Congr. 13 Augusti 1902, ap. Ephem. Liturg., vol. XVII, p. 596.)

(5) Cit. Decr. S. R. C. 1 Mart. 1901, ad I-IV.

(6) Bened. XIV, Const. « *Ex tuis* », § 9, d. 16 Nov. 1758.

tem ad hoc ab Episcopo delegatum (1), iuxta ritum praescriptum in Rit. Rom., quin in casu necessitatis necesse sit ut aqua ab Episcopo sit benedicta. Si vero ecclesia fuerit *consecrata*, reconcilianda est per Episcopum Dioecesanum vel ex eiusdem consensu ab alio Episcopo, vel per Sacerdotem ex privilegio Pontificio, quale Superiores Regularium habent pro suis ecclesiis (2), utendo ritu Pontificalis Rom. cum aqua ab aliquo Episcopo ad hunc usum benedicta.

5. Missa celebrari potest omnibus diebus, excepta Feria VI in parasceve, in qua omne Sacrificium est interdictum, et Feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto, in quibus Missae privatae prohibentur. — Si in Feria V in Coena Domini occurreret Festum quod feriationem adnexam habet, et in quo populus Sacro interesse tenetur, in tali casu providendum est per Ordinarios locorum, ut ante celebrationem Missae solemnis seu conventualis celebrentur tot Missae privatae quot requiruntur ut populus satisfacere possit obligationi Missae audiendae (3). Hoc tamen non est extendendum ad loca in quibus desit obligatio audiendi Sacrum (4). — In ecclesiis Regularium, ubi functiones maioris Hebdomadae fieri nequeunt, ne quidem iuxta parvum Memoriale

(1) Bened. XIV, *De Synod diœc.*, l. 13, c. 15, n. 2, cum aliis negat Episcopi delegationem ad hoc praerequiri, et eorum opinio saltem in casu urgentis necessitatis in praxim deduci potest. S. R. C. tamen declaravit ad dubium: Utrum simplex Sacerdos possit iure suo ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, reconciliare sine ulla Ordinarii sui delegatione? » — R. « Negative, et servetur Rituale Romanum tit. VIII, cap. 28 (D. 8 Iunii 1904, n. 4138).

(2) Const. *Dudum* Iulii II, et Const. *Religionis* Leonis X (Bull. Cap. VI, 217).

(3) Bened. XIV, *Instit. Eccles.*, XXXVIII, n. 10. — Non tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Missa Solemni eius diei omittatur. S. R. C. Decr. gen. 13 Sept. 1692, n. 1883, et 12 Sept. 1716, n. 2240.

(4) S. R. C. 26 Sept. 1868, n. 3179; 27 Maii 1876 ad 1, n. 3400, et 18 Aug. 1879 ad 2, n. 3503.

Benedicti XIII, Superior Missam privatam celebrare potest in privato oratorio hac Feria V ad ministrandam Religiosis Communionem: et, si desit oratorium, hoc fiat in Ecclesia ianuis clausis (1).

6. Missae privatae celebrari possunt quacumque diei hora, ab aurora usque ad meridiem. Aurora non est physice sumenda, sed moraliter et politice, quando scilicet terminari solet hominum quies et inchoari labor iuxta probatam regionum consuetudinem (2). Sicut autem aurora, ita et meridies eodem modo intelligendus est. — Toleratur etiam anticipatio tertiae horae partis post meridiem (3). — Regulares ex privilegio Missam celebrare possunt una hora ante auroram ac una hora post meridiem, i. e., una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum (4). Hoc privilegium censetur *personale*, ita ut Regulares eo ubique uti possint, et *locale*, cum etiam Sacerdotes saeculares in ecclesiis Regularium eo frui possint.

7. Missa solemnis Nativitatis Domini celebrari potest media nocte (5); non autem licet sine speciali indulto Apostolico hac nocte celebrare Missas privatas, nec S. Communionem distribuere (6). — Pius Pp. X autem *Motu proprio*, d. 1 Aug. 1907, sequens privilegium concessit: « Ut in omnibus et singulis sacrarum Virginum monasteriis, clausurae, legi subiectis, aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales

---

(1) S. R. C. 31 Aug. 1839 ad 2, n. 2799.

(2) S. R. C. 2 Nov. 1634, n. 614.

(3) Uti constat ex edicto Bened. XIII et Clementis XII apud Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, XII, n. 4.

(4) Const. *Quanta* Gregorii XIII, 7 Maii 1578.

(5) Ante mediam noctem hanc Missam inchoari non licet. Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, XIII, n. 2.

(6) S. R. C. 14 Nov. 1676, n. 1584; 13 Mart. 1686, n. 1761; 3 Dec. 1701, n. 2086, et 18 Sept. 1781, n. 2520.

Missae, vel etiam pro rerum opportunitate una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus, ad praecepti satisfactionem, valere, eadem Sanctitas Sua expresse declarari mandavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus » (1). Praedictum indultum non importat facultatem tres Missas vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis oratoriorum ianuis;* Nec indultum oratoriis concessum extendi potest ad *ecclesias* Religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt, salvo tamen Religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi (2).

II. — **De Altari eiusque ornamentis.**

8. Altare (ab *alta ara*) in quo SS. Missae Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo. a Cardinali, sive ab Abbate facultatem a Sede apostolica habente consecratum: vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel alio ut supra, consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut Hostiam et maiorem partem Calicis capiat (3).

9. Altare potest esse *fixum* seu immobile, vel *portatile* seu mobile. *Fixum* dicitur si mensa lapidea cum stipite similiter lapideo ita coniungitur ut mensa et stipes quid unum efficiant. Mensa absolute constare debet unico et integro lapide (4); pro stipite sufficere possunt quatuor columellae in angulis, dummodo et hae sint ex lapide et talem soliditatem exhibeant, qua altare nullimode moveri possit (5). — Altare *portatile* seu ara, est simplex lapis con-

(1) Apud Ephem. Liturg., an. 1907, p. 519.

(2) S. C. S. Off. 26 Nov. 1908 (Vermeersch, *Period.* t. 4, p. 311).

(3) Rubr. gen. Missal. XX (DD. Cardinalibus episcopali charactere destitutis recentissime concessum est).

(4) S. R. C.. 10 Nov. 1906 ad 1, *Ratisbon.,* n. 4191.

(5) S. R. C. 6 Nov. 1908 ad 1, *Andrien.;* n. 4225. — Eo in casu unctio Chrismatis, in modum Crucis, fiat in fronte, seu in

secratus, qui absque nexu mensae sive ligneae, sive ex alia materiae confectae, inseritur (1). Altaria portatilia quae sunt ex lapide, non quidem marmoreo, sed duro et compacto, idonea pro Sacrificio haberi possunt; non vero ea quae ex lapide pumiceo sive ex gypso constant. Insuper lapides sacri, quorum sepulcrum, non in medio, sed in eorum fronte effossum fuit, in posterum non sunt admittendi (2).

10. In altari sive fixo sive portatili, in parte superiori mensae seu arae, ante medium, sit sepulcrum Reliquiarum, quod post reconditas in eo Reliquias parvo lapide ab ipso Episcopo infra consecrationem coemento est claudendum. — Pro valida consecratione altaris sive fixi sive portatilis sufficit ut in sepulcro includantur Reliquiae unius Martyris cum vel sine SS. Confessorum aut Virginum Reliquiis (3). In sepulcro altaris *fixi* clauduntur Reliquiae in capsula quadrata cum operculo simili ex lamina plumbea vel argento; sit tam ampla ut SS. Reliquiae, grana tria incensi et instrumentum consecrationis in pergamena charta scriptum capere valeat, et suo operculo clausa ac sigillo episcopali munita in sepulcro facile recondi possit. — In sepulcro vero altaris *portatilis* reconduntur Reliquiae (non praescribitur vasculum) et tria grana thuris, clauditur ab Episcopo mediante coemento ad hoc benedicto (ritu pro altaris fixi Consecratione

---

medio spissitudinis anterioris mensae (Decr. mox cit. ad 2) — Non potest consecrari ad instar altaris fixi, cuius mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus, subtus vero et a parte posteriori vacuum et apertum est *ad recipiendam arcam ligneam, quae inservit paramentis asservandis* (S. R. C. 20 Dec. 1890, n. 3741); si ad hunc usum non sit destinatum, illud consecrari potest (S. R. C. 6 Nov. 1908 ad 1, n. 4275.)

(1) Ut indultum altaris *privilegiati* obtineri possit, fixum sit oportet, eo tantum sensu quod sit inamovibilis et alicui mysterio vel sancto specialiter dicatum, etiamsi sit ligneum cum sola ara in medio et muro minime firmatum. S. C. Indulg. 18 Iulii 1902, apud Ephem. Liturg., an. 1903, p. 136.

(2) S. R. C. 13 Iunii 1899, n. 4032.

(3) S. R. C. 16 Febr. 1906 ad 3, *Vilnen.*, n. 4180.

praescripto) cum parvulo claustro lapideo. Sigillum Episcopi super parvum sepulcrum apponi non debet (1). Et si agatur de pluribus altaribus portatilibus conse crandis, satis est ut Episcopus liniat coemento labium sepulcri unius arae, et assistentes Sacerdotes eodem modo reliquas claudant. Quando in altari lapis sepulcri firmus non invenitur, sed certo constat numquam fuisse amotum, Episcopus potest per se (vel per alium, si obtinuerit facultatem subdelegandi), quin lapis amoveatur, firmare novo addito coemento, prius iuxta Pontificale Rom. benedicto (2).

11. Altare tam fixum quam portatile consecrationem amittit, si sepulcrum aperiatur, si huius operculum frangatur, si lapis enormiter frangatur ita ut una ex crucibus sacro oleo delibuta separetur, et insuper quoad altare fixum, si mensa a stipite amoveatur, etsi tantum pro una alterave causa sublevetur (3).

12. Execrato altari fixo, si commode consecratio denuo peragi nequeat, parvus lapis rite consecratus in medio mensae collocetur ad instar altaris portatilis (4). Quod si agatur de ecclesia consecrata et nullum altare remaneat fixum consecratum, aliud altare, etiam minus principale (5), quam primum fieri poterit, rite consecretur.

13. Altaris planities seu mensa altaris, praeter *Chrismale* seu pannum lineum ceratum ad mensuram altaris factum (6), « operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis (7), superiori saltem

(1) S. R. C. 10 Maii 1890 ad 3, n. 3726.
(2) Ita plura Decreta et AA.
(3) Ex pluribus Decretis S. R. C.
(4) S. R. C. 10 Nov. 1906 ad 1, n. 4191.
(5) S. R. C. 31 Aug. 1872 ad 1, n. 3269.
(6) Pontific. Rom. p. 2, tit. 2, § 76.
(7) Superiores Regulares possunt *pro earumdem Fratrum usu tantum* ecclesias, coemeteria et oratoria ubicumque existentia, ac paramenta et ornamenta, et alia quaecumque ad divinum cultum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit, solemni benedictione benedicere (Leo X, Const. *Religionis suadet*, Bull. Cap. VI, p. 117. V. P. Vict. *Man. Liturg.*, t. I, p. 31, not. (5)).

oblonga, quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata » (1). Ipsae ex lino vel cannabe sint confectae, exclusa quavis alia materia (2). — In tobaleis altarium tolerari possunt vela transparentia, quae repraesentant Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra obiecta (3).

12. Pars anterior altaris antipendio seu pallio sit contecta coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis (4), nisi altare lapide pretioso ornatum aut per modum tumbae constructum sit.

15. Super altare collocetur Crux cum imagine Crucifixi in medio candelabrorum ita praealta, ut pes Crucis adaequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine Crucifixi (5). Altare vero, in quo adest magna statua vel pictura Crucifixi, non indiget alia Cruce (6). — Crux numquam ante ostiolum Tabernaculi collocanda est, potest tamen super ipsum tabernaculum collocari, sed non in throno, ubi exponitur SS. Sacramentum (7).

---

(1) Rubr. gen. Missal., XX. — Consuetudo, ex qua tobalea superior altaris usque ad terram non pertingit, servari nequit. S. R. C. 9 Iunii 1899 ad 1, n. 4029.

(2) S. R. C. Decr. gen. 18 Maii 1819, n. 2600, et 13 Aug. 1895 ad 1, n. 3868.

(3) S. R. C. 5 Dec. 1868 ad 5, n. 3191. Nulla permittitur coronides sive ex ligno sive ex metallo super extremas partes mensae altaris ad mappas firmandas, tum quando Sacrum peragitur, tum aliis temporibus, non obstante antiquissima consuetudine (Caer. Ep., l. 1, c. 12, n. 11, et S. R. C 24 Ian. 1908 ad 1, n. 4213, et 13 Maii 1910, n. 4253).

(4) Rubr. gen. Missal. XX.

(5) Caer. Ep., l. 1, c. 12, n. 11, et Rubr. gen. Missal. XX.

(6) S. R. C. 16 Iunii 1663 ad 2, n. 1270. — Parva Crux vix visibilis cum imagine Crucifixi, posita supra Tabernaculum vel supra aliquam tabulam, non est sufficiens tempore Missae (S. R. C. 16 Iunii 1663 ad 1, et 17 Sept. 1822 ad 7, n. 2621).

(7) S. R. C. 11 Iun. 1904 ad 2, *Ord. Minor.*, n. 4136.

16. Rubrica requirit ut saltem duo candelabra cum candelis accensis hinc et inde in utroque Crucis latere collocentur (1). In Missa *privata* duae candelae praescribuntur; pro Episcopo Missam celebraturo accenduntur quatuor candelae in festis solemnibus; in aliis festis non ita solemnioribus et feriis, sufficiunt duae candelae (2). Praelati omnes Episcopo inferiores, sine privilegio S. Sedis, nequeunt habere quatuor candelas accensas in Missa *privata* (3). Praefata tamen prohibitio de duobus ministris et quatuor candelis intelligitur ratione *dignitatis personae;* etenim ratione *Solemnitatis*, aut parochialis, conventualis, Communitatis, etc., licet sine cantu, tolerari possunt duo ministri et plus quam duo cerei (4). In Missa conventuali PP. Cappuccinorum accenduntur semper quatuor candelae, et diebus festivis sex (5). — Item in Missis solemnioribus sex candelae accendendae sunt; in Missis minus solemnibus quatuor sufficiunt (6); in Missis de *Requie* cum cantu saltem quatuor requiruntur (7).

17. Candelae, pro functionibus liturgicis ex praescripto Rubricarum requisitae, debent esse in maxima saltem parte ex cera apum (8). Hinc ad dictum finem adhiberi nequeunt candelae ex *sevo* (aut *sebo*) (9). nec candelae ex cera *stearica* vel ex alia materia purificata, similitudinem

---

(1) Rubr. gen. Missal. XX. — In Ordine Capuccinorum tolerantur Candelabra ex simplici ligno torno elaborata, item et Crux altaris (S. R. C. 15 Maii 1903 ad 1, n. 4115.

(2) Caer. Ep. l. 1, c. XXIX, n. 4.

(3) Plura decreta S. R. C., vide P. Victorii *Man. Liturg.*, vol. I, p. 53, not. (11).

(4) S. R. C. 12 Sept. 1857 ad 7 et 9, n. 3059.

(5) S. R. C. 7 Dec. 1888 ad 7, *Ord. Capuc.*, n. 3699.

(6) Caer. Ep. l. 1, c. 12, n. 11 et n. 24.

(7) S. R. C. 12 Aug. 1854 ad 7, n. 3029.

(8) Rubr. Missal. *De defect.* X, n. 1; Caer. Ep. l. 1, c. 12, n. 16; S. R. C. 14 Dec. 1904, n. 4147.

(9) S. R. C. 10 Dec. 1857, n. 3063.

cerae praeferente (1). Illuminatio vero ex petroleo, ex gaz (2) et ex luce *electrica* in ecclesiis adhiberi nequit ad cultum, sed tantum ad depellendas tenebras, ecclesiasque splendidius illuminandas, cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatralem (3). — In festis et solemnitatibus, in expositione SS. Sacramenti ac in eius processione adhibendae sunt candelae ex cera alba (4); in Missa autem et Officio Defunctorum, in Parasceve Domini et in Matutino Tenebrarum in triduo sacro, adhibentur candelae e cera communi seu flava (5).

18. In cornu Epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, qui non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa (5). Ex quo cereo, vel

(1) S. R. C. 4 Sept. 1875 ad 3, n. 3376. — Insuper ad quaest.: « An praeter cereos praescriptos, sive in benedictionibus cum SS. Sacramento, aliae candelae ex *stearina* intra ambitum altaris adhiberi possint? Et quatenus negative, an, attentis circumstantiis, praedicta consuetudo tolerari possit? » — S. R. C. 30 Iulii 1910 ad 5 (n. 4257) resp.: « Negative ad utrumque, et standum decretis, praesertim recentioribus ad rem datis, uti in una *Natcheten*. 16 Maii 1902 (n. 4097), et in altero *Plurium Dioecesium*, 14 Dec. 1904 (n. 4147) ».

(2) S. R. C. 8 Mart. 1879 in *Novarcen*. (A. S. S. XV, 446).

(3) S. R. C. 4 Iunii 1895, n. 2859. — Insuper: « Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari iuxta decretum *Natcheten*. 16 Maii 1902, sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram SS. Eucharistiae Sacramento vel sacris Reliquiis aut imaginibus Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur: dummodo species non habeatur theatralis ad mentem decreti n. 3859 d. 4 Iunii 1895 » (S. R. C. 22 Nov. 1907, n. 4206).

(4) Caer. Ep. l. 1, c. 12, n. 11.

(5) Caer. Ep. l. 2, c. 10, n. 2 et 4; c. 11, n. 1 et 7; c. 22, n. 4 et c. 25, n. 2.

(6) Rubr. gen. Miss. XX, et Rit. celebr. Miss. VIII, 6. — Attamen consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis lectis

ardenti vel extincto, fideles dignoscunt, an sit necne Consecratio peracta.

19. Praeterea adsint legile seu pulvinar, et tabellae Secretarum in Altari, parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad haec praeparata (1).

20. Parva campanula pulsatur dumtaxat ad *Sanctus* et utramque elevationem (2), etiam in Missa quae celebratur in Oratoriis privatis (3). — Omittitur pulsus campanulae intra Missas exposito SS. Sacramento, etiam in altaribus extra expositionem (4). Insuper S. R. C. 21 Nov. 1893 (n. 3814), sequentia servari mandavit: « I. 1° Abusus Missae privatae celebrandae in altari chorali, dum Horae Canonicae persolvuntur, omnino eliminetur. — 2° Si autem Missa ad aliquod Altare celebretur e conspectu chori positum, campanula, uti ad *Sanctus*, ita ad elevationem Sacramenti, nequaquam pulsetur. — 3° Quod si campanula, non obstante vetito, quandoque pulsetur et elevatio SS. Sacramenti advertatur, chorales omnes caput tunc temporis detegant, et Horas Canonicas prosequantur. — II. In omnibus Missis privatis, quae tempore piae Supplicationis (i. e. Processionis) celebrantur, usus campanulae est omnino prohibitus. Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante Altare transeuntes, ubi fit elevatio SS. Sacramenti, bini et bini unicum genu flectant, et piam Supplicationem prosequantur.

---

a Consecratione usque ad Communionem servari potest (S. R. C. 9 Iunii 1899, ad 2, n. 4029). Sed accedente Ordinarii loci auctoritate, accendendus est, etiam a Regularibus, non obstante contraria consuetudine (S. R. C. 29 Iulii 1904 ad 6, n. 4141.

(1) Rubr. gen. Missal. XX. — in expositione SS. Sacramenti amovendae sunt tres tabellae ab altari Expositionis, excepto Missae tempore (S. R. C. 20 Dec. 1864 ad 3, n. 3130).

(2) Rit. celebr. Miss. VII, 8 et VIII, 6.

(3) S. R. C. 18 Iulii 1885 ad 3, n. 3638.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1867 ad 10, n. 3157 et 11 Maii 1878 ad 2, n. 3448.

21. Quoad reliquum ornatum altaris, ratio temporis et solemnitas festorum attendendae sunt. Tempore Adventus et Quadragesimae, quando Officium dicitur de ea, exceptis Dominicis *Gaudete* et *Laetare*, non licet ornare altare floribus et Sanctorum Reliquiis (1). — In Missa solemni pro Defunctis, vel cum celebrantur Officia Defunctorum, nullae imagines mortuorum, flores, etc. apponantur in altari, sed omnia eius ornamenta sint nigra, excepto conopaeo Tabernaculi quod tunc erit coloris violacei (2); pallium autem altaris *nigri* coloris esse non potest (3).

« Super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missae Sacrificium, vel ipsius altaris ornatum non pertineat » (4). — Quae certis festis servanda sunt, suis in locis indicantur.

III. — **De Tabernaculo SS. Sacramenti.**

22. SS. Sacramentum perpetuo asservari debet in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, et in Ecclesiis Regularium, sive virorum sive mulierum cum votis solemnibus (5). In aliis vero Ecclesiis, Sacellis et Oratoriis, sive publicis sive privatis, asservari non licet sine speciali Indulto Apostolico (6). Praesumitur tamen tale indultum, cum

---

(1) AA. passim. — Tempore tamen Quadragesimae, occasione primae Communionis, vel ob devotionem erga S. Ioseph mense Martio, altaria possunt ornari floribus (S. R. C. 11 Maii 1878 ad 11, n. 3448).

(2) Caer. Ep. l. 8, c. 11, n. 1; S. R. C. 1 Dec. 1882, n. 3562.

(3) S. R. C. 20 Mart. 1869 ad 10, n. 3201; Index DD., ad vocem *Pallium*, n. 3562.

(4) Rubr. gen. Missal. XX.

(5) S. R. C. 23 Mart. 1593, n. 31; 16 April. 1644, n, 860.

N. B. Nonnulli auctores dicunt SS. Eucharistiam asservari posse in Ecclesiis quasi parochialibus; sed obstant Decreta.

(6) S. R. C. 12 Sept. 1626, n. 420; Decr. *Urbis et Orbis*, 10 Dec. 1793, approb. a Clemente XI, 12 Ian. 1704 ad 26, n. 2123; Benedict. XIV, Const. « *Quamvis* », S. C. C. cit. in *Thes. Resol.*, tom. 35, p. 208.

adsit immemorabilis consuetudo (1). Ubi ex indulto SS. Eucharistia semper asservatur, Sacerdos ibi tenetur residere et quotidie Missam celebrare per se vel per alium (2).

Quapropter sine Indulto speciali S. Sedis retineri nequit SS. Eucharistia in Ecclesiis ruralibus non parochialibus, licet ad eas maximus esset populi concursus (3); nec in sodalitatum laicorum Oratoriis, quibus animarum cura non est adnexa, nec hospitalitatis ius exercetur (4); neque in Ecclesiis Monialium, seu Tertiariarum, quae solemnem professionem non emittunt, nec in Conservatoriis (5), quamvis vota habeant et Ecclesiam publicam (6); imo neque in Collegiatis non parochialibus (7); neque apud Regulares in grangiis, hospitiis, seu domibus ruralibus, neque in eorum Oratoriis internis vel infirmariis, nisi gravissimis de causis, v. g. si Ecclesia publica corruisset, vel si infirmario non modica copia infirmorum adesset, etc. (8).

(1) Constit. mox cit. Bened. XIV.

(2) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2700.

(3) S. R. C. 12 Sept. 1626, n. 420; S. C. C. 13 Ian. 1685, *Thes. Resol.* tom. 35, pag. 208, ubi alia etiam citantur.

(4) S. R. C. 14 Iunii 1646, n. 895.

(5) S. C. C. 19 Aug. 1702 et 18 Iulii 1708, *Thes. Resol.*, l. c., p. 209.

(6) S. C. Ep. et Reg. 2 Iulii 1707, *Thes. Resol.*, l. c.

(7) S. C. C. 7 Sept. 1652, *Thes. Resol.* tom. 35, p. 209.

(8) Cf. cl. P. Piat. Mont. *Prael. Iur. Regul.* t. 2, p. 424, q. I., *edit.* 1, ct Ferrar. verb. *Eucharistia*, n, 47.

Praefata confirmantur Decreto S. R. C. in *Nivernen.* d. 8 Martii 1879 ad 3 (n. 3484), approb. a Leone XIII d. 23 Ian. 1899 (n. 4007), quod, ita sonat: « Potestne Episcopus iure proprio concedere facultatem asservandi SS. Sacramentum, 1° in Ecclesiis seu Capellis publicis quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Paroeciae inserviant; 2° in Capellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante, et quae habitantibus omnibus aperiuntur; 3° in Capellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Capellam seu Oratorium pu-

De licentia tamen Episcopi licet SS. Eucharistiam asservare per totum mane alicuius diei in Tabernaculo Ecclesiae Confraternitatis pro Communione fidelium (1), non vero perpetuo, neque per longum tempus (2); item ad tempus in Ecclesia hospitalis, quae habet suum Sacerdotem, salvis iuribus parochialibus (3).

23. 1° Iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam, SS. Eucharistiae Sacramentum asservandum est in Tabernaculo (4), quod est positum super uno ex Altaribus Ecclesiae, et super quo passim Missa celebratur (5). — Non est tamen necesse, ut Tabernaculum, in quo asservatur SS. Sacramentum, in Altari maiori Ecclesiae collocetur (6); imo in Ecclesiis Cathedralibus SS. Sacramentum in Altari maiori retineri nequit (7). — Insuper non est asservandum SS. Sacramentum in Sacellis, quae in aliquo Instituto puellarum dormitorio subsunt; et si id ex indulto Apostolico concedatur, hoc fit ea conditione, ut Altari imponatur ampla umbella, vulgo baldachinum (8).

2° In eadem Ecclesia S. Eucharistia servanda est in uno

---

blicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis? » — Resp.: Implorandum est indultum a S. Sede quoad omnia postulata » (Cfr. *Ephemer. Liturg.*, vol. XIII, pag. 68).

(1) S. C. C. 3 April., 17 Iulii 1773, *Thes. Resol.* t. 42, p. 32.

(2) S. C. C. 27 Mart. 1198, tom. 93, p. 70; 14 Mart. 1795, tom. 64, p. 68.)

(3) S. C. C. 7 Febr. 1756, tom. 25, p. 20.

(4) Rituale Rom. *De SS. Euch. Sacram.*

(5) Benedict. XIV. Constit. « *Accepimus* », 16 Iulii 1746, *Bull. Bened.* tom. 4. p. 268, *edit. Mechl.*

(6) S. R. C. 18 Maii 1878 ad 1, n. 3449. — Recens S. R. C. declaravit: SS. Sacramentum asservari continuo potest aut in Altari maiori, aut in uno ex Altaribus aut Sacellis minoribus: dummodo Altare, ubi continuo SS. Sacramentum asservatur, non sit Altare Chori (Die 26 April. 1901 ad 3, n. 4071).

(7) S. R. C. 6 Febr. 1875 ad 1 et 2, n. 3335.

(8) S. R. C. 23 Nov. 1880 ad 2, n. 3520, et 24 Ian. 1908 ad 3, n. 4213.

tantum Altari (quod in Ecclesia Cathedrali designandum est ab Episcopo) (1), et consuetudo asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus Altaribus tolerari nequit (2). — Licet tamen occasione alicuius Festi, Tridui, Novendialis aut Mensis, SS. Sacramentum ab Altari maiori, super quo asservatur, ad aliud Altare, in Ecclesiae latere erectum, transferre, ut SS. Communio distribuatur et populo Benedictio impertiatur, dummodo tamen SS. Eucharistia in duobus Altaribus continuo non asservetur (3); et quando defertur ab uno ad aliud Altare pro expositione vel benedictione, non defertur in Ostensorio, sed in capsula, aut sin minus in sphaera (4).

24. Tabernaculum *regulariter* debet esse ligneum, iuxta Decretum S. C. Ep. et Regul. (5). Decet tamen Tabernaculum esse, non ex tabulis nuceis vel aliis quae humiditatem gignunt, sed ex ligno non vulgari, polite elaborato et aliquo colore pulchre depicto (6).

Dicitur *regulariter;* nam non prohibetur alia materies pretiosior, dummodo robusta et tuta, ut ex metallo aut marmore, uti fert Urbis Ecclesiarum consuetudo. Sed, si Tabernaculum sit lapideum aut marmoreum, debet intrinsecus esse tabulis populeis vel cypressinis vel similibus circumamictum, quibus ab humiditate SS. Species defendantur (7).

25. De forma et ornatu Tabernaculi sequentia notantur:

1. In Ecclesiis insignioribus Tabernaculum, si fieri

---

(1) S. R. C. 21 Iulii 1696 ad 3, n. 1496.

(2) S. R. C. 14 Mart. 1861 ad 13, n. 0104.

(3) S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 6, n. 3576.

(4) S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 12, *n. cit.*

(5) Die 26 Octob. 1575, ap. Caval., tom. 4, *Decr.* 100.

(6) Cfr. Decr. S. R. C. 7 Dec. 1888 ad 13, in una *Ord. Capucin.* (n. 3697), et Instr. S. Caroli Borrom. *Instr. Fabr. Eccl*, l. 1, c. 13.

(7) Cfr. Instr. cit. S. Caroli, et Gavant. tom. I, P. v. *De mensuris* etc., et Caerem. R.no-Seraph. Capuc. n. 1120 *in not.*

possit, e laminis argenteis, aut aeneis, iisdemque inauratis, aut e marmore pretiosori, fieri decens est (1).

2. Forma potest esse vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotunda, prout decentius et religiosius accommodata vidèbitur ad Ecclesiae formam (2). Tabernacula vero *versatilia* ab Ecclesiae mente omnino aliena et ab Episcopis interdum iure merito prohibita sunt, cum impediant observantiam Rubricarum circa SS. Sacramenti expositionem, vix mundities in iis servari possit, et SS. Sacramentum aliis irreverentiis et periculis in iis exponatur (3).

3. Opus Tabernaculi polite elaboratum, et apte beneque inter se compactum, piis item mysteriorum Passionis Christi Domini imaginibus exsculptum, et inaurato artificio certis locis periti viri decoratum, religiosi et venerandi ornatus formam exhibere decet (4).

4. In summitate Tabernaculi potest esse imago Christi gloriose resurgentis, vel sacra Vulnera exhibentis; vel si in Altari exiguae alicuius Ecclesiae per Tabernaculi occupationem congruus locus Cruci esse non possit, ea pro alia sacra imagine in Tabernaculi summitate affigatur (5).

(1) Instr. cit. S. Caroli.

(2) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(3) Schober, *Caerem. Miss. Solemn.* art. 8, c. 1, n. 3, *adn.* 6.

(4) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(5) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.* — Iuxta Decretum S. R. C. 21 Iunii 1094 ad 2 (n. 4136): « Crux collocetur inter candelabra, numquam ante ostiolum tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno ubi exponitur SS. Eucharistiae Sacramentum ». — Insuper, si Expositionis thronum inamovibilem difficile sit habere, nisi crux ponatur in eo, non licet super Tabernaculum erigere talem inamovibilem thronum seu parvum ciborium fixum pro expositione SS. Sacramenti; sed debet in casu erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem. Expositionis thronum licet construere in muro ab Altari seiuncto, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab Altari, cum quo debet quid unum efficere (S. R. C. 27 Maii 1911 ad 4 et 5, n. 4268). Quoad usum throni cf. De Amicis, *Normae theor. pract. quoad exposit. et benedict. SS. Sacrament. Appendix*, pag. 4 et seqq.

5. Ostiolum Tabernaculi esse potest ab anteriori parte ornatum sacra imagine Christi Domini crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia effigie (1).

6. Tabernaculum debet esse amplum pro dignitate et magnitudine rationeve Ecclesiae, ita tamen spatiosum, ut continere possit duas Pyxides cum capsula maioris Hostiae vel Ostensorio (2). — Item a parte anteriori Altaris Tabernaculum procul collocatum extet, non minus cubito uno et unciis sexdecim (73 cm.), ita ut Corporale late expandi, et Pyxis, cum aliquando usu veniat, commode in Altari poni possit (3).

7. Tabernaculum debet esse omnino clausum et ita obtectum ut ss. Vasa, in quibus SS. Sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri possint (4). — Necesse est etiam, praesertim hodiedum, ut ostiolum sit firmissima sera instructum, aliquo secreto obstaculo munita, ne facile aperiatur. — Praeterea, clavis Tabernaculi, quae argentea sit oportet, aut saltem ferrea auro vel argento obducta, numquam in ostiolo reliquenda post sacras functiones, aut in loco aperto, sed a Sacerdote in loco tuto caute custodienda est (5). Apud Moniales clavis Tabernaculi ab earum Capellano est custodienda (6).

8. Sub Tabernaculo armariolum nullum sit, neque asser-

---

(1) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(2) Instr. cit. S. Caroli et Caerem. R.no-Seraph. Capuc. n. 1119.

(3) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(4) S. R. C. 20 Sept. 1806 ad 2, n. 2564.

(5) Ita Conc. Lateran. IV, Cap. 20, iuxta De Herdt, t. 3, n. 180, 6., aliosque ibidem citatos.

« Si vero is ad quem spectat custodia incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contingerit, graviori subiaceat ultioni ». Ita mandavit Innocentius III in Conc. gen. IV Later. an. 1216. *Decretal.* l. 3, tit. 44, cap. *Statuimus*. Idem denuo praescriptum est a S. Congr. Episc. et Reg. 18 Ian. 1724, et 9 Febr. 1751.

(6) S. R. C. 11 Maii 1879 ad 6, n. 3448.

vandis quidem libris supellectilive Ecclesiae sit locus (1). — Ante ostiolum retineri nequit vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum imagine Domini nostri in eodem insculpto; potest tamen in humiliori et decentiori loco (2) v. gr. in Altaris lateribus. — Item prohibetur ante ostiolum Reliquia Sancti, non obstante immemorabili consuetudine, quae tamquam abusus eliminanda est (3). — Similiter vetatur consuetudo Sanctorum Reliquias, pictasque imagines superimponendi Tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut Tabernaculum pro basi inserviat (4); et haec prohibitio etiam valet pro Reliquiis SS. Crucis vel alterius Instrumenti Passionis Dominicae (5).

9. Tabernaculum intus ab omni parte, iuxta Rituale Rom. (6), ornatum esse debet; non est tamen necesse ut interiora eius panno serico albo contegantur; aequivalet et sufficit simplex auratura (7). — Corporale in Tabernaculo stratum et bene extensum continuo retineatur ac saepe mutetur ob munditiem. De cetero Rectores Ecclesiarum curabunt, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata integra mundaque sint, et conserventur (8).

---

(1) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(2) S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 10, n. 2067 — Hoc Decreto non prohibetur tabella secretarum, a Rubrica Missalis, p. 1, tit. XX requisita. Ex Decreto S. R. C. 4 Aug. 1905 ad 2 (n. 4165) collocari potest tabella secretarum ante Tabernaculi ostiolum; haec tabella valet etiam in duas dividi, hinc et inde apponendas; et quidem iuxta consuetudinem.

(3) S. R. C. 6 Sept. 1845, n. 2906.

(4) S. R. C. Decr. gen. 31 Mart., approb. Pio VII 3 Aprilis 1821 ad 6, n. 2613.

(5) S. R. C. 12 Mart. 1836 ad 1, n. 2740.

(6) *De SS. Euchar. Sacram.*

(7) S. R. C. 4 Aug. 1971 ad 7 et 8, n. 3254; 5 Iun. 1889, n. 3709 et 20 Iun. 1899 ad 4, n. 4035.

(8) Rituale Rom. *De SS. Euchar. Sacram.*

5. Ostiolum Tabernaculi esse potest ab anteriori parte ornatum sacra imagine Christi Domini crucifixi, aut resurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut alia pia effigie (1).

6. Tabernaculum debet esse amplum pro dignitate et magnitudine rationeve Ecclesiae, ita tamen spatiosum, ut continere possit duas Pyxides cum capsula maioris Hostiae vel Ostensorio (2). — Item a parte anteriori Altaris Tabernaculum procul collocatum extet, non minus cubito uno et unciis sexdecim (73 cm.), ita ut Corporale late expandi, et Pyxis, cum aliquando usu veniat, commode in Altari poni possit (3).

7. Tabernaculum debet esse omnino clausum et ita obtectum ut ss. Vasa, in quibus SS. Sacramentum asservatur, a circumstantibus nullo modo videri possint (4). — Necesse est etiam, praesertim hodiedum, ut ostiolum sit firmissima sera instructum, aliquo secreto obstaculo munita, ne facile aperiatur. — Praeterea, clavis Tabernaculi, quae argentea sit oportet, aut saltem ferrea auro vel argento obducta, numquam in ostiolo reliquenda post sacras functiones, aut in loco aperto, sed a Sacerdote in loco tuto caute custodienda est (5). Apud Moniales clavis Tabernaculi ab earum Capellano est custodienda (6).

8. Sub Tabernaculo armariolum nullum sit, neque asser-

(1) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(2) Instr. cit. S. Caroli et Caerem. R.no-Seraph. Capuc. n. 1119.

(3) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(4) S. R. C. 20 Sept. 1806 ad 2, n. 2564.

(5) Ita Conc. Lateran. IV, Cap. 20, iuxta De Herdt, t. 3, n. 180, 6., aliosque ibidem citatos.

« Si vero is ad quem spectat custodia incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contingerit, graviori subiaceat ultioni ». Ita mandavit Innocentius III in Conc. gen. IV Later. an. 1216. *Decretal.* l. 3, tit. 44, cap. *Statuimus*. Idem denuo praescriptum est a S. Congr. Episc. et Reg. 18 Ian. 1724, et 9 Febr. 1751.

(6) S. R. C. 11 Maii 1879 ad 6, n. 3448.

vandis quidem libris supellectilive Ecclesiae sit locus (1). — Ante ostiolum retineri nequit vas florum vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum imagine Domini nostri in eodem insculpto; potest tamen in humiliori et decentiori loco (2) v. gr. in Altaris lateribus. — Item prohibetur ante ostiolum Reliquia Sancti, non obstante immemorabili consuetudine, quae tamquam abusus eliminanda est (3). — Similiter vetatur consuetudo Sanctorum Reliquias, pictasque imagines superimponendi Tabernaculo, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut Tabernaculum pro basi inserviat (4); et haec prohibitio etiam valet pro Reliquiis SS. Crucis vel alterius Instrumenti Passionis Dominicae (5).

9. Tabernaculum intus ab omni parte, iuxta Rituale Rom. (6), ornatum esse debet; non est tamen necesse ut interiora eius panno serico albo contegantur; aequivalet et sufficit simplex auratura (7). — Corporale in Tabernaculo stratum et bene extensum continuo retineatur ac saepe mutetur ob munditiem. De cetero Rectores Ecclesiarum curabunt, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata integra mundaque sint, et conserventur (8).

---

(1) Instr. cit. S. Caroli et Gavant. *l. c.*

(2) S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 10, n. 2067 — Hoc Decreto non prohibetur tabella secretarum, a Rubrica Missalis, p. 1, tit. XX requisita. Ex Decreto S. R. C. 4 Aug. 1905 ad 2 (n. 4165) collocari potest tabella secretarum ante Tabernaculi ostiolum; haec tabella valet etiam in duas dividi, hinc et inde apponendas; et quidem iuxta consuetudinem.

(3) S. R. C. 6 Sept. 1845, n. 2906.

(4) S. R. C. Decr. gen. 31 Mart., approb. Pio VII 3 Aprilis 1821 ad 6, n. 2613.

(5) S. R. C. 12 Mart. 1836 ad 1, n. 2740.

(6) *De SS. Euchar. Sacram.*

(7) S. R. C. 4 Aug. 1971 ad 7 et 8, n. 3254; 5 Iun. 1889, n. 3709 et 20 Iun. 1899 ad 4, n. 4035.

(8) Rituale Rom. *De SS. Euchar. Sacram.*

10. Tabernaculum cooperiri debet *Conopaeo* (1), ex serico, gossypio, lana vel cannabe contexto; coloris vel semper albi, vel potius Officio diei seu functioni convenientis, mutato nigro in violaceum, iuxta usum Ecclesiarum Urbis (2).

11. In Tabernaculo nihil omnino asservetur, nisi vasa SS. Eucharistiam actu continentia vel nondum purificata; non vero vasa vacua, nec sacra Olea, neque multo minus sacrae Reliquiae (3).

12. Coram Tabernaculo, in quo SS. Sacramentum reconditum est, lampades plures numero impari (4), vel saltem una, non longe distans ab Altari, diu noctuque perpetuo colluceat (5). — Haec lampas sustentari potest brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopiae, vel suspendi ope chordularum, dummodo intra et ante Altare continuo ardeat (6). Tolerari quoque potest usus adhibendi huiusmodi lampades ex vitro, non pellucido et diaphano, sed colore aliquo tincto, v. gr. viridi vel rubro (7). — Ad nutriendam hanc lampadem generatim utendum est oleo olivarum ob mysticas significationes; ubi vero haberi nequeat, remittitur prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetabilibus (8).

(1) Rit. Rom. *l. c.* et S. R. C. 28 April. 1866, n. 3150. — Ubi SS. Sacramentum asservatur, Tabernaculum debet tegi conopaeo, non obstante contraria consuetudine; et serventur Rituale Romanum et Decreta (S. R. C. 1 Iulii 1904, n. 4137).

(2) S. R. C. 21 Iulii 1855 ad 10, n. 3035.

(3) Cfr. Rit. Rom. *l. c.* et Decr. S. C. Ep. et Regul. 3 Mai 1693.

(4) Caerem. Episc. lib. 1, c. XII, § 17.

(5) Rit. Rom. *l. c.* et S. R. C. 22 Aug. 1699, n. 2033.

(6) S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 4, n. 3576.

(7) Decr. mox citat. ad 5.

(8) S. R. C. 9 Iulii, approb. Pio IX 14 Iulii 1864, n. 3121. Quod Decretum etiam refertur in Appendice Ritualis Romani. Ex quo sequitur, etiam *petroleum*, urgente necessitate et de licentia Ordinarii adhiberi posse (Cfr. Nouv. Revue Théolog. tom IX, p. 39 *et ssq.*) — Ubi SS. Sacramentum asservatur, ante Altare et Tabernaculum, in defectu olei, tolerari potest ut lampades nutriri

13. Benedicendum est Tabernaculum, priusquam in illo SS. Sacramentum recondatur (1).

Nota. In diebus festis et solemnioribus « Altare, vel locus, ubi est repositum SS. Sacramentum, prae caeteris sumptuosuis ac nitidius exornandum est » (2).

---

possint ex cera apum saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad Missae celebrationem, iuxta Decret. n. 3121 (S. R. C. 27 Nov. 1908, n. 4230) — Cfr. Decr. d. 8 Nov. 1907, n. 4205.

Nota. Ob rationabilem causam tolerari potest usus extinguendi ad tempus lampadem coram SS. Sacramento ardentem ad obtinendas tenebras, suppleto alio lumine extra Altare occluso. S. R. C. 24 Mart. 1860 ad dub. 2, n. 3599. — Licet etiam hanc lampadem velo cooperire, praecavendi humoris causa. S. R. C. 16 Sepiembris 1865 ad 2. n. 3137.

(1) S. R. C. 20 Iunii 1899 ad 4, n. 4035.

(2) Caerem. Episc., l. 1, c. XII, n. 16.

(Continuabitur).

Varia de re liturgica.

De officio sacr. Cordis Iesu adhibendo.

Episcopus C. Calendarium suae dioecesis ad S. Rit. Congregationem mittere intendit, pro recognitione, ut, relictis officiis non propriis, in eo retineantur tantummodo officia Universalis Ecclesiae, et ea quae revera sunt propria suae Ecclesiae. Cum autem in sua dioecesi adhibeatur pro festo Sacr. Cordis Iesu officium quod invenitur in appendice pro aliquibus locis, scire desiderat quale ex duobus officiis sit ab eo seligendum, pro sua dioecesi.

Resp. Apud Nilles (De ratione Festi S. Cordis Iesu etc. Oeniponte 1885) habentur tredecim Missae, et sex officia in honorem Sacr. Cordis Iesu; nil mirum ergo, si in Breviario Romano duo ex ipsis sint inducta. Notum est quod Pius IX, decreto suo 26 aug. 1856, ad universam extendit Ecclesiam festum ipsus S. Cordis, sub ritu duplici maiori ubique recolendum; et licet in corpore Breviarii iusserit inscribi officium, cuius prima antiphona est: *Discite a me,* nihilominus facultatem fecit, iis dioecesibus et Ordinibus, quae officium aliud, cuius prima antiphona est: *De torrente,* habebant, ut eodem uti adhuc possent (Cf. decr. S. R. C. 20 mart. 1869, n. 3201). Similiter quando Leo XIII festum ipsum ad ritum dupl. 1 classis evexit, eamdem facultatem reliquit. Episcopus ergo inquirens, bene potest proponere S. R. C. ut possit deserere hoc secundum officium, accipiendo officium quod in corpore Breviarii invenitur, vel illud retinere. Cum autem desideret rationes prae oculis habere, ut recte seligere queat inter duo, comparationem instituere credimus inter partes liturgicas quibus constant duo illa officia.

Cum vero Antiphonae, et Orationes in utroque officio plus minusve bene aequaliter se habeant, ad trutinam revocabimus tantummodo Psalmos, Versiculos, Lectiones, Responsoria Capitula et Hymnos, ut sic facilius, quale ex duobus sit praeferendum appareat.

Quod attinet ad Psalmos, nil dicimus de Psalmis in Laudibus et in horis minoribus, cum in utroque officio sint iidem; comparationem faciemus tantum inter Psalmos Matutini et Vesperarum, ut videamus numerum Versuum quibus ipsi Psalmi constant.

Officium « Discite »				Officium « De torrente »			
Psalmi ad Matutinum				Psalmi ad Matutinum			
Ps. 8	cum versibus	N.	8	Ps. 21	cum versibus	N.	35
» 18	»	»	16	» 27	»	»	16
» 23	»	»	10	» 29	»	»	15
» 44	»	»	20	» 33	»	»	22
» 45	»	»	11	» 44	»	»	20
» 86	»	»	7	» 75	»	»	20
» 95	»	»	13	» 83	»	»	13
» 96	»	»	13	» 84	»	»	14
» 97	»	»	10	» 85	»	»	16
Psalmi ad Vesperas				Psalmi ad Vesperas			
Ps. 109	cum versibus	N.	8	Ps. 109	cum versibus	N.	8
» 110	»	»	10	» 110	»	»	10
» 115	»	»	8	» 129	»	»	8
» 127	»	»	7	» 135	»	»	9
» 147	»	»	9	» 144	»	»	22
In totum versiculi sunt			150	In totum versiculi sunt			228

Comparatio Versiculorum

Officium *De torrente* habet Versiculos	N.	228
» *Discite* » »	»	150
Officium *De torrente* superat aliud Versiculis . .	N.	78

Cum autem septuaginta et octo Versiculi constituant plusquam duas horas minores de novo psalterio, manifestum fit, quod officium pro aliquibus locis prolixius est quam

aliud; ergo, ex hac etiam brevitatis causa, praeferendum est officium in corpore Breviarii.

Versiculi.

Notum est quod in omnibus officiis antiquis, numquam adhibentur plusquam quatuor, vel quinque Versiculi, qui inserviunt pro Vesperis, Matutino et Laudibus, ac etiam pro Responsoriis brevibus ad horas.

In Communibus Sanctorum, semper habentur quatuor tantummodo Versus; in officio Sacr. Corporis Christi et in aliquibus aliis, quinque sunt Versiculi, cum Versus specialis habeatur pro utrisque Vesperis; quae regula iugiter servata est, ab iis, qui ante saeculum xvij nova officia liturgica condiderunt, iuxta antiquam traditionem romanam. Saepe saepius hanc regulam non noverunt moderni officiorum compilatores, ita ut in aliquibus conspiciantur Versiculi novem et decem et etiam undecim. Inter haec enumerandum est utrumque officium S. Cordis, nam officium *De torrente,* habet undecim Versiculos, et novem officium *Discite a me*. Ex hoc ergo capite, utrumque officium non congruit cum antiqua traditione.

Lectiones.

Lectiones I Nocturni, bene congruunt in utroque officio, et licet forsan lectiones officii, quod in corpore Breviarii habetur, aliquibus non adprobandae videantur, eo quod sumptae fuerunt ex Cantico Isaiae, quod dicitur in Feria II ad Laudes II° loco, quasi eadem lege Cantica tractanda essent ac Psalmi, ex quibus nefas est lectiones excerpere, nihilominus ex Prophetis bene possunt lectiones sumi, ut patet.

Lectiones II Nocturni in utroque officio sumptae fuerunt ex operibus S. Bernardo falso attributis. De his agens Baumer (II, app. IV) dicit quod non sunt excerptae ex *Sermone III de Passione* S. Bernardi, sed ex tractatu cui titulus: *Vitis Mystica*, 5 (Migne, P. L. t. CLXXXIV, c. 638), cuius auctor est quidam pius et doctus mysticus aevi medii, licet aliqui (Bonelli), modernis editoribus contradicentibus, tribuant S. Bonaventurae.

Lectiones autem III Nocturni, in officio pro aliquibus locis, sumptae fuerunt ex eodem pseudo Bernardo ; in officio Breviarii, licet ex tribus Patribus diversis, quod ordinarie non congruit, tamen sunt genuinae.

Responsoria.

Omnes norunt, quanta difficultate laborant ii qui suscipiunt munus conficiendi Responsoria alicuius officii; constituunt enim partem divini officii difficiliorem, non tantum ob sensum et sententias in eis concipienda, sed etiam ob convenientiam duarum partium quibus constare debent. Ad rem cl. Guyetus S. I. (Heortologia, lib. 3, c. 4, q. 5) docet more suo: « *Cum Responsorium quodlibet duabus constet partibus, priori, quae Responsorium dicitur, et posteriori, quam Versum appellamus*, SIC AMBO INVICEM COMMITTI ET APTARI DECET, UT VERBA IN QUIBUS DESINIT VERSUS CUM PARTE RESPONSORII RESUMENDA, QUADRENT APPOSITE, SENSUM EFFICIENDO HAERENTEM AC CONGRUUM, NON AUTEM DISTORTUM ET A PROPOSITO ABERRANTEM (Cf. etiam Marbach, Carmina Scripturarum in Introductione c. V in fine).

Si ad trutinam reducuntur Responsoria utriusque officii S. Cordis, statim apparebit quod Responsoria officii in corpore Breviarii pulcherrima sunt, et iuxta regulas traditionales composita; etenim Responsoria I, IV et VII sumpta fuerunt ex officio Corporis Christi, et habent auctorem S. Thomam Aquinatem; Responsoria II, V et VIII, sumpta fuerunt ex officiis Hebdomadae Sanctae. *Ecce vidimus* nempe, est ℟. III in Coena Domini; *Sicut ovis,* et *Recessit Pastor* sunt I et IV in Sabbato Sancto; ideoque ea confecit, vel saltem emendavit, Elisarchius presbyter qui floruit ineunte saeculo nono (Cf. Baumer, Hist. brev., Rom. I, p. 404). Responsoria vero III et IV, sumpta sunt ex Festo SS. Trinitatis; *Benedictus Dominus* est II, et *Magnus Dominus* est VI huius officii, quod compositum fuit a Stephano Episcopo Leodiensi († 920), ideoque omnia sunt pulcherrima, et iuxta leges optime composita in aureis Liturgiae saeculis.

Idem autem dici nequit de Responsorio officii pro aliquibus locis, etenim, si sententiis consideratis, in eis propositis, aspernenda esse non videantur, nihilominus si formam eorum inspicimus, iuxta praecepta, a Guyeto tradita, composita non fuisse statim comperiemur. Equidem, si I *Gratificavit*, et VI *Auferam*, male non se habeant, reliqua tamen bene non currunt, quia non quadrant cum parte resumenda. Sit pro omnibus VIII: *Christus pro nobis animam suam posuit; Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* ℣. *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Ex hoc ergo capite, Responsoriorum, praeferendum est omnino officium quod est corpore Breviarii.

Capitula.

In officiis antiquis, quae confecta fuerunt ante Urbanum VIII, regulam observatam conspicimus circa Capitula, quod sint semper, ulla sina exceptione, ab epistola Missae deprompta, et quidem, ut notat Gavantus (Sect. V, c. 15), Capitulum pro Vesperis, Laudibus et Tertia, est initium ipsius epistolae; ideoque nunquam desumi possunt ab Evangelio et libro Psalmorum. Porro, officium *De torrente* huic legi non satisfacit, Capitulum enim in Vesperis, Laudibus ac Tertia, sumitur ex libro Canticorum (c. 3), et Capitulum Sextae ex eodem quidem libro, non vero ex eodem capite (c. 8); Capitulum autem Nonae desumitur ex Psalmo 68, ideoque, etiam quoad Capitula, adprobari nequit officium pro aliquibus locis, quia non respondent epistolae Missae, quae est ad Ephesios, et unum ex ipsis sumptum est ex Psalmis.

E contra aliud officium, quoad Capitula, apprime satisfacit antiquis regulis liturgicis; deprompta sunt enim ex epistola Missae, nempe a Prophetia Isaiae.

Hymni.

Officium pro aliquibus locis duos hymnos habet, qui a peritis in arte poetica non multum existimantur, et insuper ob non modicas vocalium elisiones non bene currunt

in cantu; e contra tres hymni qui habentur in officio Breviarii, sive ob poeticas sententias, sive ob faciliorem cursum in cantu, et in recitatione, multo meliores reputantur.

De duabus Missis quae respondent utrique officio, nihil dicimus, quia iuxta bonas regulas constructae esse videntur; placet tamen notare quod Evangelium Missae quam in corpore Missalis habemus, magis est proprium festivitati, concludit enim illis verbis: *Unus militum latus eius aperuit* etc. quae summopere festivitati congruunt.

Itaque concludendo, dicendum est quod officium et Missa quae iam extant in corpore Breviarii et Missalis sunt omnino praeferenda: I° Propter officii brevitatem, habet enim 78 versiculos in Psalmis minus quam aliud officium. II° Propter lectiones I et III nocturni Hymnos et Evangelium magis congrua festivitati. III° propter Responsoria pulcherrima ex aliis locis Breviarii deprompta. IV° etiam quia officium istud, ut ita dicam, iam possidet; ab anno enim 1856 iacet cum sua Missa in corpore Breviarii et Missalis.

In definitiva Breviarii recognitione, bene poterit officium hoc emendari, praesertim lectiones II Nocturni, quae non sunt S. Bernardi, et forsan ex alio officio aliquid mutuari; sicut optandum est ut et alia officia, ex recentioribus in Breviario inductis, ex. gr. Ss. Nominis Iesu; S. Familiae; S. Ioseph; VII Dolorum B. Mariae, Ss. Rosarii, et B. Mariae de Lourdes, ad trutinam revocentur, et iuxta liturgicas regulas antiquae traditionis Romanae emendentur, prout Liturgistae melioris notae desiderarunt. Cf. Marbach (cit., c. IX); A Carpo (Bibioth. lit. II, n. 33 et alibi); P. De Santi S. I. (Il Cursus nella storia e nella letteratura); Grospellier (L'état actuel des Livres liturgiques, 1911).

Igitur Episcopus C. meliori modo providebit Sacrae Liturgiae suae dioecesis, si relicto officio pro aliquibus locis, in Festo S. Cordis Iesu sumat exinde officium quod in corpore Breviarii, cum Missa relativa, existit.

Doct. P. PIACENZA.

Consultationes.

BREVIORA RESPONSA

Pro Columbia. — I. Quidam Ordo divini Officii recitandi pro anno 1913, die 29 martii, ait: Sabb. in Albis .... Compl. de Domin. — Ordo vero pro clero romano, hac ipsa die, ait: Sabb. in Albis ... Compl. de Sabb. Quaeritur: Quis erravit, et quare?

Resp. Completorium natura Vesperarum se vestit, atqui secundae Vesperae Sabbati in Albis de Dominica dicendae sunt, psalmis ex Sabbato desumptis, ergo de Sabbato similiter psalmos accipere debet et Completorium.

II. Rubrica Missalis romani, quae invenitur in Dominica de Passione, et feria IV post Pascha, ait quod post orationem diei dicitur una ex sequentibus orationibus, videlicet: *Ecclesiae*, vel pro Papa. Hoc posito, non satis intelligo quare Ordo pro clero romano, hoc anno 1913, dicat die 13 martii et 19 eiusdem mensis: 2.ª orat. *Ecclesiae;* item, die 1.ª aprilis: 3.ª orat. *Ecclesiae.*

Resp. Ordo pro clero romano die 13 et 19 martii praescribit 2.am orationem *Ecclesiae* die autem 1.ª aprilis 3.am orationem *Ecclesiae*, et recte. Rubrica enim Missalis romani quae in Dominica Passionis et in feria IV post Pascha invenitur, praescribit post orationem diei, alteram ex duabus, videlicet *Ecclesiae*, vel pro Papa. Rubrica autem post Dominicam in Albis sic se habet: in Semiduplici, Simplici et feriis, 2.ª oratio de B. M. V. *Concede nos,* 3.ª *Ecclesiae,* vel pro Papa. Atqui dies 1.ª aprilis cadit non infra octavam Paschatis, sed post primam Dominicam Paschae; ergo .....

Excluditur autem in Ordine romano or. pro Papa, quia haec dicenda est quotidie tamquam imperata ab Ordinario.

III. An Episcopus stricto iure teneatur Sabbato Sancto, si velit pontificaliter ipse celebrare, prophetias privatim legere dum lector eas cantat? Ratio dubitandi est quia Caeremoniale Episcoporum, lib. 2, cap. 27, n. 15 explicite tantum ait: « Post quartam, octavam et undecimam lectionem seu prophetiam, Episcopus legit ex libro Tractum dum cantatur a choro ... », nihil vero de ipsis prophetiis, ni fallor, statuens.

Resp. Generatim, omnia quae a choralibus in Missis canuntur, leguntur a celebrantibus: ad hoc probandum non est immorandi ratio. In casu supra exposito, fere omnes auctores, sine ulla dubitatione, docent, episcopos legere debere prophetias dum eas chorales cantant. Hic duo sufficit auctores citare. Cl.mus De Herdt: « Cum Episcopus ad sedem pervenit, deponit baculum, sedet cum mitra, gremiale accipit, et legit prophetiam, dum cantatur »; et paullo post: « Post orationem, Episcopus iterum sedet cum mitra et gremiali, legit secundam prophetiam ac cantat orationem, et sic successive, legendo etiam tractum post prophetiam uti habetur ». Cl. Martinucci (lib. VI, c. XXI, n. 122) ait: « Quando cantor incipit cantare prophetiam, se sistet Episcopo Cappellanus a libro, eoque sustinente Missale apertum, submissa voce prophetiam leget Episcopus, assistentibus ei Diaconis, qui stabunt.... Quum Episcopus legerit prophetiam recedet Cappellanus etc. », et infra: « Cantabitur deinde prophetia secunda, quam Episcopus etiam leget ... Post prophetias IV, VIII et IX a cantoribus cantabitur tractus, quem leget Episcopus, postquam legerit prophetiam ».

Sed cl. Bauldry concordat adamussim cum Caeremoniali, et sane, si regula generalis deberet teneri, Episcopus legere nequiret prophetiam dum dicit eam cantor, sed postea, uti fit pro Epistola, celebrante Episcopo.

Ritus ergo novus est quod Episcopus legat dum minister cantat. At cum prophetias legere postea nequeat, actionem interrumpendo, eas omittit.

IV. An Episcopus, dum procedit ad dandam benedictionem cum SS. Sacramento, possit habere Presbyterum assistentem?

Resp. In expositione et benedictione cum SS. Sacramento post *Vesperas pontificales* aderunt Diaconi throno assistentes. Isti paramenta induunt ut in festo Corporis Christi, nempe rochetum vel superpelliceum (prout eius usum habent vel non), amictum et dalmaticam; neque primus Diaconus stolam assumit (*Caer. Episc.*, l. II, c. 33, n. 20; Decr. n. 4030). Presbyter assistens, in casu, thus ministrat (*Caer. Episc.*, loc. cit., n. 19), sed resumpto thuribulo recedit ab altari (Dec. 8 febr. 1913, II), et Diaconus senior SS. Sacramentum Episcopo tradit. — In expositione vero et benedictione cum Sanctissimo *post Missam pontificalem*, Diaconus et Subdiaconus, manipulis depositis, inserviunt Episcopo; ratio est, quia Diaconus et Subdiaconus ordinarie ad altare ministrant. Ex Decreto 8 febr. 1913 impediri videtur quominus etiam Diaconi assistentes, dalmaticis induti, honoris causa, ad latus ministrorum maneant. Presbyter assistens naviculam non ministrat, sed Diaconus. — In expositione et benedictione cum SS. Sacramento *post Missam cum Episcopus paratus adfuit*, Diaconus et Subdiaconus parati Episcopo assistant, et Presbyter et Diaconi assistentes recedent in chorum. — In expositione demum et benedictione cum Sanctissimo *independenter a quacumque alia functione;* idest cum Episcopus Cathedralem vel alia Ecclesiam adit, simpliciter ad populum benedicendum, Diaconus et Subdiaconus tantum Episcopo assistere debent (Decr., n. 2352), absque Presbytero assistente; et, in casu, Diaconus albam et stolam assumit. Haec est praxis Urbis, etiam cum aliquis Cardinalis populum benedicit (Cfr. cl. Favrin. Praxis solemnis funct. episcop. Pars II, c. 1). Ex libello NORMAE THEORETICO-PRACTICAE QUOAD EXPOSITIONEM ET BENEDICTIONEM SS. SACRAMENTI iuxta novissimas apostolicas sanctiones.

V. In Missa semi-pontificali, seu quando Episcopus Missae assistit pluviali indutus, debetne Episcopus Offertorium legere stans vel sedens?

Resp. Cantato a Celebrante *Oremus,* Episcopus stans Offertorium legit, postque illud iterum sedet et mitram assumit, quam retinet usque ad Praefationem. Sententia nostra roboratur auctoritate cl. De Herdt, qui in sua Prax. Pontif. lib. II, c. IX, n. 148 ait: « Cum celebrans cantaverit *Oremus,* ministri de libro et de candela accedunt ad Episcopum, qui stans legit offertorium, sicut idem stans legit pontificaliter celebrans. Lecto offertorio Episcopus et omnes sedent ». Idem sentit cl. Calatanus (lib. 2, c. 8, § 56, n. 6), cl. Vict. ab Appeltern (*Manuale Liturg.,* tom. I, app. pars I. cap. VII, art. IV), Falise (P. I, sect. 4, c. 1, § 4, n. 12), cl. Schober (art. 12, c. 5, n. 4), qui adnotat: « Episcopus Introitum etc. stans, capite aperto legere debet et etiam Offertorium iuxta ipsum Caerem. Episc. si ipse celebret; quare ergo hic pro assistentia Episcopi exceptio est facienda, quam Caeremoniale nullimode facit? » Contra nostram autem sententiam stant cll. Meratus (tom. I, P. 2, lib. 14, n. 30), Martinucci (lib. 5, c. 17, n. 99 et 100), Solans (tom. I, Pars. III, c, IX, art. 3, n. 350), et Favrin (cap. VII, pag. 68), qui docent Episcopum sedere, et mitra accepta, offertorium legere.

VI. Pro cantu Tertiae ante Missam pontificalem, in hunc locum Caerem. Episc. lib. 2, c. 8, n. 18, cl. Solans (Manual liturgico, 1907, tom. I, pag. 536) ait: « Dicitur ℣. *Fidelium animae* ». Le Vavasseur autem, seu potius P. Haegy (Les Fonctions pontificales, 1904, tom. I, pag. 81) ait: « Non dicitur ℣. *Fidelium animae* ». Quaeritur: cui standum?

Resp. Standum est sententiae cl. Le Vavasseur. — Cl. Solans in editione undecima nuper, ann. currenti 1913, edita, pag. 488 not. 3, ait: « Sin omitir el ℣. *Fidelium animae* - 24 apr. 1742, n. 2366. - Los decretos de fecha posterior que decían lo contrario, han sido suprimidos en la novisima colección auténtica. Dicho verso le ha de decir er Prelado, después que el Coro ha cantado el *Benedicamus Domino* »; et sententia sua auctoritati cll. De Herdt et Vict. ab Appeltern frustra conatur inniti. Re enim vera cl. De Hertd (*Prax. Caer. Episc.* lib. 2, c. 8, n. 82) non affirmat neque

negat, sed tantum dubitat dicens: « Dubitatur an versus *Fidelium animae* sit addendus: iuxta aliquos, Episcopus illum submissa voce subiungit; potius autem dicendum videtur eum esse omittendum, quia Caeremoniale nullum huius mentionem facit ». Cl. autem adlaborator noster P. Vict. ab Appeltern ita sentiebat ann. 1901, cum S. R. C. mentem suam circa hanc quaestionem nondum declaraverat, sed in novissima editione operis sui liturgici, quae sub praelo adhuc est, sententiam suam iuxta decretum S. R. C. *in Atrebaten.*, n. 4219 ad III emendavit, quod decretum sic se habet: « Post horam tertiam, quae praecedit Missam pontificalem, Episcopus celebrans debetne, dicto per Chorum *Benedicamus Domino*, omittere versum *Fidelium animae?* Resp. Ad III. Affirmative in casu », atque ita rescripsit, die 5 iunii 1908.

VI. Item, an in Vesperis Pontificalibus omitti debeat ℣. *Fidelium animae?*

Resp. Omittitur ℣. *Fidelium animae*, et consequenter etiam antiphona finalis B. M. V., in supposito quod officium cum Vesperis finiatur, conformiter ad Rubricas Breviarii, tit. 30, n. 3, et tit. 36, n, 3. — Versiculus *Fidelium animae* in Vesperis ut dicatur, oportet Completorium vel saltem antiphona finalis B. M. V. sequatur. Ad firmitatem huius asserti fas est adducere decretum S. R. C. *in Olomucen.*, n. 5213 ad IX. Ad dubium: « Tempore quadragesimali Archiepiscopus aliquoties solemni ritu Vesperas celebrat. Cum vero Completorium non subsequatur, quaeritur: Num Antiphona finalis B. M. V. post Vesperas decantanda; et quatenus affirmative, quo tempore et qua ratione? Resp. Ad IX; Ad primam partem: Negative; ad alteram: Provisum in prima ».

VII. Festum Translationis Reliquiarum S. Vincentii a Paulo, dominica II post Pascha, celebratur in Cathedrali, et non in Seminario; ad maiorem solemnitatem, R. Episcopus enim pontificaliter eo die celebrat, et huic Missae assistunt virorum ac mulierum societates seu confraternitates quae S. Vincentium ut Patronum venerantur.

Ordo dioecesanus eo die (domin. II Paschae) nullum festum S. Vincentii celebrat. Quaeritur: An praedictae circumstantiae sint causa gravis et proportionata, ut Episcopus celebret ipse vel celebrare faciat solemniter Missam votivam de S. Vincentio, cum *Gloria, Credo,* et unica oratione? Et in casu affirmativo, potestne dici Missa *propria* quae Sacerdotibus Missionis concessa est?

Resp. Ex privilegiis Alumnis Congregationis Missionis a Sancta Sede concessis, quoad casum ab inquirente expositum, habentur duo decreta quae explicite favent festum Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a Sacro Numismate. Primum decretum ita se habet: « Ex apostolico indulto diei 23 iulii, hoc anno, Congregationis Missionis Alumnis concessum est, ut ab ipsis festum Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a sacro Numismate, vulgo: *Della medaglia miracolosa*, quotannis die 27 novembris sub ritu duplicis secundae classis recolatur, cum Officio ac Missa propriis, rite approbatis. Quum vero contingat, ut, aliquibus locis memorati Alumni vel Filiae Caritatis ecclesia suae domui contigua haud satis ampla utantur, vel careant omnino, R. D. Antonius Fiat, Moderator generalis Cong.nis Missionis et Filiarum Caritatis, Sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII iteratis precibus rogavit ut ab iisdem enuntiatum festum in aliena ecclesia, de consensu respectivi Parochi vel Rectoris, recoli valeat; facta scilicet potestate singulis Sacerdotibus, inibi Sacrum facturis, Missam propriam celebrandi nuper Alumnis suae Cong.nis concessam. — Sacra porro Rituum Congregatio, utendo facultatibus ab eodem Sanctissimo Domino nostro sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces: servatis Rubricis ». Die 12 novembris 1894. Pro E.mo et R.mo D.no Card. C. Aloisi Masella *Praef.* L. M. Card. PAROCCHI, Pro R. P. D. ALOISIO TRIPEPI, *Secret.* ANTONIUS SARDI, *Subst.*

Secundum Decretum, eodem die concessum, agit de facultate transferendi solemnitatem festi Manifestationis ad aliam subsequentem diem liberam, scilicet a duplici I vel

II classis, vel a Dominica privilegiata I classis, aut ab aliquo festo Deiparae quoad Missam solemnem, et a duplici etiam aut a Dominica privilegiata II classis quoad Missas lectas, Missa quoque Conventuali, vel Parochiali, officio diei respondente non omissa, ubi eam celebrandi onus adsit.

Quoad autem festum S. Vincentii a Paulo habetur Decretum diei 14 iunii 1833, quo conceditur facultas celebrandi Missas Sancti Fundatoris in ecclesiis civitatis ubi est erecta Sodalitas Filiarum Caritatis die quo eiusdem festum celebratur, dummodo non occurrat dupl. 1 vel 2 class. quoad Missas lectas, et dupl. 1 class. tantum quoad solemnem; servatisque Rubricis. — Insuper decreto, die 10 iunii 1858 a Sancta Sede obtento, facultas datur transferendi festum S. Vincentii ad diem opportuniorem post diem 19 iulii, dummodo non occurrat duplex primae classis quoad Missam solemnem, duplex primae vel secundae classis quoad lectas; non omissa celebratione Missae Conventualis vel Parochialis de Officio occurrente, quoties onus adsit, ac tandem Rubricae in omnibus serventur. — Ex expositis privilegiis respondere affirmative, sine ulla formidine errandi, debemus. Fas est autem parvum argumentum hic addere ad certitudinem augendam. — In festo Sancti titularis impedito, vel Sancti saltem commemorati, ratione specialis concursus, et facultate Episcopi rite obtenta, nemo non videt, ad pietatem fovendam, licitum esse Missam solemnem celebrare. Sed ut in honorem alicuius Mysterii vel Sancti in aliena ecclesia solemni ritu votivo unam Missam solemnem celebrari liceat, necesse est adsit causa gravis ab Ordinario cognita. Praxis tamen multis in locis viget, si aliquando capellae vel ecclesiae nobis concreditae non sinunt, ob locorum angustias, festivitatem Sancti Fundatoris satis decore celebrari, ampliores ecclesiae petuntur, in quibus magno cum gaudio nostrorum fideliumque solemnitas explicatur. Quoad secundam partem quaesiti, Missam propriam, scilicet Missionariis concessam, celebrandam esse, respondemus.

P. M. D. A.

Pro Rota, in dioecesi Veronensi. — Quaeritur:

I. Feria VI post Dominicam Passionis potestne haberi imago Virginis Perdolentis *in suo altari* discooperta, et ante ipsam accendi candelae, et Missam peragi?

II. Feria VI in Parasceve, post Missam Praesanctificatorum, potestne eadem imago Perdolentis Virginis *in suo altari* exponi discooperta venerationi fidelium, cum candelis accensis? Nam Decreta nn. 2375 ad 4, et 2682 ad 52, in Indice Decretorum, non verbum faciunt de expositione *in altari*.

Resp. ad I et II. Iam alias probavimus, non esse licitum exponere imaginem B. M. V. Perdolentis feria VI post Dominicam Passionis et feria VI in Parasceve, detectam *super altari;* et Decreta esse intelligenda pro casibus particularibus pro quibus data sunt, et in terminis sub quibus exprimuntur, absque ulla facultate ea extendendi contra notissimam et iustissimam legem.

III. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis et eiusdem Titularis, etiam extra ipsam Cathedralem, est festum primarium: D. 4249. Quaeritur: in praefatis festis extra Cathedralem censenda est vetita Missa exequialis in cantu praesente cadavere?

Resp. Prohibitio celebrationis Missae exsequialis in casu non est censenda afficere festum, sed locum: ac proinde quod vetitum est in ipsa Ecclesia cuius dedicatio celebratur, non est prohibitum in illa in qua alterius colitur dedicatio, esto agatur de festo utrobique proprio.

IV. Ephem. liturg. currentis anni, pag. 377, docent quod si occurrat dies Rogationis maioris S. Marci in festo Solemnitatis S. Ioseph, ad processionem dicenda est Missa de Rogationibus. Missa vero de festo dicenda est tantum (ad processionem) cum in iisdem Litaniis occurrit festum Patroni et Titularis, iuxta decr. nn. 128, 1890 ad 9, 2687 ad 2, et 2942. Attamen S. Ioseph nonne *Patronus* est universalis Ecclesiae? Ergo saltem ex hoc capite mihi videtur quod in casu dicenda sit Missa de festo cum commem.

Rogationum sub unica conclusione, sive una, sive plures in Ecclesia habeantur Missae. Ceterum decr. 3009 agit de Rogationibus minoribus.

Resp. Instamus in data solutione, quia Patronatus Ecclesiae universalis non est aequiparandus, liturgice loquendo, cum Patronatu *peculiari* loci, Dioecesis etc. Si ratio Patronatus universalis liturgice valeret, omnia festa duplicia I cl. primaria B. M. Virginis, cum Deipara sit summa Patrona Ecclesiae, consectaria afferrent, de quibus nemo umquam cogitavit. Animadverte, quod S. Ioseph dictus est simpliciter Patronus et non Patronus *peculiaris,* quemadmodum sancti Patroni locorum. Ideo idem Sanctus esse potest, si rite eligatur, Patronus *peculiaris* sensu liturgico, quemadmodum B. Virgo eligitur Patrona *peculiaris* sub diversis titulis. Concludimus tamen, ut in prima solutione dicimus, ita esse sentiendum, circa Missam Rogationum, usque dum Auctoritas, quod ceterum cupimus, et confidimus cito futurum, ad plurima enucleanda dubia, et ad sacrarum functionum faciliorem exsecutionem, aliter non decernat quoad omnia festa duplicia I cl. saltem primaria.

Pro Dioecesi Lucana. — I. Inutilis est labor, opponere rubricae quae Missas de requie moderatur, iuxta novissimam reformationem, tit. X, n. 5, opponere, inquam, *Praenotanda* calendariorum, quae in errorem sunt lapsa, et alios trahunt. Sic ait rubrica: « Leges pro Missis defunctorum in cantu immutatae manent... Quoad vero Missas lectas defunctorum dicendas diebus ritus semiduplicis aut simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa (de prima die cuiuscumque hebdomadae libera) ». Si ergo calendaria dicunt, in Quadragesima vetitas esse Missas defunctorum, cum cantu in semiduplicibus et simplicibus, excepto uno in qualibet hebdomada die non est opus recurrere ad S. Rituum Congregationem, sed ad quemlibet vel prima latinae linguae elementa praelibantem. Et notetur quod nova rubrica, ad vitandas aequivocationes, non est usa voce *privata,* sub qua aliquando in-

telligitur Missa lecta, at incongrue, cum etiam Missa cum cantu possit celebrari privato mandato et causa, sed adhibuit vocem *lecta,* sub qua nescimus quomodo possit, etiam vim sermoni et locutionibus ingerendo, includi Missa cum cantu.

II. Si *Praenotanda* calendariorum dicunt, Missas privatas, die vel pro die obitus, prohibitas esse diebus festis de praecepto etiam suppressis, nullimode errare dicenda sunt, equidem secuta sunt normam quam tenet apostolica Sedes, quando festa supprimit; vult nimirum quod circa liturgicas leges nihil in hisce casibus immutetur. Neque distinctio fieri potest de festis duplicibus classicis, et de maioribus ac minoribus, quia ratio semper est eadem. Hinc die festo S. Silvestri, 31 Decembris, eiusmodi Missae impeditae manent. Addatur, ad abundantiam, quod decrevit S. Congregatio Concilii, circa dies festos nuper suppressos, die 3 Maii 1912: « I. Quum, perpensis etc., vult immo Sanctitas Sua, ut iidem dies in sacris templis celebrentur, *non minori* quam antea, *solemnitate,* et si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est S.S. mens, ut relaxata maneat *tantummodo* sanctio, qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus ». Et S. Rituum Congregatio, die 23 Aprilis 1909, ad II (n. 4236), circa festum S. Bartholomaei Ap., quod a Regularibus celebrari debet eodem die ac a clero saeculari, « ex causa feriationis, quae licet reducta, omnimodam uniformitatem ab universo eiusdem dioecesis vel regionis clero, etiam circa diem, in celebrando festo requirit ».

Pro Dioecesi Anagnina. — Rubrica reformata Dominicae infra octavam Epiphaniae ad secundas Vesperas, pro commemoratione octavae, praescribit antiphonam *Magi videntes,* ex primis Vesperis, et Menghini (Norme pratiche etc., pag. 45) illius rationem adducit, dicendo quod ea die deest antiphona propria. At, si in Dominica, occurrente die 11 Ianuarii, pro commemoratione octavae diceretur antiphona de primis Vesperis, omittenda esset antiphona *Admoniti,* quae assignatur

diei sextae infra octavam, quia, in casu haec dies sexta concurrit cum primis Vesperis diei octavae, pro qua recurrendum rursus est ad primas Vesperas festi. Non est igitur vera assertio, quod desit in casu antiphona propria.

Resp. Est haec permixtio idearum, notionum et peculiarium dispositionum legis. Veritas est, quod Dominica infra octavam Epiphaniae interrumpit cursum dierum quinque, qui descripti sunt in Breviario, a secunda ad sextam, et in casu exposito, Dominica intercluditur diebus quintae et sextae; hinc die dominico, qui non est neque quintus neque sextus neque alius de serie, nequit pro octavae commemoratione assumi antiphona a sexto vel ab alio die. Si vero rev. Inquirens voluisset, forsan, in casu *defectus* antiphonae pro tali die, potius quam recurrere ad antiphonam iam dictam, et rursus dicendam in primis Vesperis diei octavae, esse recurrendum ad aliam, quae eo anno omittenda esset, hoc posset conveniens videri. Ergo, verum est die dominico infra octavam Epiphaniae deficere antiphonam pro commemoratione octavae; verum est rubricam in casu praescribere antiphonam ex primis Vesperis festi, quod est conforme generali legi de concurrentia, si enim sequitur Officium de infra octavam, quae fuit interrupta, resumendum est Officium ex primis Vesperis. Quod autem in casu omissionis antiphonae *Admoniti,* haec possit resumi loco antiphonae secus repetendae, non videretur id proprio marte esse faciendum, sed expectandam auctoritatis sanctionem. Non auderemus tamen damnare eum qui in hoc casu applicare vellet regulam nuperrime apud S. Rituum Congregationem admissam, de servandis, quanto magis fieri potest, partibus Officiorum propriis.

II. Novissimae rubricae nihil immutarunt de antiquis, nisi in quantum expresse illis moderantur vel contradicunt; ergo, a fortiori, nihil immutarunt de indultis variis locis concessis, nisi item habeatur inter eas et haec contradictio, seu, ut italice dicitur, *incompatibilità*. Hinc, ubi ex antiqua consuetudine et indulto apostolico festum Annuntiationis

B. M. V. celebratur cum octava in Quadragesima, potest et debet in hac praxi continuari.

III. Quando festum Annuntiationis B. M. V. extra quadragesimam celebrandum est, non fert secum octavam, nisi translatio fiat tamquam in sedem propriam, scilicet quum transfertur cum feriatione; quod hodie etiam attendendum putamus, etiamsi feriatio in populo sit abolita. In casu autem translationis octavae, nona lectio diei octavae dicetur ut in Octavario romano, a verbis nempe « Ecce, inquit, ancilla Domini ».

IV. In Sabbato ante Dominicam in Septuagesima, in qua anticipatur, cum sola commemoratione et homilia, Dominica V post Epiphaniam, in primo nocturno, anticipato iam in feria sexta praecedenti initio Sabbati, possunt poni tria initia, quae sunt videlicet de Dominica V, et de feriis tertia et quinta respective sequentibus. Haec est mens rubricarum, ut quantum fieri possit de initiis S. Scripturae legatur. Et quamvis in tit. XXVI, *de Lectionibus*, n. 8, dicatur, quod de Epistolis S. Pauli, quod superest, adveniente Septuagesima, eo anno omittatur, quamvis de aliquibus Epistolis nihil sit lectum, hoc accipiendum est congruenter ad verba, quae inferius habentur: « Quod si fiat de aliqua Dominica post Epiphaniam anticipate in feria, eo modo quo dictum est de Dominicis, nn. 4 et 5, tunc post officium Dominicae anticipatae, in sequentibus diebus legatur de Epistolis S. Pauli assignatis Dominicae anticipatae, et sequentibus feriis, omissis aliis, quae sunt assignatae praecedenti hebdomadae ». Ex quibus verbis erui datur, quando locus fieri potest reliquis Epistolis S. Pauli, hoc omnino esse tenendum; atqui saltem per initia id possibile est, ergo...

V. In Officio Orationis D. N. I. C. in Horto, si commemorandum sit officium S. Scholasticae, etiam nona lectio de hac Sancta recitari debet, quia reipsa historica est. Et vice versa, si in alio officio commemorandum sit festum Orationis praedictae, non est dicenda eius nona lectio, quia non est historica.

VI. Dominica Palmarum, si facienda sit expositio SS.mi Sacramenti in forma Quadraginta Horarum, oratio de SS.mo Sacramento addi nequit ad orationem diei, quia agitur de identico mysterio, uti declaravit S. R. C., in SS.ma quippe Eucharistia recolitur memoria Passionis Domini. Nunc vero oratio de Dominica Palmarum est de Passione. Similiter faciendum feria tertia, cum celebratur Missa de repositione, ex eadem ratione. Feria tamen secunda, cum celebratur Missa pro pace, in hac, iuxta praescriptionem Instructionis Clementinae, bene addi potest et debet oratio de pace.

VII. Decretum peculiare pro Urbe datum circa orationem in festo S. Agapiti P. C., ut nempe dicatur semper *Exaudi*, etiam quando non occurrit cum Virgilia S. Matthaei, nequit extendi ad alia loca sine apostolico beneplacito, sed agendum, iuxta rubricas, data occasione. Hoc, nisi officia Summorum Pontificum concessa sint expresse *prout Romae celebrantur*.

VIII. In primis Vesperis Dominicae primae Adventus, facienda est commemoratio concurrentis S. Gregorii III, cum oratione *Exaudi,* et Simplificandi sequentis S. Gelasii cum oratione *Da, quaesumus,* quia oratio *Da, quaesumus* est utrique propria, ac proinde reservanda est illi Sancto, qui prius commemoratur, et insuper ius potius inest Sancto, qui integrum habuit officium, prae alio qui tantum debet commemorari. Secus, inconveniens ex eo procedens quod in Laudibus S. Gelasius sit commemorandus cum oratione *Da, quaesumus,* dum in primis Vesperis habuit *Exaudi,* a fortiori lamentandum esset in praecedenti, qui, ut diximus, integrum habuit officium.

IX. Die octava Immaculatae Conceptionis B. M. V. Lectiones primi nocturni debent dici de Scriptura occurrente, et non de festo repeti, quia si novissimae rubricae excludunt Lectiones non stricte proprias, vel si agatur de festis B. M. V. et ipsius Domini, nec non Sanctorum, qui gaudent privilegio, saltem assignatas, nullimode, uti patet, patiuntur, quod Lectiones iam in festo dictae repetantur in octava.

X. Quoad cetera dubia, patienter revolvat Rev. Inquirens nostras *Ephemerides*, quae iam satis abundeque iisdem vel similibus in adiunctis responderunt. Quoad moniales C... desunt in dubio sufficientia indicia, ut rite responderi queat.

Pro Dioecesi Elnen. — I. Quaedam festa sanctorum hucusque duplicia in tota nostra dioecesi, nuper ad ritum simplicem, rogante Episcopo, redacta sunt, ut in Kalendario Ecclesiae Universalis. Quaeritur an illa festa retinere necessario debeant *ritum duplicem* in ecclesis ubi horum sanctorum insignes reliquiae asservantur?

Resp. Decretum 1333, ad 14, loquens de insigni reliquia Sancti, ait: « ratione cuius duplex Officium recitari potest ». Decretum autem n. 1334, ad 3, inquit: « Conceditur Officium duplex minus pro Reliquia insigni et approbata ». Ex his loquendi modis, eruitur, Officium duplex in casu esse facultativum.

II. Quod si ritum simplicem, ut in tota dioecesi, reassumere possint aut debeant haec festa in talibus ecclesiis, quid de *Credo* recitando ex rubricis ob insignes reliquias? Num penitus omitti debet aut potius recitari in Missa de *simplici* vel etiam in Missa in qua *simplex* tantum commemoratur, quae dicitur de duplici vel de semiduplici occurrente?

Resp. Si Missa de Sancto cuius Reliquia insignis in ecclesia asservatur decantatur cum concursu populi, nullum dubium quod *Credo* in tali Missa dici possit et debeat. Si vero desit eiusmodi concursus, non videtur posse addi Symbolum, nisi in casu quo Officium de Sancto in eadem ecclesia sub ritu saltem duplici minori recolatur. Id erui videtur ex decreto S. R. C., n. 4192, ad IV, 1 et 2, in quo agitur de *Credo* addendo Missae in festis secundariis Patroni, Titularis et Fundatoris Ordinis seu Congregationis, in quo, etsi locutio: *si ritu saltem duplici gaudeant*, exstet in dubii expositione, videtur tamen in responso, prouti iacet dubium, affirmativam esse datam sententiam. Exinde enim erui videtur, Symbolum repugnare festis non duplicibus. Haec tamen repu-

gnantia non esset absoluta, habemus enim legem, quae etiam in semiduplicibus infra octavas habentes *Credo* occurrentibus admittit Symbolum, etiamsi agatur, non de Missa diei infra octavam, sed etiam de aliquo alio Sancto sub ritu semiduplici occurrente; et iuxta nostram sententiam, influxus octavae in casu extenditur etiam ad Sanctum sub ritu simplici recolendum occurrentem, infra eiusmodi octavam. Quod rubricas generales Missalis romani attinet, sub tit. XI, habetur: « Symbolum dicitur... ubi habetur corpus vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur ». Non dicit, de quo agitur solemniter, vel sub ritu duplici, vel quid simile; unde erui daretur, quod Symbolum in casu semper dici queat. Quod nos attinet, confitemur rem esse dubiam, sed non deesse probabiles rationes in Symboli favorem, etiamsi Missa dicenda sit sub ritu simplici. Trahe exinde consectarium pro Missa in qua simplex tantum commemoratur.

III. Die 5 novembris, S. R. C. consensu, fit in tota dioecesi festum dupl. mai. Omn. Ss. Reliquiarum quae in dioecesi asservantur. Num hoc festum Reliquiarum *in genere* dispensat a festis *particularibus* in respectivis ecclesiis?

Resp. Negative; seu melius nullimode influit super particularia festa, quae, uti diximus in superiori responso, celebrari *possunt* sub ritu duplici minori.

Pro dioecesi X. — I. In Cathedrali Ecclesia est diversus ritus quem sequuntur duo sacerdotes in Missa cantata sine ministris: unus ex iis, dum in choro cantantur verba Symboli « Et incarnatus etc ». Cum ipse non sedeat ad scamnum, simpliciter caput inclinat, alter vero genuflectit in suppedaneo: quis ex duobus recte agit?

Resp. Regula quae traditur quoad genuflectendum dum a choro canitur in Symbolo versiculus: *Et incarnatus etc.*, afficit etiam Celebrantem; ita ut si ipse tunc sedet, non debeat genua flectere, si vero stet apud altare, genuflectat in suppedaneo,

II. Canonici ad eadem verba, in duplicibus caput tantum inclinant, in semiduplicibus genuflectunt, recta ne est agendi ratio?

Resp. Arbitraria est haec diversa agendi ratio, et servandum Caeremoniale Episcoporum, quod istiusmodi differentiam non admittit. Si solerent Canonici non sedere ad cantum Symboli, tunc non solum in semiduplicibus, sed et in duplicibus genua flectere deberent.

III. In festis simplicibus, quae responsoria legenda post lectiones? Menghini et Piacenza dicunt de communi, sed ex quali nocturno?

Resp. Nihil immutatum est circa modum assumendi responsoria in festis simplicibus post lectiones nocturni. Atque ideo de Communi assumentur eo ordine quo indicantur in rubrica generali Breviarii tit. XXVII, n. 4, scilicet: secunda et quinta feria, primum et secundum responsorium primi nocturni; feria tertia et sexta, primum et secundum responsorium secundi nocturni; feria quarta primum et secundum tertii nocturni.

Pro urbe Washington. — Anno praeterito, diversas sententias docuerunt *Ephemerides Liturgicae* de Psalmis in Completorio Sabbati in Albis. Prima quidem vice tenuerunt, hos Psalmos de Dominica sumendos esse. Postea vero asseruerunt, Psalmos Sabbati in Psalterio recitandos esse. Scire vellem, utrum haec secunda sententia sit tantum sententia privata Redactorum Ephemeridum, vel sit aliquo modo officialis, ut dicitur, seu quae a secretario, vel alio membro S. R. C. proveniat?

Resp. Uti secundo loco qui in dubio citatur asseritur, sententia circa psalmos in Completorio Sabbati in Albis, fundamentum habet in ipsa nova rubrica, quae ait, Completorium esse de Dominica in octavis, si tamen officium fiat de ipsa octava, atqui in Dominica quae est octava paschae non fit officium de octava, sed de ea, ergo..... Non est igitur quaerendum utrum sententia sit privata nec ne, uti patet.

Pro Moravia. — Titulus ecclesiae est S. Thomas Episcopus Cantuariensis M. (die 29 dec.) celebrandusne est cum octava? Et si celebretur cum octava, quid die 5 Ianuarii,

quae est vigilia Epiphaniae Domini, et esset etiam octava Tituli ecclesiae?

Resp. Tertiumdecimum ex Notandis post novissimas Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae, ait, quod a die 19 decembris usque ad Epiphaniam inclusive nihil fit de octavis, quae non sunt in Breviario. Scimus, verbum *amplius*, quod ibi habetur, a nonnullis accipi, quasi diceret *de octavis inceptis*, non de incipiendis; sed sensus est, uti etiam fere officialiter accepimus, quod tunc neque possunt continuari incoeptae, neque incipi novae. I. B. M. M.

Pro Dioecesi N. in Austria. — In festo Sancti Osvaldi Regis Martyris (die 7 augusti) legitur in Missa Evangelium: *Qui vos audit, me audit,* ut in missali die 15 iunii; in officio autem leguntur duae lectiones super idem Evangelium ex Homilia S. Augustini (serm. 24 de verb. Dom.) et IX lectio est de simplici S. Donato; in ecclesiis ergo ubi S. Osvaldus est Titularis, ubi sumenda est IX lectio, cum VII et VIII satis sint breves?

Resp. In Ecclesiis S. Osvaldo Reg. Mart. dicatis, in Officio ad III nocturnum sumantur lectiones S. Bedae venerabilis, in Evangelio: *Qui vos audit,* quae habentur in Octavario Romano, lectiones vero quae per dioecesim dicuntur de S. Augustino, in dictis Ecclesiis legantur in die Octava (die 14 aug.) in qua dicenda est IX lectio de Vigilia Assumptionis, ideoque sufficiunt lectiones ipsae S. Augustini. Cum autem dies natalitia S. Osvaldi Reg. sit 5 augusti, procul dubio ubi est Titularis, ea die agendum esset festum eius. Si vero usque adhuc, iis in locis, celebratum sit festum cum dioecesi die 7, bene poterit huiusmodi consuetudo servari, et sic provisum esset deficentiae lectionis IX. Quod si revera in Ecclesiis ubi S. Osvaldus est Titulus, celebratur sua die 5 augusti, tunc in die Octava (12 aug.) cum non habeatur lectio IX de simplici, adhiberi poterit lectio IV de communi unius Martyris, quae est ex operibus S. Augustini item deprompta.

Neque dicas, neminem posse, marte suo, lectionem aliquam sumere in divino officio, sine adprobatione Apostolicae Sedis, quia si aliqua lectio nova eligeretur nondum adprobata, procul dubio id fieri prohibetur a S. Pio V, et a pluribus decretis S. R. C.; cum autem, ut nos proponimus in casu, lectio IX pro S. Martyre Osvaldo, iam habeatur in Breviario Romano, pro uno Martyre, optime sumi potest, et in laudem magnificam vergit ipsius sancti. Idem est dicendum de lectionibus S. Bedae recitandis in die festo, eo quod, iuxta decretum S. R. C. Octavarium Bartholomaei Gavanti adprobans, quisque pro lubito sumere potest ex eo lectiones pro octavis festorum propriorum.

Sicut enim in ecclesiis dicatis B. Mariae Nascenti, omissa IX lectione S. Hadriani, sumitur lectio posita in Officio S. Mariae in sabbato pro mense septembri, ita et in ecclesia S. Martyri dicata bene poterit accipi lectio de communi. P. P.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

(Continuatio, V. n. 6 curr. anni, pagg. 379-382)

Neque etiam concordat cum decreto S. R. C. n. 1922 quo declaratur, octavas Omnium Sanctorum et S. Ioannis Baptistae, digniores esse quam octavam dedicationis ecclesiae.

Sententia nostra confirmatur ex rubricis peculiaribus *Breviarii Romani-Seraphici* (editi Mechliniae 1875), ubi n. 73 dicitur: « Si festorum duorum dies infra octavam, vel dies ipse octavae simul occurrant, est celebrandum officium de infra octavam, seu de die octava illius festi, quod secundum communes occurrentiae leges alteri festo praefertur » ; ideoque non intelligimus cur P. A Carpo, qui ex franciscalibus erat, oppositum doceat (loco citato).

Item non amplius valet sententia Gavanti (sect. III, c. 8, n. 6) ubi docet, quod, ceteris paribus, dignior est octava, quam celebrat Ecclesia universalis. Etenim cum festum *proprium*, ex novis Rubricis, praeferentiam habeat super festa universalia, necesse est ut et octava *propria* praevaleat octavae universali. Hoc profecto intelligendum est tantummodo de festis secundae classis, nam, ut antea vidimus in nota praecedenti, sicut festa primae classis, universalis Ecclesiae primaria, praeferri debent aliis festis, etsi solemnissimis, localibus, octavae etiam eorum, simili praecedentia gaudere debent. Hinc ubi celebratur festum S. Caietani (7 augusti) ritu duplici secundae classis cum octava; haec, utpote de festo *proprio*, praefertur octavae S. Laurentii, ideoque die 11 dicti mensis, illo in loco, fit de octava S. Caietani cum commemoratione octavae S. Laurentii.

4. In die Octava Commemorationis Solemnis Corporis Christi, non fit de aliquo etiam duplici I cl. nisi de occurenti Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, cum Commemoratione diei Octavae; (5) quae autem omittitur in II. Vesperis, ob concurrentiam Festi Ss. Cordis Iesu (6).

(5) Ex S. R. C. decreto 24 iul. 1911 deinceps festum Ss. Corporis Christi celebrandum est cum octava privilegiata, ad instar octavae Epiphaniae, ideoque notandum hoc 4, excludit quodcumque festum etiam primae classis, occurrens in die octava. Excipiendum est tamen festum Ss. Petri et Pauli, ut alio suo decreto declaravit eadem S. R. C. 17 novembris 1911, n. 4280, eo quod recolitur cum feriatione.

Cum autem dicatur, quod octava Corporis Christi celebrari debeat iisdem privilegiis ac octava Epiphaniae, nonnulli putabant, quod octavae inceptae, adveniente festo Corporis Christi, obtruncari deberent, prout de facto in plurimis calendariis dioecesanis, in die quae praecedit Corporis Christi festum, legitur: *ab hac die cessant omnes octavae inceptae,* quod et notatur in vigilia Pentecostes. Haec autem opinio sustineri videtur etiam a S. R. C. decreto in Wilnen. 22 aprilis 1741. Nihilominus verane est huiusmodi opinio? Hoc est nobis videndum.

Duobus in locis loquuntur rubricae generales breviarii de cessatione octavarum, tit. VII, n. 1, et in notandis post tabellam occurrentiae n. 6, quo in loco haec leguntur: *De aliis octavis, quae non sunt in calendario* (intellige universali) *nihil fit a Feria* IV *Cinerum usque ad dominicam in Albis, et a vigilia Pentecostes usque ad festum SS. Trinitatis inclusive, et a die 17 decembris usque ad Epiphaniam.* Ex cuius rubricae locutione duo descendunt consectaria: 1° quod octavae inchoatae adveniente die, a quo incipit tempus privilegiatum, cessant omnino, ita ut de iis nil amplius fieri queat, neque commemoratio; aliis verbis, octava non est quasi suspensa, sicut suspenditur adveniente duplici j vel ij classis, sed plane

obtruncata perit omnino; 2° quod non solum cessant octavae inceptae, sed, usque ad finem eiusdem temporis privilegiati, nullum festum celebrari potest cum octava.

Quando ergo obvenit festum Epiphaniae, impossibile est quod aliqua octava sit incepta: usque enim a die 17 decembris, non solum cessarunt octavae inchoatae, sed festa sequentia celebrari nequeunt cum octava; ergo error est dicere, quod adveniente Epiphania, cessant octavae inchoatae; quia festum Epiphaniae, licet sit ex solemnioribus, nihil influit ut aliquod festum amittat suam octavam, aut saltem obtruncatam habeat; ergo omnino vera est propositio, quod festum istud non habet virtutem obtruncandi octavas, sicut, ex. gr. eadem virtute caret dominica in Albis, licet ea adveniente, nulla octava umquam habeatur, cum sit *terminus ad quem,* in quo desinit tempus privilegiatum.

Itaque, a pari, si festum Corporis Christi, et eius octava, celebrari debet cum privilegiis, quibus potitur ex rubricis festum et octava Epiphaniae, quia privilegio obtruncandi octavas caret Epiphania, eo quoque carebit festum Corporis Christi. Infra octavam ergo, vi Decreti novissimi, deinceps agi non poterit, nisi de occurrentibus festis duplicibus primae classis, octavae vero inchoatae suspensae remanent in solo die festo, sicut fit in ceteris duplicibus primae et secundae classis; infra tamen octavam ipsius Corporis Christi, commemoratio fieri debet de alia octava iam incepta.

Haec scripsimus in Ephemeridibus liturgicis (an. 1911 mense septembri, p. 541), et sententia nostra, antea ab aliquibus oppugnata, paulo post a S. R. C. adprobata fuit per decretum citatum 17 nov. 1911.

Quid autem dicendum de die octavo Ss. Trinitatis, ubi est ecclesiae titularis? Ante decreti evulgationem, procul dubio officium fiebat de octava ipsius Ss. Trinitatis, cum commemoratione octavae Corporis Christi; nunc vero, quia octava non admittit nisi duplicia primae classis, de die octavo fieri debet tantummodo commemoratio, etiam in secundis vesperis.

Sunt qui tenent, et non improbamus, quod dies octavus Ss. Trinitatis recte celebrari possit infra octavam privilegiatam Corporis Christi, tribus ex rationibus.

I. Quia agitur de die octavo festi, in quo recolitur, simul cum aliis duabus, etiam secunda Persona; videtur scilicet, quod in officio diei octavi Ss. Trinitatis, apte commemoretur et dominus Iesus Christus, cuius decurrit octava privilegiata. II. Quia in dominica infra octavam Corporis Christi, non fit officium praecise de octava, sed de dominica cum commemoratione octavae, licet psalmi et hymni atque antiphonae sumantur ex octava; ideo, loco officii dominicae, bene poterit recitari officium diei octavi Trinitatis. III. Quia festum ipsius Ss. Trinitatis est mobile, et semper eius dies octavus incidit infra octavam Corporis Christi; igitur cum perpetuo impediatur, videtur quod melius esset, si in die octavo fieret eius officium. Optandum ergo est, ut competens auctoritas hoc sensu hanc solvat quaestionem.

(6) *Quae autem omittitur in 2 Vesperis ob concurrentiam festi sacratissimi Cordis Iesu.* Licet dies octava Corporis Christi in concurrentia praevaleat primis vespris sacratissimi Cordis, ob specialem rubricam (de qua tamen rationem reddere nescimus, nisi dicendo, sic auctoritatem competentem decernere censuisse); nihilominus, cum, ob occurrentiam festi sanctorum apostolorum Petri et Pauli, de die octava Corporis Christi non agatur nisi commemoratio, tunc in concurrentia cum sequenti festo sacratissimi Cordis, de eo fit commemoratio, non vero de die octava.

Huiusmodi dispositionis rationem porrigit ipsa rubrica, quam hic exponimus, dicens: *omittitur commemoratio diei octavae, ob concurrentiam festi sacratissimi Cordis:* de festo enim concurrenti, cuius in crastino agendum est officium nempe S. Cordis Iesu, prius fieri debet commemoratio in 2 Vesperis Ss. Apostolorum: postea de occurrenti officio commemorato, scilicet de die octavo Corporis Christi; cum vero agatur de eadem Persona et de eodem mysterio nil fieri debet de die octava post commemorationem sequentis in casu.

5. Festa Domini eorumque dies Octavae cuiusvis ritus, in occurrentia tam accidentali quam perpetua et in concurrentia, Dominicae minori praeferuntur (7).

(7) Circa nobilitatem diei dominicae, et de restituto eius honore in novis rubricis, ita ut nunc praeferenda sit, tam in occurrentia quam in concurrentia, omnibus duplicibus tam minoribus quam maioribus, vide quae disseruimus in nostro Commentario in constitutionem *Divino afflatu,* nota 36. Quod si in die dominica occurrit aliquod festum Domini, aut eius dies octava ritus duplicis maioris, vel minoris, primarium sit vel secundarium, tunc officium dominicae in casu locum cedit officio festi vel octavae Domini. Ratio est, quia in dominicis minoribus hodie celebrari non licet, nisi festa Domini, vel duplicia classica; hinc est quod, in notandis istis, necessarium fuit ut exprimeretur huiusmodi privilegium festorum Domini, si occurrunt, tum perpetuo, tum accidentaliter, in aliqua dominica minori. Quod dicitur de festis, dici pariter debet de die octavo festorum Domini. Ratio est, quia non agitur nisi de mutato officio: loco enim officii communis dominicalis, quod Dominum directe concelebrat, recitatur officium particulare alicuius festi, quod item in honorem Domini institutum est. Attamen, non tantum in occurrentia, sed in concurrentia quoque, officium festorum Domini praevalet officio dominicae, eamdem ob causam.

Notandum autem est, hoc loco dici, quod festum Domini, eiusque dies octavus, praefertur officio Dominicae *minoris;* nam, quod attinet ad dominicas maiores, si agitur de occurrentia perpetua, nullum festum, etiam primae classis, celebrari perpetuo potest in Dominicis tum primae tum secundae classis; si autem agatur de occurrentia accidentali, tunc solummodo festa duplicia primae classis celebrari possunt in Dominicis maioribus secundae classis; ita ut duplicia secundae classis, etiamsi ad Dominum pertineant, neque perpetuo, neque accidentaliter in dominicis secundae classis celebrari queant.

Principium hoc, celebrandi die dominica nonnisi festa Domini, quod apud ritum Ambrosianum semper applicatur, etiamsi in dominica occurrat quodcumque festum primae classis, quod Domini non sit, in novis rubricis ritus romani inductum fuit; et etiam in decreto S. R. C, 24 febr. 1912 ad 4, tamquam regula generalis adducitur. In eo enim, declaratur, quod si occurrant in dominica aliqua minori, duo officia, unum primarium de sancto aliquo, et unum secundarium Domini, tam in occurrentia quam in concurrentia fit de festo Domini, licet secundario, cum commemoratione Dominicae, et festi primarii, ac datur ratio huius novae dispositionis: « quia in casu officium Domini secundarium, non aliud est nisi officium Dominicae subrogatum ».

Rem explicabit exemplum. In dioecesi A, celebratur festum Ss. Redemptoris, dominica III Iulii; ac die 20 eiusdem mensis agitur festum S. Margaritae V. et Mart. Patronae minus principalis, ritu dupl. mai; ante Psalterii reformationem, ea dominica agebatur de S. Margarita (utpote primarium festum) sine commemoratione Ss. Redemptoris, quia iure translationis in dioecesi A. non potiebatur; nunc autem, cum in dominica non amplius agi possit de duplici maiori, nisi sit festum Domini, de S. Margarita fieri debet tantummodo commemoratio. Attamen cum in casu occurrat quoque festum secundarium Ss. Redemptoris, huius officium recitatur, loco officii dominicae, quia « non aliud est nisi Officium Dominicae subrogatum ».

6. De Octavis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, fit semper Commemoratio in quolibet Officio etiam duplici I classis (8).

(8) Dispositio ista iam habetur in rubricis generalibus breviarii romani (tit. IX, n. 6); hoc loco quoque posita fuit, eo quod in tabellis, ubi agitur de occurrentia vel concurrentia duplicium primae classis, dicitur generaliter non esse faciendam commemorationem octavae. Quum autem de octa-

vis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, etiamsi occurrat aliquod festum primae classis, fieri debeat commemoratio, ob magnum mysterium in festo celebratum hoc loco regula ista ponenda erat, sicut habebatur in 5 ex notandis post antiquam tabellam occurrentiae. Haec regula pariter valet, ex. gr. Romae pro octava SS. Apostolorum Petri ac Pauli, cui S. R. C. simile privilegium donavit suo decreto 5 iulii 1883, n. 3581, ac pro aliis octavis similiter privilegiatis quae alicubi celebrantur.

Nulla fit hic mentio octavarum Paschatis et Pentecostes, non quidem, quasi non essent privilegiatae, sed imo, quia, cum sint privilegiatissimae, et infra illas ullum festum, etiam primae classis, celebrari nequeat, ipsae octavae commemorari numquam possunt.

Appendix
Ad Caerimoniale Parochorum
cum Parochus, speciali occasione, copiam sacrorum Ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redectas) aliquando peragere cupit.

Ritus aspersionis aquae benedictae.

1. Celebrans, aquam benedicturus ante missam solemnem, induitur alba, et stola coloris missae convenientis in modum crucis ante pectus aptata (D. 1637 [3]). Deinde pluviali accepto, more solito, cum ministris, propria paramenta gerentibus absque manipulis, facta imagini sacristiae debita reverentia, hoc ordine ad altare se confert:
2. Praecedit thuriferarius cum vase aquae benedictae et aspersorio, dehinc ceroferarii candelabra gestantes, caeremoniarius, demum celebrans medius inter ministros, eidem fimbrias pluvialis sustinentes, qui tres cooperto capite incedunt.
3. Cum ad altare pervenerint, celebrans et ministri caput detegunt, tradunt bireta caeremoniario, et facta debita reverentia, in infimo altaris gradu, etiam tempore paschali, genua flectunt. Acolythi autem candelabra ad credentiam deferunt, ibique genuflexi manent donec celebrans surgat; thuriferarius vero cum caeremoniario ad dexteram diaconi genuflectit.
4. Mox diaconus accipit a thuriferario aspersorium, et cum osculis tradit celebranti, qui intonat antiphonam *Asperges me* vel, tempore paschali *Vidi aquam,* ter interim aspergens altare vel eius scabellum, postea seipsum, admovendo fronti suae aspersorii verticem; dein surgit, et unico pro singulis ductu ministros (prius diaconum, deinde subdiaconum) genuflexos, caputque inclinantes, conspergit (D. 2013 [2]).
5. Celebrans aspersorium diacono reddit, et hic thuriferario; chorus interim, iugiter stans, prosequitur primum psalmi versiculum cum *Gloria,* et iterum integram antiphonam, quae de

praecepto repetenda est a celebrante et a cantoribus (D. 3402 ad V et VI).

6. Tunc surgunt omnes, et facta altari a ministris debita reverentia, accedunt ad chorum per cornu epistolae (D. 2867 [1]) (1), hoc ordine: caeremoniarius praecedit ad sinistram thuriferarii deferentis vas aquae benedictae, postea celebrans medius inter ministros (D. 86 [10]), hinc inde fimbria pluvialis elevantes.

7. Celebrans pergit cum ministris in partem quam dignior occupat, receptoque a diacono aspersorio, et inclinatione ad chorales facta, alium post alium aspergit, et post aspersionem inclinationem iterat; idipsum ad oppositum latus chori exequitur. Si autem chorus erit valde numerosus, poterit eos aspergere in medio, ad suam sinistram et dexteram tantum, in quolibet latere.

8. Omnibus aspersis, per cornu evangelii ante medium altaris regreditur, ubi ceroferarios ante credentiam stantes unico ictu aspergit. Tum facta uti prius altari reverentia cum ministris (D. 1322 [12]), ad cancellos presbyterii ad aspergendum populum se confert; ibique stans, ter illum aspergit, ut suo loco notavimus.

9. Aspersione absoluta, celebrans aspersorium diacono, et hic thuriferario reddit, atque ad altare revertitur, ibique debitam reverentiam facit.

10. Repetita a celebrante et a choro antiphona, caeremoniarius tradit diacono rituale, quod ministri, stantes, ante celebrantem sustinent, et celebrans, manibus iunctis, tono feriali versiculos et orationem praescriptam cantat.

11. Exhibita postmodum ab omnibus altari debita reverentia, ad scamnum in cornu epistolae omnes accedunt, ubi celebrans, pluviali deposito, manipulum et planetam induit. Diaconus vero et subdiaconus ceroferariis adiuvantibus, manipulos sumunt. Thuriferarius interim vas aquae benedictae in abaco deponit, illud in sacristiam reportaturus, cum illuc ad accipiendum thuribulum pergit.

12. Postea celebrans cum sacris ministris et caeremoniario ad altare accedit missam celebraturus, praemissa a singulis ministris debita reverentia.

(1) Supponitur chorus post altare. Si sit ante altare, transeundo ab uno latere chori ad alterum, in medio ante illud debita facienda est reverentia.

De missa solemni.

Articulus I.

Quae praeparanda sunt.

In sacristia: a) Super mensam oblongam disponuntur omnia sacerdotalia paramenta consueta, inter diaconalia indumenta a dexteris et subdiaconalia a sinistris, coloris festivitati convenientis.

b) Loco convenienti superpellicea pro clericis inservientibus.

c) Duo candelabra cum cereis albis pro acolythis, necnon intorticia pro elevatione.

d) Thuribulum cum navicula et thure, et vas cum carbonibus accensis, ac forcipe.

In altari: a) Sex candelabra et super illis cerei albi, in quorum medio crux cum imagine ss. Crucifixi ex eadem materie, et ipsa candelabra supereminens.

b) Exponi etiam possunt reliquiae vel imagines sanctorum alternatim inter ipsa candelabra; sed et vascula cum flosculis frondibusque odoriferis.

c) Tabellae secretarum.

d) Missale apertum super legile, in latere epistolae, cum signaculis, suis locis ordinatis.

e) Antipendium coloris paramentorum.

f) Gradus omnes altaris amplo et decenti tapete cooperti.

In abaco (linteo mantili mundo strato usque ad terram circumcirca pendenti):

a) in ipsius medio, calix cum patena, hostia, palla, purificatorio ac velo, nisi hoc plicatum prope calicem poni praeferatur, et bursa cum corporale super velo humerali, ut infra dicetur.

b) in parte sinistra, versus altare, pelvicula cum urecolis vini et aquae, linteum et campanula.

c) in parte dextera, liber evangeliorum; quae omnia velo humerali coloris missae convenientis conteguntur (ita tamen ut posterius pro collocandis hinc inde acolythorum candelabris locus relinquatur), super velum autem bursa calicis continens corporale.

In cornu epistolae: scamnum oblongum, quo celebrans cum ministris sedet, aliquo tapete aut panno rubei vel alterius decentis

coloris coopertum. Sine suppedaneo et sine gradibus (DD. 2027[2], 3135[2]), sed cum vel sine postergali seu dorsuali (D. 2631[3]). Non obstante consuetudine contraria celebrans cum ministris sedere nequit in sedibus cameralibus seu brachiatis (DD. 2289[3], 2621[6], 3104[4]).

Preparatio celebrantis et ministrorum et ingressus ad altare.

1. Dispositis omnibus ut supra, ministri sacri, convenienter lavant manus, deinde ad mensam paramenta manipulo excepto, acolythis adiuvantibus, induunt, similiter preces, pro celebrante praescriptas, convenienter recitantes. Ad tunicellam subdiaconus dicere potest: *Tunica iucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus;* et diaconus ad dalmaticam: *Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica iustitiae circumda me semper.*
2. Suo tempore, celebrans, lotis manibus, accedit ubi disposita sunt paramenta, et ministri sacri eum accedentem inclinant, cui salutationi celebrans inclinatione parva respondet.
3. Celebrans, adiuvantibus ministris, si consuetudo habetur, sacras vestes induit, et cum paratus fuerit, ministri manipulum induunt, deinde simul cum celebrante caput operiunt.
4. Signo dato a caeremoniaro exeundi e sacristia, discedent de loco quo sacras vestes sibi induerunt, nudant caput, se sistunt in linea recta versus praecipuam imaginem sacristiae, videlicet: celebrans medius inter diaconum et subdiaconum, ceroferarii post ministros, et thuriferarius in medio eorum.

(Continuabitur).

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

Adprobationis novae Editionis Martyrologii Romani.

Praesentem Martyrologii Romani editionem Vaticanam, a sacra Rituum Congregatione revisam et recognitam, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X suprema auctoritate Sua adprobavit atque typicam declaravit; statuitque, ut novae eiusdem Martyrologii editiones huic in omnibus sint conformes. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 aprilis 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius.*

II.

DECRETUM

De Mutationibus in Breviario Romano faciendis ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu ».

Per Decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* die 23 ianuarii 1912 iniunctum fuit, ut Breviariis et Missalibus Romanis iam editis et apud typographos adhuc exi-

stentibus adiiceretur fasciculus, iuxta prototypum vaticanum adprobatus, cui titulus « Mutationes in Breviario et Missali Romano faciendae, etc. », ne utriusque textus liturgici exemplaria iam impressa inutilia evaderent. Quum vero sacra eadem Congregatio ceteras omnes mutationes, ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* et Decretorum, tum Breviarium tum Missale Romanum concernentes, una cum praedictis iam evulgatis, non solum ad modum appendicis, sed suis locis respective adiungendas censuerit; interim, praehabito specialis Commissionis liturgicae suffragio, has mutationes, Breviarium tantum respicientes, distincte et ordinate dispositas atque collectas, sanctissimi Domini nostri Pii Papae X supremae sanctioni demisse subiecit. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, easdem mutationes, prouti in novo extant prototypo, ratas habere et adprobare dignata est, simulque mandavit, ut ipsae, in futuris Breviarii Romani editionibus suis respectivis locis aptatae, rite inserantur. Attamen eadem Sanctitas Sua benigne indulsit, ut Breviarii Romani editiones hucusque impressae adhuc acquiri et adhiberi licite valeat; dummodo utentes observent normas pro Horis canonicis persolvendis in Constitutione *Divino afflatu* aliisque Apostolicae Sedis dispositionibus praescriptas. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 iunii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*
L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charyst., *Secretarius.*

III.

DECRETUM.

De Precibus in fine Missae recitandis.

A nonnullis locorum E.mis Ordinariis, sacrorum Rituum Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

An, attentis S. R. C. Decretis n. 3697, Ordinis *Min. Capuccinorum*, 7 decembris 1888 ad III, de Missa Conventuali sine cantu, et n. 4271 *Baionen.*, 8 iunii 1911 ad II, de Missa votiva lecta S. Cordis Iesu, prima feria VI cuiusvis mensis, etiam aliqua similis Missa lecta, ex. gr. occasione primae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, haberi possit uti solemnis; eique applicari valeant praefata decreta quoad Preces in fine Missae, a Summo Pontifice praescriptas, omittendas?

Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis ita rescribendum censuit: « *Affirmative,* si Missa cum ali- « qua solemnitate celebretur, vel Missam, quin cele- « brans ab altari recedat, immediate ac rite subsequa- « tur aliqua sacra functio seu pium exercitium ».

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 20 iunii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secretarius.*

SUPREMA S. CONGR. S. OFFICII

(Sectio de Indulgentiis)

I.

DECRETUM.

Solvuntur dubia circa SS. Numismata scapularibus sufficienda.

Ad supremam hanc Congregationem sancti Officii sequentia exhibita sunt dubia pro opportuna solutione; nimirum: I. Utrum sacerdos pollens facultate Scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro unoquoque Scapulari benedicere publice omnia Ss. Numismata quae habent fideles in ecclesia vel in quodam conventu, quin haec Numismata videantur, nec in individuo cognoscantur? II. Utrum benedictio impertiri possit Ss. Numismatibus pro personis iam non adscriptis Scapularibus per impositionem, sed postea vel serius adscribendis; quae Numismata gauderent favoribus Scapularium, tempore quo personae erunt adscriptae per regularem impositionem? Vel estne necessarium, personas iam Scapularibus adscriptas esse, antequam Ss. Numismata pro ipsis efficaciter benedici possint? III. Utrum benedici possint Numismata multa, quae distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliae iam Scapularibus adscriptae sunt, et aliae non adscriptae; et in hoc casu, Numismata, saltem personis iam Scapularibus adscriptis data eruntne benedicta?

E.mi ac R.mi Patres una mecum Generales Inquisitores, in solito conventu habito feria IV, die 4 iu-

nii 1913, dixerunt: ad I Affirmative; ad II Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; ad III provisum in II.

Et Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori supremae huius Congregationis, feria V, die 5, eodem mense eodemque anno, impertita, E.morum Patrum resolutiones benigne approbavit, et hoc Decretum desuper expediri iussit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

II.

DECRETUM.

S. Vincentii Ferreri preces ad sanctum vitae mortalis exitum a Deo implorandum indulgentia CCC dierum ditantur.

Die 5 iunii 1913.

SS.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, benigne concedere dignatus est, ut christifideles, infra relatas preces, a S. Vincentio Ferreri compositas ad sanctum vitae mortalis exitum a Deo implorandum, corde saltem contrito, recitantes, Indulgentiam trecentorum dierum semel in die lucrari valeant, quam, si malint, animabus etiam in Purgatorio degentibus applicare queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† Dominicus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Preces.

Miserere mei, Deus: et exaudi orationem meam (*Ps. IV,* v. 1).

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (*Ps. VI,* v. 2).

Miserere mei, Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis (*Ps. IX,* v. 13).

Miserere mei, Deus, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus et venter meus (*Ps. XXX,* v. 9).

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam (*Ps. L,* v. 1).

Miserere mei, Deus: quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me (*Ps. LV,* v. 1).

Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea (*Ps. LVI,* v. 1).

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die: laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Ps. LXXXV,* v. 3).

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione (*Ps. CXXII,* v. 4).

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui neminem vis perire, et cui numquam sine spe misericordiae supplicatur, nam tu dixisti ore sancto tuo et benedicto, *omnia quaecumque petieritis in nomine meo, fient vobis;* peto a te, Domine, propter nomen sanctum tuum, ut in articulo mortis meae des mihi integritatem sensus cum loquela,

vehementem contritionem de peccatis meis, veram fidem, spem ordinatam, caritatem perfectam, ut tibi puro corde dicere valeam: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Deus veritatis, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III.

DECRETUM.

Solvitur Dubium circa Preces Tertiariorum Franciscalium aliis insuper sodalitatis adscriptorum.

Quum die 11 iunii 1913, feria IV, E.mi ac R.mi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in conventu habito in aedibus sancti Officii, perpenso dubio sibi proposito: « Num Tertiarii saeculares Franciscani, recitantes, loco Horarum canonicarum, duodecies *Pater*, « *Ave* et *Gloria*, possint, hac tantummodo recitatione, « omnibus aliis obligationibus, quod preces attinet, satisfacere, quas ex adscriptione ad alias pias sodalitates contraxerint », negativam protulerint sententiam; Ss.mus D. N. D. Pius div. providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori supremae sacrae Congregationis sancti Officii, feria V, die 12 iunii 1913, impertita, votum E.morum Patrum ratum habens, ad propositum dubium respondendum decrevit: « Negative ». Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

IV.

DECRETUM SEU DECLARATIO.

Circa pia Obiecta a Summo Pontifice benedicta.

Die 12 iunii 1913.

Ss.mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori supremae Congregationis sancti Officii impertita, benigne declarare dignatus est, Indulgentias, quas Ipse solet adnectere crucibus, crucifixis, rosariis, coronis, ss. numismatibus et parvis statuis, Sibi a fidelibus porrectis, illas tantummodo esse intelligendas, quae in elencho, a sacra Congregatione Indulgentiarum die 28 augusti 1903 edito, recensentur, quaeque apostolicae nuncupantur; nisi expressis verbis significet, alias insuper velle adnectere, v. gr. S. Birgittae, vel Crucigerorum, specifice ac nominatim eas designando. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Archaeologia Liturgica.

Archaeologica res.

(Continuatio, V. num. 2 currentis anni, pagg. 115-122).

Quae ante finem saeculi undecimi causae fuerunt ut acu pingendi ars proveheretur, easdem, sed multo efficaciores, debemus pro saeculo decimosecundo commemorare, quam pro praecedenti saeculo indicavimus, nempe: Cruciatorum profectiones, principatus quamplurimos in Orientalibus stabilitos regionibus, quibus Europae principes praefecti sunt, praesertim Christianum regnum in urbe Ierusalem institutum; commercia denique inde facta grandiora nec non mercium permutationes ac omnimoda alia negotia. Omne operis artis genus his conditionibus nobilius factum est apud nos, cuius quidem exemplaria ab Oriente habuimus, sculptilia eburnea, monilia, picturas vitreas (smalti), sed potissimum textilia acu picta. Aemulabantur invicem principes et episcopi cum inter domesticos parietes, tum vero in templis ditissima tapetia, vela, pallia ac paramenta exponere, apud Arabes, Persas, Cartaeos elaborata; nec solummodo filaminibus sericis aureisque, verum etiam margaritis ac lapidibus pretiosis exornata. Hoc, denique, eo usque pervenit, ut nihili fieret quidquid illarum regionum artem non saperet; ac vel in sacris indumentis litterae ac verba Arabica, quin intelligerentur, apparerent, utpote illius artis magis conspicuum indicium.

Importationis huiusmodi auctor imprimis fuit Venetiarum respublica, quae pronum tramitem ad venalium rerum commercium Europam inter et Africam Asiamque praebuit. Qua de re praestat pauca huc praeclari operis L. de Farcy (1) adducere:

---

(1) *La Broderie du XI^e siècle jusqu' à nos jours,* p. 87.

« La ville de Tripoli, dont quatre mille artisans tissaient des étoffes de laine, de soie et de lin, et dont la bibliothèque était superbe, fut brûlée pendant la première croisade, mais les chrétiens agirent rarement ainsi. Amollis par un climat enchanteur, ils se laissèrent séduire peu à peu par la luxe. Malgré les défenses du Pape, ils aimaient les fêtes, les repas somptueux et les riches vêtement: l'élan religieux des premiers temps faiblit insensiblement et fit trop souvent place à la cupidité et même aux plus grands désordres. On vit Saladin et les princes chrétiens échanger des présents, les soldats des deux armées ennemies banqueter ensemble, et Richard, maître de Chypre, porter un riche manteau, semé de croissants. Cet affaissement du sentiment religieux favorisa l'importation en Europe des produites musulmans. L'amour du lucre poussa les Vénitiens, qui depuis plusieurs années faisaient le commerce avec l'Orient, à entreprendre un'expédition contre les infidèles. Ialoux des avantages obtenus par les Génois el les Pisans après la première croisade, le de doge Venise s'empara de Ptolémaïs et de Tyr. Aussi est ce à Venise, d'après Viollet-le-Duc, qu'il faut chercher le noeud des arts industriels en Europe. Cette ville fabriqua et exporta la première la plupart des obiets nécessaires à la vie de la classe riche; on peut la comparer à un vaste creuset dans lequel se fondirent les tradition de l'antiquité, les arts de l'Orient et quelques industries des barbares ».

Saeculo XII, figurarum forma perfectior apparet, atque ad vegetalis naturae ornamenta quod attinet, haec in circulos et quasi serpentium in morem deducta, staminibus potius constant iisque robustis, paucis parvisque foliis praeditis inter quae raro flos aliquis apertus, sed gemmulae et calyces omnigeni deprehenduntur. Sic itaque delineationes vegetalis naturae fere nullis cincinnis involutae facile et a longe deprehenduntur, et si sobriae fuerint ac colores concinant, visum intuentium haud mediocriter delectant; uti hodieque notari potest apud exemplaria artis illius saeculi,

quae nobis manent, quorum non ultima sunt planeta ac mitra S. Thomae Cantuariensis in thesauro ecclesiae Senonicae (Sens) asservata. Eiusmodi ornamenta simillima sunt eorum quae, eadem aetate, vitreis coloribus elaborabantur, et quae smaltatae picturae dicuntur. Colores vero multo vivaciores quam aetate praecedente apparent.

Naturae animalis imagines eas imitantur figuras quibus textilia orientalia decorabantur, sunt nempe magnae animalium imagines, leonum praesertim et draconum, nec raro duo tria et plura corpora eiusdem bestiae unico medioque nectuntur capiti circa quod veluti floris cuiusdam folia sunt disposita.

Adhuc non raro delineationes architectonicae exhibentur, eo stylo generatim qui illo tempore floruit, multa tamen referens quae byzantini et arabici construendi modi propria sunt, ut tholos sphaericos ac *minareta*, id est turres, necnon castellorum imagines super arcubus cumulatas; quaedam denique apparent formae, quam sinensem stilum sapere dixeris libenter. Haec omnia praeterea nominibus saepe munita personarum sacrarum exhibentur, quae in arcuum aut circulorum spatiis raepraesentatae sunt.

Opera vero origine britannica eamdem referunt artem, qua manuscripta sacra et liturgica eiusdem originis depicta sunt, nempe viventium figuras parum naturae congruentes: animalia et monstra draconum ac serpentium similia invicem vorantia.

Ad personarum imagines quod pertinet, istae severae, rigidae ac parum naturales conspiciuntur, iuxta byzantinae artis indolem; eorum tamen nomina quam rarissime modo verticali sunt disposita, sed aut uti supra diximus, aut ita ut caput quasi in formam nimbi circumdent.

Sed exemplaria artis acu pingendi saeculo hoc non sunt multa, unde egregius Aloisius de Farcy, cuius praeclarum opus plus semel laudavimus, haec artificibus commendat: « A côté des broderies anciennes, si rares aujourd'hui, l'étûde des ornements émallés, niellés ou estampés des châs-

ses des bords du Rhin, des peintures murales, des pavages historiés, des bordures des vitraux et surtout des miniatures des manuscrits est essentielle à qui veut connaître à fond les motifs de décoration si beaux du XII siècle. Je la recommande spécialement aux brodeurs; ils y trouveront une mine intarissable de dessins variés à l'infini et coloriés avec un sentiment de l'harmonie des couleurs qui n'a pas été dépassé (*La broderie du XI siècle jusqu'à nos jours*, p. 88)».

Quibus verbis equidem subiungam: neminem officinae huius artis conductorem aut magistrum esse debere, qui praelaudati auctoris opus non habeat, in quo praecipua monumentorum artis exemplaria locis dissitis recondita ac raro nec facile reperibilia modo perfectissimo exhibentur reproducta plusquam ducentis tabulis ac tali magnitudine ut artifex, vel acus laborem quomodo fuerit, distinguere nulla difficultate possit (1).

(*Continuabitur*).

P. Syxtus, O. Cist. R.

(1) *La Broderie du XI siècle jusqu'à nos jours*, comprend deux fascicules in folio de 135 pages e 181 planches, avec le Supplément (34 planches), 215 planches.

Le prix de l'ouvrage, en deux cartons, est fixé a 100 francs, relié 115 francs, compris le Supplément est fixé à 125 francs, relié 140 francs.

Quaestiones Liturgicae.

MUTATIONES IN BREVIARIO
AD NORMAM CONSTITUTIONIS "DIVINO AFFLATU"

Commentarium

PROLOQUIUM.

Post evulgationem bullae « Divino afflatu » editores librorum liturgicorum, Breviaria iam apud ipsos impressa, ita cum novo psalterio aptaverunt, ut quasi renovata impressio exiret, additis tamen, hac illac, aliquibus novis rubricis specialibus; attamen, ut cuique apparet, huiusmodi accommodationes, nonnulla incommoda praeseferebant, ideoque editores ipsi, ad novissimam Breviarii editionem manus imponere satagerunt, exquisieruntque ab Apostolica Sede debitam veniam, simul rogantes, ut tam generales quam speciales Rubricas Breviarii, ad tramitem praedictae constitutionis revisas haberent.

Hinc factum est, ut s. Congregatio, adhibito voto specialis Commissionis, mutationes illas tantummodo in Breviario hic et nunc inducere decreverit, quae ex dispositionibus eiusdem bullae « Divino afflatu » promanarent, relicta definitiva Rubricarum correctione, quum integra revisio Breviarii Romani, in ipsa bulla promissa, tum quoad Calendarium, tum quoad lectiones historicas, et ideo tum etiam quoad Rubricas, fieret.

Haec omnia in Decreto, quod legitur ante libellum harum Mutationum, distincte enunciantur; nemo ergo novam editionem Breviarii parare poterit deinceps, nisi cum

insertione mutationum, quas hic commentario elucidare suscipimus.

Nihil dicimus de normis ab editoribus servandis, ut habeatur unica regula pro abbreviationibus et pro aliis nonnullis, non tangunt enim nisi ipsos editores.

Breviarum sic inscribatur:

Breviarium Romanum | ex decreto | sacrosancti Concilii Tridentini | restitutum | S. Pii V Pontificis Maximi | iussu editum | aliorumque Pontificum | cura recognitum | Pii Papae X | auctoritate reformatum (1).

(1) Uti notum est, hucusque in omnibus editionibus Breviarii Romani, non tantum Bulla « Quod a nobis » s. Pii v., sed etiam Bullae Clementis et Urbani viij praemittebantur. Attamen, uterque pontifex, si bene res inspiciatur, nil tum in Rubricis, tum in textu Breviarii s. Pii v immutarunt, sed tantummodo recognoverunt. Clemens enim, ut ipse fatetur, nil aliud fecit nisi errores typographicos in variis editionibus Breviarii irreptos corrigere, atque editionem novam typicam, scilicet vaticanam, parare, quae pro aliis inserviret, nonnullas addendo in rubricis declarationes, et ritum duplicem maiorem instituendo, qui tamen in Rubricis s. Pii v iam erat implicite in usu. Urbanus autem, breviarium a pluribus mendis (semper tamen typographicis) expurgavit. Hymnos ad metri et latinitatis regulas revocavit, in Psalmis et Canticis interpunctionem Vulgatae restituit. Ergo neuter aliquid molivit ex quo argui possit quod veram Breviarii reformatiouem condere intenderint. Alii quoque Romani Pontifices, maxime Clemens x, Innocentius xij, et Clemens xj. nonnulla circa Breviarium decreverunt, ut sileamus de Pio ix et Leone xiij, nihilominus eorum nomen in fronte Breviarii numquam apparuere. Hinc est, quod nos ipsi, in nota 2 nostri Commentarii in Tres Tabellas, hoc idem notavimus, scribentes: « Non amplius arbitramur necessarium Bullas Clementis et Urbani viij imprimi debere,

nec non eorum nomina et Leonis xiij in fronte notari, quia emendationes ab ipsis inductae minoris momenti sunt, et in ultima reformatione, tum psalterii, tum Rubricarum, non aliud manet nisi opera s. Pii v et Pii x « Porro, sub locutione » aliorum Pontificum cura recognitum, satis memorantur diligentiae, quibus usi semper sunt Romani Pontifices, ut Breviarium Romanum absque mendis servaretur. Et cum Ss. D. N. Pius x revera opus novum induxit in Breviarium, nempe Psalterium reformatum, et multa alia circa Rubricas, praesertim de restituto pristino honore Officio Dominicali, debitum erat iustitiae et veritatis ut eius nomen simul cum homonymo suo s. Pio v, in fronte novae editionis Breviarii appareret.

Post bullam Pii v, expunctis bullis Clementis viij et Urbani viij, inseratur bulla « Divino afflatu » Ss. Domini nostri Pii Ppae x. Expungantur quatuor Decreta S. Rituum Congregationis (2).

(2) Huiusmodi dispositio ex iis, quae supra iam diximus promanat, quod autem attinet ad quatuor Decreta S. R. C., quae ab anno 1631 usque ad nos in principio Breviarii edita fuerunt, vide quae in nota 3 in citato nostro Commentario docuimus.

Mutationes in kalendario inducendae, non indigent ulla declaratione, agitur enim de nonnullis indicationibus quae proveniunt ex elevatione ritus diei octavi festorum 1 classis, et ex festivitatibus s. Ioannis et s. Ioseph in Dominica repositis.

Post Rubricas generales Breviarii sequentes inserantur novae Rubricae.

Rubricae in recitatione divini Officii servandae ad normam Bullae « Divino afflatu ».

Tit. I. — De ratione divini officii recitandi.

1. In recitatione divini officii, iuxta romanum ritum, psalmi quotidie sumendi sunt ad singulas Horas

canonicas de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio (3).

(3) Hic locus Rubricarum idem est ac ille qui legitur post bullam « Divino afflatu », exceptis verbis sequentibus «... noviter disposito, quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit ». Cum enim huiusmodi verba non constituerent nisi temporaneam praescriptionem, in editione nova Breviarii locum amplius habere non poterant, ut patet: ideoque omissa fuere.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integrae Octavae, Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, Vigilia Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium, et Vigilia Pentecostes, nec non omnia Festa Beatae Mariae Virginis, Angelorum, Sancti Ioannis Baptistae, Sancti Ioseph, Apostolorum, Evangelistarum, et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae Octavae, si de eis fiat Officium, quod recitandum est prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumantur ex Dominica, ut in Psalterio, ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. Item excipiuntur Vigilia Nativitatis Domini, tres ultimi dies Hebdomadae maioris et Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, in quibus Psalmi dicuntur ut proprio loco adnotatur (4).

(4) Parumper haec Rubrica mutata fuit, ubi agit de Vigilia Nativitatis Domini, de ultimo Triduo maioris hebdomadae, ac de officio defunctorum, sed tantummodo circa or-

dinem praescriptionis, non vero circa substantiam officii recitandi iis in diebus. Item post Apostolos positi sunt quoque Evangelistae, ad maiorem perspicuitatem, nam Evangelistae iam subintelligebantur sub festis duplicibus 2 classis. Festa etiam Apostolorum sub dicto ritu iam quidem intelligi poterant, nihilominus de iis specialiter locuta est Rubrica, ad denotandum, quod, non tantum festa primaria Apostolorum, sed etiam secundaria, uti Vincula et utraque Cathedra s. Petri, Conversio et Commemoratio s. Pauli, et festum s. Ioannis ante portam latinam sub hac lege comprehenderentur. Item, sicut si alicubi aguntur alia festa particularia ac secundaria sanctorum Apostolorum, psalmi sumuntur de Dominica et de Communi, ita si alicubi habeatur aliquod festum secundarium alicuius Evangelistae; ex. gr. translatio s. Marci; hoc ipsum fieri potest et debet, quod antea evidenter non constabat.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simplici (5), semper dicuntur Psalmi, cum Antiphonis ad omnes Horas et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis Duplicibus aut Semiduplicibus proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem Hora cum suis Psalmis, et ad Matutinum etiam Versibus, retinet; in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicuntur de Feria occurrente (6).

(5) Ex hac Rubrica post verba « in quolibet festo... simplici » legebatur: « et in feriis Tempore Paschali ». Cum autem mentio huius Temporis Paschalis facta fuerit, quia in antiquo Breviario ad Laudes et horas sumebantur semper psalmi de Dominica, nunc amplius non urget necessitas huius

mentionis; circa enim Psalmos, feriae omnes per annum sunt aequales.

(6) *Quod si aliquod ex festis duplicibus et semiduplicibus etc.* Haec verba addita fuere ut, ex huius Rubricae dispositione, eximerentur festa Simplicia, quae forte haberent antiphonas proprias ab alio Officio desumptas, uti est festum s. Agnetis secundo et Officium s. Mariae in Sabbato; iuxta enim S. R. C decretum 16 ianuarii 1912, statutum est, quod in casu psalmi cum antiphonis sumendi sint ex feria occurrenti, et a capitulo agi debeat de festo, vel de Officio b. Mariae. Vide notam 78 in nostro Commentario iam citato.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae sunt de Scriptura occurrente, nisi sit Festum Domini aut Beatae Mariae Virginis, vel Angelorum, vel Sancti Ioannis Baptistae, vel Sancti Ioseph, vel Apostolorum, vel Evangelistarum, aut Duplex I vel II classis, non autem eorum dies Octava, aut agatur de Festo, quod vel Responsoria propria obtineat, vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis, Lectiones de Scriptura, nec assignatas, nec resumendas aut anticipandas habentibus, ideoque necessario Lectiones de Communi recipiat (7).

(7) Meliori modo enunciatur nunc huiusmodi Rubrica, ita ut quisque sciat, absque ambiguitate ulla, quando dicendae sint lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti. In festis enim Domini, b. Mariae, Angelorum, s. Ioannis Baptistae et s. Ioseph, Apostolorum et Evangelistarum, et in Duplicibus 1 et 2 classis, nunquam dicuntur lectiones de Feria occurrenti, sed sumuntur propriae vel de communi. Item si aliquod festum, ritus etiam duplicis minoris vel semiduplicis proprias habeat lectiones (ex. gr. s. Leonis I papae) aut Responsoria propria (ex. gr. Ss. Ioannis et Pauli, ac s. Eli-

sabeth Portugalliae), lectiones dicuntur uti indicantur in Breviario, non vero de occurrenti Scriptura. Iuxta tamen quae hac de re docuimus in nostro Commentario ad Tres Tabellas (Notae 118 et 119), ad normam decreti 19 aprilis 1912, si forsan alicubi accidat, ut sit reponendum aliquod Initium Scripturae, hoc omnino est recitandum, etiamsi festum Lectiones I nocturni appropriatas habeat, « prout sunt appropriatae », dicit citatum decretum, in festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli ». Id tamen non est intelligendum de illis lectionibus I nocturni quae revera sint propriae et historicae, prout habent Vincula s. Petri, Conversio s. Pauli, Inventio s. Stephani; in hoc enim casu, licet sit reponendum aliquod initium Scripturae, omitti hoc debet, ut dicantur huiusmodi Propriae revera et historicae lectiones.

5. Porro sic persolvendum est Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis :

Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi : Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonae cum Psalmis de Feria ; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* et ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae, ex Proprio vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi (8).

(8) In hanc Rubricam nulla mutatio inducta fuit.

6. In Officio Sanctae Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis, vel de Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo: ad Laudes et Vesperas, Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio aut de Communi: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, ut supra de Festis Duplicibus et Semiduplicibus ordinatur (9).

(9) In editione huius Rubricae quae prodiit simul cum Constitutione « Divino afflatu » legebatur, quod de duabus lectionibus historicis, festi simplicis, una fieri deberet; in hac vero mutata rubrica dicitur: « Tertia vero Lectio de Officio vel Festo », eo quod, cum mutationes respiciant etiam Proprium Sanctorum, in eo pro sanctis simplicibus, una tantum lectio historica posita fuit; hinc non amplius est locus dictae praescriptioni, de addendis duabus Lectionibus; siquae haberentur, in unam.

7. In Officiis ritus simplicis Psalmi ad Matutinum, qui in Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, sine interruptione dicuntur, cum suis novem Antiphonis extra Tempus Paschale, tempore autem Paschali sub una tantum Antiphona, usque ad tertium Versum inclusive. omissis Versibus primo et secundo (10).

(10) Locutio huius Rubricae paululum mutata fuit, ut adderetur exceptio prc tempore Paschali, in quo sub una tantum antiphona, dicendi sunt continuatim novem psalmi

cuiusvis Feriae. Et bene, nam in Psalterio, ante Matutinum Feriae II, hoc idem dicitur, iuxta antiquam legem Breviarii Romani.

TIT. II. — DE FESTORUM PRAESTANTIA.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit nobilius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, cauto semper quod Festa primaria I classis universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet Festo particulari, et Festa Dedicationis et Tituli propriae Ecleriae, et Patroni principalis loci, nec non Tituli et sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, cedunt tantummodo praedictis Duplicibus I classis universalis Ecclesiae (11), sequentes praestantiae characteres considerandi sunt :

a) Ritus altior, nisi occurrat Dominica, vel aliqua ex Feriis, Vigiliis aut Octavis privilegiatis.

b) Maior solemnitas (12), scilicet si Festum celebretur cum feriatione (etiam reducta vel sublata), aut cum Octava. Ad effectus autem huius Rubricae, censentur Festa feriata etiam omnia Duplicia I aut II classis ac Festa Domini perpetuo Dominicis diebus assignata (13). Ratio autem solemnitatis Octavae consideranda tantum est in die Festo atque in die Octava (14).

c) Ratio Primarii aut *Secundarii.*

d) Dignitas Personalis, hoc ordine servato : Festa Domini, Beatae Mariae Virginis, Angelorum, Sancti Ioannis Baptistae, Sancti Ioseph, Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum.

(11) Opportune hoc loco adiecta sunt verba ista, ut clarius appareret ius inhaerens festivitatibus I classis primariis

universae Ecclesiae, nec non localibus, ut sunt Dedicatio et Titulus propriae Ecclesiae (ideoque et Cathedralis pro tota dioecesi), Patroni principales locorum, nec non et Titulus et Fundator alicuius ordinis.

Aliquibus forte videbitur eadem iura Titulo et Fundatori Ordinis non competere quibus gaudent Titulus et Patronus loci, eo quod explicite de eis tacent antiquae Rubricae, attamen, quia in praxi, imo et ex decretis S. R. C. cum octava celebrantur, et commemorationes in suffragiis habebant, festivitatibus localibus solemnioribus aequiparantur. Hoc autem principium hodie admisere novae Rubricae, quae eadem festa in catalogo duplicium I classis recensuerunt.

(12) Circa praeferentiam Festorum, in ultima novarum Rubricarum revisione, iuxta votum plurimorum, elevatum fuit in ordine praelationis criterium *maioris solemnitatis*. Quod festum cum feriatione, aut cum octava, sit solemnius quam cetera, quae sive feriatione, sive octava carent, est principium hodie ab omnibus admissum.

Cum vero, re diligentius perpensa, Commissio specialis pro Rubricarum revisione animadvertisset quod huiusmodi character praeferentiae, in ordine suo non extaret, proposuit ut ante rationem Primarii et Secundarii reponeretur; quod adprobante Sancta Sede factum est.

En ergo diversos modos quibus notae praelationis Festorum in Breviario positae fuere, in diversis aetatibus:

Brev. Antiq.	Ann. 1897	Nov. Rubricae	In hac ultima revisione
Ritus altior	Ritus altior	Ritus altior	Ritus altior
Dignitas	Qualitas Prim. et Secund.	Qualitas Prim. et Secund.	Maior solemnitas
Solemnitas	Dignitas	Dignitas	Ratio Prim. et Secund.
. . . .	Qualitas Fixi prae mobili	Solemnitas externa	Dignitas
Proprietas	Proprietas	Proprietas	Proprietas

Ex hac tabella manifestius apparet quibus rationibus evoluta sunt criteria, circa praeferentiam festorum.

De expunctione qualitatis Fixi prae mobili, vide quae disseruimus in nostro Commentario in Bullam « Divino afflatu » (nota 27), nec non ea, quae scripsimus iam ab anno 1902 in nostra Rubricarum expositione (nota 410). Vide Ephem. Liturg. an. 1902, pagg. 637 et seq., ubi propugnavimus erratum esse criterium, quo festum fixum praeferri deberet mobili, dum e contra, mobile potius est praeferendum.

In hac ultima rubricarum revisione igitur, positus est caracter maioris solemnitatis secundo loco, in antecedenti vero editione positus fuerat in quarto loco. Ratio huiusce diversitatis in hoc sita est, quod festivitas externa, quae habetur aliquibus locis, tum ob feriationem, tum ob sequentem octavam, revera aliquid solemnioris constituit, sive apud populum idem festum celebrantem, sive etiam per liturgicos honores. Et sane, ratione feriationis, populus ad ecclesiam Sacrum auditurus accedit, prout in diebus Dominicis, et ab operibus servilibus se abstinet; quod conceditur tantummodo maioribus et excellentioribus festivitatibus. Similiter dicatur de octava quae non aliud est, nisi prolongatio festi, et pariter huiusmodi honore non decorantur nisi festa solemniora per annum. Ergo criterium maioris solemnitatis, ex natura rei, constituit toto iure validissimam rationem praeferendi festum magis solemne, prae alio minus solemni. Hinc, cuiuscumque sit Dignitatis aliquod festum, sitque vel non sit primarium aut secundarium, ante omnia, considerandum est, an cum feriatione, vel cum octava celebretur; quia si feriationem habet, aut octava decoratur, praeferri iure debet festis aliis licet primariis, vel nobilioris dignitatis personalis.

Puta casum : Regii Lepidi celebratur cum feriatione festum secundarium Translationis Patroni s. Prosperi die 24 novembris, quia festum primarium eiusdem, die sua natalitia, 25 iunii, recolitur absque feraitione, ne eodem mense

iunio nimia festa feriata habeantur in populo; ratione ergo qualitatis secundarii, secundas Vesperas non habebat Translatio s. Prosperi, quia, ob concurrentiam cum festo primario s. Iucundae Virginis eiusdem ritus, Vesperae ea die 24 novembris, fiebant de sequenti cum commemoratione praecedentis. Nunc vero, vigore huius reformatae Rubricae, Regii Lepidi, Vesperae dicendae sunt de s. Prospero, cum commemoratione sequentis s. Iucundae.

Pariter die 26 aprilis Placentiae, apud moniales Cistercienses agebatur festum s. Franchae virginis placentinae eiusdem ordinis, cum octava, eo quod dies hesterna, 25, natalis eiusdem virginis, impedita est a festo s. Marci Ev., hodie vero, in obsequium huius Rubricae, festum s. Franchae, licet sit inferioris dignitatis personalis, celebrari debet die sua 25 aprilis, ratione octavae qua decoratur.

Agitur ergo de nova applicatione illius antiquae legis liturgicae, quae in solemnitate Festorum, per se fundamentum recognoscebat, ut aliis minoris solemnitatis praeferri deberent.

(13) *Ad effectus autem huius Rubricae censentur Festa feriata etiam Duplicia I aut II classis, ac Festa Domini perpetuo Dominicis diebus assignata.* Hoc principium nos ipsi propugnavimus, in nostra Rubricarum Breviarii Expositione, ubi scripsimus: « Pius papa VII, suo decreto d. d. 10 aprilis 1818 (in Coll. decr. S. R. C. sub n. 2589), numerum Festorum cum feriatione reducens, edixit ut festa Patronorum celebrarentur in Dominica sequenti. Item id praescripserat Card. Legatus Caprara pro Gallia, die 9 aprilis 1802. Quanam ex causa huiusmodi festa in Dominica celebrari debent? Omnibus patet, quia nempe *festivitas* quae adnexa est diei dominico, in honorem accederet hisce Festis abrogatis. Ergo ex hac causa festa Dominicis diebus adsignata, maiori vinculo, ut ita dicam, Dominicis ipsis devinciuntur, quam Festa Sanctorum, quae per accidens aliquo anno in Dominicam incidunt ».

Classicum exemplum ad rem nobis praebet festum s. Ioachim quod colebatur die 20 martii, et Clemens XII, die

26 septembris 1738, qui rogatus fuerat ab imperatore Carolo VI ut feriatum redderet ipsum festum; ne feriata festa nimis multiplicarentur, festivitatem s. Ioachim Dominica infra octavam Assumptionis celebrari mandavit. Porro huiusmodi Dominica, est vere *dies propria* pro s. Ioachim, licet mobilis, sicut est *propria* ex. gr. pro s. Bernardo dies 20 eiusdem mensis augusti; ideoque, in locis ubi festum s. Bernardi agitur sub ritu duplici 2 classis, si occurrat eadem die cum s. Ioachim, huic locum cedere debet propter tria: 1, quia festum s. Bernardi non habet ius feriationis, quo festum s. Ioachim potitur; 2, quia dies 26 augusti, in casu, si est *propria* pro s. Bernardo, est etiam *propria* pro s. Ioachim, si incidat in Dominicam; 3, quia dies 20 cadens in Dominicam, propter feriationem ad quam ius habet festum s. Ioachim, *magis propria* evadit huic sancto B. Mariae Parenti, quam s. Bernardo, ideoque illud praeferendum est omnino. Si aliter esset, conclusimus loco citato, ad nihilum valeret honor feriationis, quo decoratum voluit Sancta Sedes festum s. Ioachim.

Quibus expositis, manifesta fit causa huius Rubricae quam hic illustramus; scilicet, omnia festa Duplicia 1 vel 2 classis, nec non festa Domini, perpetuo Dominicis diebus assignata, *magis solemnia* reputantur, quam alia festa, licet sint Primaria, vel nobilioris dignitatis personalis; nam feriatio, quae inest in die Dominica, in honorem redundat festo in Dominica perpetuo ex praecepto Ecclesiae celebrando.

Hinc in corpore Breviarii expuncta fuit Rubrica specialis quae legebatur ante Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. in qua praescriptum erat, ut festum illud, utpote secundarium, cederet locum Festo Visitationis b. Mariae V. et cuicumque alii festo primario; quapropter, deinceps, si dies 2 iulii sit Dominica, fit de Pretiosissimo Sanguine, et Visitatio feria II sequenti celebratur. Idem dicatur de festo Rosarii b. Mariae, quando occurrit die 2 octobris, ubi Festum Angelorum Custodum agitur ritu duplici 2 classis. Idem quoque dicendum est de festo Ss. Redemptoris, ubi

celebratur ritu duplici maiori Dominica III iulii, quando in ea occurrit et festum Triumphi Crucis, quia huic festo illud est praeferendum.

(14) *Ratio autem solemnitutis Octavae, consideranda tantum est in die Festo atque in die Octava.* Opportunissima clausula haec est; nam, si etiam dies omnes infra octavam praeferri deberent, festa semiduplicia locum numquam habere amplius potuissent infra Octavas quascumque, quod noluit Legislator, et bene.

Quod autem attinet ad diem octavum festorum tum 1 tum 2 classis, qui praeferentia gaudet super festa eiusdem ritus, vide quae disseruimus in nostris Commentariis in Bullam « Divino afflatu » (nota 55), et in Tres tabellas (nota 50).

Nunc, adhuc expectamus opusculum clarissimi liturgici viri P. Paschalis Brugnani Fr. M.; regulas novi Psalterii illustrans, in quo rationem promisit huiusmodi praeferentiae diei octavi, super festa eiusdem ritus. Procul dubio tamen, per verba huius Rubricae, quae hic exponimus, privilegium praelationis, quo gaudent Festa cum octava, tribuitur quoque relativo diei octavo.

(Continuabitur).

D.r Petrus Piacenza.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum.

PRAEAMBULA.

I. — RATIO ET SUMMA DICENDORUM: Non infrequenter a nobis postulatur quid permittendum, quidque prohibendum in cultu, et potissimum in illo, qui ad sepulcrum Servorum Dei nondum beatificatorum, a fidelibus peragitur. Quidam de hoc anxii sunt, metuentes ex una parte, ne Urbani VIII decretis debita obedientia adhibeatur, et ex altera nollent famae sanctitatis Servi Dei, et privatae populi devotioni nocere.

Ut omnibus, qui his in adiunctis versantur, via facilis et tuta indicetur, breviter, Benedicto XIV duce et magistro, doctrinam sequendam exponimus ac dubia solvimus.

Quid Ecclesia circa Servorum Dei cultum a primis saeculis usque ad Urbani VIII decreta consueverit, iis qui rem fusius pertractant, considerandum relinquimus (1), tractatiunculam nostram ad partem practicam circumscribimus et argumentum pertractamus prout exstat in praesenti Ecclesiae legislatione.

Tota itaque doctrina hac de re tenenda, duobus principiis comprehendi potest: nempe: I. *Cultu publico, Dei Servi cum sanctitatis fama defuncti coli non possunt, etiamsi per eos miracula fierent* (2). — II. *Nihil prohibet quominus Dei*

(1) De veteri Ecclesiae disciplina circa cultum Servorum Dei cf. in primis Benedictus XIV in praeclarissimo opere: *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, lib. I. fere per totum.

(2) BENEDICTUS XIV, *De Servorum Dei beat.*, etc., l. II, c. VII, n. 9.

Servis cum sanctitatis fama defunctis privatus cultus exhibeatur (1).

Haec duo principia, Romanorum Pontificum decretis, plurimis SS. Patrum testimoniis, et communi Doctorum auctoritate muniuntur. Ex recta eorumdem intelligentia infertur, quid in Servorum Dei nondum beatificatorum cultu permittendum, et quid prohibendum.

Ex duobus praepositis principiis manifesto hae duae sequuntur conclusiones:

CONCLUSIO I. — *Servis Dei nondum beatificatis vel canonizatis tribui prohibetur cultus publicus, actusque ad eum pertinentes.*

CONCLUSIO II. — *Dei Famulis nondum beatificati vel canonizatis tribui permittitur cultus privaius, actusque ad cultum privatum pertinentes.*

De utraque distinctis capitibus agemus.

II. — PRAENOTANDA: 1° Tam ad beatificationem quam ad canonizationem, duo copulative requiruntur: *excellens probitas vitae* et *miracula;* haec enim duo necessaria edixit Gregorius IX in Const. Canonizationis S. Antonii Patavini: « Licet ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia Triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, iuxta illud Apocal. II: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae,* ad hoc tamen, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria: virtus morum, et veritas signorum; merita videlicet, et miracula, ut haec et illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitatis » (2). Haec duo

(1) Id., ib., n. 4.

(2) *Bullarium Franciscanum,* t. I, pag. 79, — Argumentum hoc fuse pertractat Benedictus XIV in praestantissimo praecitato opere: *De Servorum Dei,* etc., l. IV, p. I, cap. V, nn. 1-6. — Cfr. etiam FERRARIS, *Bibliotheca,* v. *Cultus Sanctorum,* nn. 24 et 25. — REIFFENSTUEL, l. III, tit. XLV, n. 9. — SCHMALZGRUEBER, t. III, p. III, tit. XLV, § 1, n. 8 et ss. — Animadvertendum quod utrumque, vitae nempe excellentia et miracula, constare debent per *plenissimam probationem* in le-

scilicet *excellens probitas vitae*, et *miracula*, concurrere quoque debent, et de utroque, valido cum fundamento fama referre debet, ut quis cum sanctitatis fama defunctus esse iure dicatur. Si unum deesset, quae exponimus non essent ad rem et adhiberi nequirent; non enim de defunctis cum fama sanctitatis ageretur.

2° Quamvis titulus, sive nomen *Servi Dei* alios atque alios sensus decursu temporis habuerit; modo, iuxta Sacrorum Rituum Congregationis consuetudinem, ille titulus seu nomen iis tantum tribuitur, de quorum agitur Beatificatione, et citra ullam laesionem decretorum generalium Urbani VIII, *Servi Dei* appellantur illi omnes, qui cum sanctitatis laude decesserunt (1).

Qui vero moritur cum fama sanctitatis, et iure vocatur *Servus Dei*, additamentum *Venerabilis* accipit, quando eius sanctitatis fama iudiciali iure probata est: quando nempe iudiciali more ex confecto processu auctoritate ordinaria, constiterit de eius sanctitatis et miraculorum fama, et Summus Pontifex iudicium authenticum tulerit, propriaque manu signaverit Commissionem Introductionis Causae eius beatificationis et canonizationis.

3° Itemque cum Dei Servos nondum beatificatos nominamus, quibus *publicum cultum* deferendum negamus, illos comprehendi nolumus, « qui sunt in possessione cultus immemorabilis, aut quibus cultus exhibetur vel ex permissione Summorum Pontificum, vel sacrae Rituum Congregationis, vel per Patrum virorumque sanctorum scripta »; sed illos dumtaxat sermo noster attingit « qui mortui sunt cum fama sanctitatis et miraculorum, nec non pro quibus nulla omnino militat publici cultus concessio sive ab expressa sive a tacita Sedis Apostolicae auctoritate proveniens » (2).

---

gitimo iudicio obtentam. Huius *plenissimae probationis* defectu fit quandoque, ut quorumdam Dei Servorum causae suspendantur et suspensae remaneant.

(1) Cfr. BENEDICTUS XIV, l. c., l. I, cap. 37, n. 2 et 3.

(2) Id. l. c., n. 2. — Haec plene concordant cum iis quae Urbanus VIII in sua Const. « Sanctissimus Dominus » sub die 4 aprilis 1625 decernit § 4.

CAPUT I.

De iis, quae in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum prohibentur.

§. 1. — *Quid veniat nomine* **cultus publici** *qui servis Dei nondum beatificatis vel canonizatis exhiberi prohibetur.*

Interest primo, ut bene definiatur quid intelligendum sub verbo *cultus publicus.*

Cultus est actus quo quis alterum honorat propter eius excellentiam (2); quae excellentia, propter quam honor exhibetur, potest esse naturalis, civilis, vel supernaturalis; ideoque cultus potest esse: *naturalis,* si honor alicui exhiberetur propter aliquam eius excellentiam naturalem, puta ingenium, scientiam, peritiam, etc.; *civilis,* qui exhibetur ob civilem excellentiam, v. g. honor delatus regi, principi, magistratui, etc.; *supernaturalis,* qui tribuitur propter excellentiam supernaturalem, quae infinita est in Deo, et propterea *cultu latriae* colitur; et participata et finita in Sanctis, qui propterea *cultu duliae* honorantur, at B. Virgo Maria supra ceteros colitur *cultu hyperduliae,* utpote quae supra ceteros excellentia divina cumulata fuerit.

Est quoque divina excellentia communicata Ministris Ecclesiae, et constituitur illa divina auctoritate, quam propter Ordinis et iurisdictionis potestatem ipsi consequuntur. His quoque congruens exhibetur honor, qui *cultus ecclesiasticus* vocari potest, non ratione institutionis, nec proprie, ratione excellentiae, quae non est simpliciter ecclesiastica, sed ratione personarum, quibus ille cultus tribuitur.

Cum itaque prohibitionis obiectum sit *cultus publicus duliae,* non prohibetur cultus naturalis, cultus civilis, cultus ecclesiasticus, sive privatus, sive publicus, eo sensu, quo modo

(2) Cfr. S. Thomas, 2, 2, q. 103, a. 1 et 3; q. 25, a. 1, et Theologi passim.

dicebamus. Res sane plana est: Quid enim prohibet, ut quis sive vivus, sive defunctus ideo honoretur, quia doctrina, auctoritate, ecclesiastica potestate fulsit? Non id prohibitionis obiectum esse potest, sed e contra saepius officii obiectum erit.

Cultus publicus *duliae* ille est qui fit nomine Ecclesiae, vel tamquam institutus ab ea (1). Huiusmodi cultus conceptum egregie interpretatur Benedictus XIV, qui scribit: « Cum itaque Cultus et publicus sit ratione loci, ut, si fiat in loco publico, seu coram aliis; et publicus dicatur intuitu personae, ut si exhibeatur ab homine, qui sit Ecclesiae Minister in loco publico, vel privato; et appelletur denique publicus qualitatis respectu, hoc est si ex Ecclesiae institutione solis sit exhibendus Beatificatis, aut Canonizatis » (2), putant nonnulli secundum omnes has acceptiones cultum publicum prohiberi. Alii autem sentiunt in casu de quo agimus appellatione publici cultus minime intelligi eum, qui publice exhibetur coram aliis, ex. gr., in Ecclesia, aut in foro; sed eum qui exhibetur *nomine Ecclesiae, vel ex eius institutione*. « Quocirca concludunt, quod qui Cultum ab Ecclesia institutum pro Beatorum, aut Sanctorum veneratione exhiberet alicui Servo Dei non Beatificato, neque Canonizato, publico Cultu eum prosequeretur, licet clam ageret, et sine testibus..... Ex opposito vero, qui in loco publico Cultum adhiberet, privatum tantummodo impenderet, quotiescumque is non esset de genere Cultus, qui ex Ecclesiae institutione Beatificatis, aut Canonizatis adhibetur » (3).

« Porro postrema haec sententia, inquit praecitatus summus Pontifex, magis consona est rationi, nec non Urbani VIII

---

(1) FERRARIS, *Bibliotheca*, etc., v. *Cultus Sanctorum*, n. 41.

(2) BENEDICTUS XIV, l. c., l. II, cap. VII, n. 6.

(3) Idem Benedictus XIV publicam venerationem non importare docuit actum, quo Sixtus V Pontifex Maximus una cum aliquibus Cardinalibus... genuflexus ad sepulcrum Fratris Felicis Ord. Capucc. oravit per spatium, quo ter recitari posset psalmus *Miserere*, prout et Cardinales et alii fecerunt ». L. c., cap. XX, n. 3.

Decretis. Rationi quidem, quia, si circumstantia loci publici, illicitum non efficit Cultum, qui viro pietate conspicuo adhuc viventi exhibetur, cum ad eius genua in foro et in ecclesia provolvi possimus, eiusque precibus nos commendare; multo minus illicitum poterit efficere Cultum, qui eidem post obitum impendatur, dummodo id non fiat per actus ex institutione Ecclesiae solis Beatificatis et Canonizatis exhibendos... Magis etiam sententia ipsa consona est Decretis Urbani VIII; inter articulos enim insertos formulae *Litterarum Remissorialium* in genere, sequens habetur: *Item, quod Servi Dei Corpus sepultum fuit in loco N. et in ecclesia N., et semper, ac continuo fuit ad illud venerandum magnus concursus Populi, et aliorum exterorum ad illud confluentium propter famam et opinionem sanctitatis illius, et quod hoc fuit et est publicum et notorium, ac fuit et est publica vox et fama.....* Idcirco, cum concursus ad sepulcrum, locum publicum, ut puta ecclesiam, respiciat; nemo est qui non videat, cultum minime dici posse publicum in re et pro causa, de qua nunc agitur, eo quod is in loco publico exhibeatur. Aliter enim ratiocinando, sequeretur absurditas: sequeretur enim, quod probari non posset aut celebritas sepulcri Servorum Dei, aut veneratio populorum; quorum tamen omnium non modica habetur ratio in Beatificationis et Canonizationis causis » (1).

Ad actus singulos devenientes, qui Urbani VIII Decretis, Dei Servis nondum Beatificatis deferri prohibentur, sequentes nominatim recensemus:

§. 2. — *Quid prohibeatur circa eorundem Servorum Dei imagines.*

Primus actus Urbani VIII decretis prohibitus est: « Quod eorumdem Dei Servorum imagines neque depingi possent cum laureolis, radiis seu splendoribus, neque retineri sive in sacellis, sive aliis in locis publicis aut privatis, sive in ecclesiis tum Saecularibus, tum Regularibus cuiuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis » (2).

(1) Cfr. id., ib., rem fusius probatam.

(2) Benedictus XIV, l. c., cap. XI, n. 5.

Duo sunt quoad hunc actum prohibita: « Alterum est, quod Imagines non apponantur ad altare publicum vel privatum, etiamsi depictae essent sine laureolis, radiis aut splendoribus; alterum vero, quod non depingentur cum ipsis laureolis, radiis aut splendoribus, sicque depictae nullo in loco seu publico seu privato retineatur » (1).

Quae Urbanus VIII hac de re statuerat, S. Rituum Congregatio ita clarius die 14 aug. 1894 declaravit: « Imagines virorum ac mulierum, qui cum fama sanctitatis decesserunt, sed nondum Beatificationis aut Canonizationis honores consecuti sunt, neque Altaribus utcumque imponi posse, neque extra Altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; posse tamen eorum imagines vel gesta ac facta in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo imagines illae neque aliquod cultus vel sanctitatis indicium praeseferant, neque quidquid profani aut ab Ecclesiae consuetudine alieni (2).

Circa modum horum Dei Servorum imagines pingendi, alia quoque observanda sunt;

a) Nulla ratione licet Servorum Dei imagines pingere, aut alio quocumque modo repraesentare, cum persona ad earum genua provoluta, genuum enim flexio signum est ab Ecclesia admissum pro cultu externo denotando, uti probat textus *in cap. Sane:* De celebr. Miss. et docent Doctores (3). Excipe tamen casum in quo omnino et aperte constaret quemdam privati cultus actum representari, quem licitum superius diximus, et qui etiam genuflexione aliquando exprimitur.

b) Non possunt eorumdem Servorum Dei imagines pingi aut repraesentari genuflexae cultum Christo, B. Virgini, vel

(1) Id., l. c., c. XI, n. 5.

(2) *Collectio Authentica*, n. 3835. — Quod Decretum innovatum est per responsum datum sub die 27 iunii 1901. Cfr. *Ephemerides Liturgicae*, vol. XXIII, pag. 212, non autem in collectione authentica allectum. — *Acta Apost. Sedis*, vol. 1, pag. 260.

(3) BENEDICTUS XIV, l. c., cap. XIV, n. 2. — PIGNATELLI, *Consultatione Canonicae*, T. 1, Consul. 208, n. 2.

alicui Sancto iam canonizato exhibentes, quando ipsae imagines in aliquo altari sive ecclesiae, sive sacelli essent reponendae; quia id foret oblique eludere dispositionem decretorum Urbani VIII, imagines Servorum Dei super Altaria collocari prohibentium (1).

c) Item eo modo pingi aut repraesentari Servorum Dei imagines non possunt, ut personam induant Sancti aut Beati iam canonizati aut beatificati; unusquisque enim intelligit, hoc modo fraudem in Urbani VIII decreta fieri. Ideo, uti narrat Benedictus XIV, imago tunc Servi Dei Antonii Baldinucci S. I. ita S. Francisco Xaverio aptata ut iste sanctus esset sub illius imagine repraesentatus, a sacello amota fuit antequam dubium in S. Congr. proponeretur de eius *non cultu* (2).

Cavendum igitur est ne in Servis Dei repraesentandis prohibiti cultus species exhibeatur.

§. 3. -- *Quidquid de Servorum Dei Actis publici iuris est faciendum, revisioni Promotoris Fidei vel Adsessoris S. Rituum Congr. est subiiciendum, si Causae Apostolica Sedes manus apposuit.*

« Secundus actus Apostolicae Sedis Decretis prohibitus libros spectat, continentes virtutes, martyrium, revelationes, atque miracula Servorum Dei neque beatificatorum, neque canonizatorum. Hi namque typis imprimi prohibentur sine recognitione atque approbatione *Ordinarii;* qui et tenetur adhibere ad consilium theologos, aliosque pios et doctos viros, tum autem negotium instructum ad Sedem Apostolicam mittere, huiusque responsum expectare » (3).

---

(1) Benedictus XIV, l. c. — Casus tamen excipiendus videtur ex eodem Benedicto XIV l. c., in quo manifeste appareat, non ratione eludendi Urbani VIII decreta Servorum Dei imaginem ad pedes Christi, Virginis Mariae, aut Sancti poni, sed alia ratione, uti etiam non Servorum Dei imagines in picturis super Altaria quandoque ponuntur.

(2) Id., ibid.

(3) Benedictus XIV, l. c., n. 6.

Modo per Const. « *Officiorum ac munerum* » statutum definitive est: « Quae ad causas Beatificationum et Canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis sacris Ritibus tuendis propositae publicari nequeunt » (1). Optime ad hunc Const. paragraphum notat Cl. WERNZ. « Statuta huius paragraphi referuntur ad causas Beatificationis et Canonizationis *adhuc pendentes*, non ad *absolutas* per solemnem sententiam *definitivam* Canonizationis; multo minus spectant ad illa facta supernaturalia Servorum Dei, quorum causae coram S. R. C. omnino *non* agantur. Quare haec documenta non comprehensa, si videantur esse publicanda (qua in re prudentia opus est), subiacent censurae ordinariae i. e. Episcopi » (2).

Quapropter S. Rituum Congregatio paucis abhinc annis monuit: « Acta quae respiciunt vitam, virtutes et prodigia Servorum Dei vel Beatorum, quorum causis Beatificationis et Canonizationis manus apposuit sacra Rituum Congregatio, typis edi ac publici iuris fieri nequeant, inconsulta eadem sacra Congregatione, et absque licentia *nihil obstat* R. P. D. Promotoris sanctae Fidei, vel Adsessoris ipsius sacri Consilii » (3).

Promotor autem Fidei, vel S. R. Congregationis Adsessor, peracta revisione, huiusmodi libros edendi facultatem non dat, nisi, praeter alia quae ipsi disponere videbuntur,

(1) Const. *Off. et muner.* Tit. II, c. I, § 32.

(2) WERNZ, *Ius Decretalium*. Romae 1908. T. III, parte I, p. 127. — Card. Gennari ad praefatum Const. *Officiorum* paragraphum habet: « Di quanto si appartiene, in qualunque modo, alle cause di beatificazione e di canonizzazione dei Servi di Dio nulla si può pubblicare senza la venia della S. C. de' Riti. S' intende di ciò che riguarda gli atti processuali; non già i molteplici decreti, concernenti cotal materia, che la stessa S. C. suol pubblicare; e ciò va detto o che le cause siano ancora in corso, o che siansi espletate, giacchè qui niente si distingue » *Della nuova disciplina sulla proibizione* e sulla *censura dei libri* ecc. Roma 1903, pag. 94.

(3) Monitum SS. Rituum Congr. die 12 februarii 1909, *Analecta O. M. Cap.*, XXV, pag. 101. — *Acta Apost. Sedis* Vol. 1, pag. 238.

ab Auctore in principio et fine operis apponantur *protestationes* ab Urbano VIII praescriptae (1). Consuetudo autem, quae legitime probata haberi debet, fert ut hae *protestationes* aequivalentibus tantum verbis exprimantur, et una dumtaxat vice praestentur, in principio scilicet vel in fine operis.

Hae *protestationes* absolute requiri non videntur in libris qui gesta enarrant eorum, quorum Causae apud S. R. Congregationem vel nondum aguntur, vel iam absolutae sunt. Scribit enim Cl. Vermeesch: « Fuere in initio, qui rem istam, (nempe: huiusmodi protestationes nulla iam lege requiri) satis planam non agnoscerent; sed iam communis facta est sententia, quae certo fulcitur argumento » (2) superius adducto, et ex praxi etiam nunc observata, quae nobis certo constat, sententia limitanda saltem est ad casus in quibus agitur de Servis Dei, quorum causa ad S. R. C. nondum perlata, vel iam finita est, uti modo dicebamus. Urbani enim VIII Decretum non ipsos Auctores immediate respicit, sed ad Ordinarios dirigitur, et ad eos quibus praefatorum librorum editionem permittere ius est, ne facultatem dent, nisi sub conditione illarum praestandarum protestationum (3).

§. 4. — *Servi Dei nondum beatificati vel canonizati* Sancti *vel* Beati *vocari vetantur.*

Tertius actus prohibitus est, ne Servorum Dei nondum beatificatorum personae, *Sancti* vel *Beati* adiectivo appellen-

(1) Benedictus XIV, l. c., c. XI, n. 7. — Hoc in loco et app. I, ad lib. II, habentur protestationnm formulae ab ipso Urbano VIII praescriptae.

(2) Vermeesch, *De Prohibitione et Censura librorum.* Edit. IV, n. 79. — Card. Gennari sententiae a Vermeesch traditae assentit scribens: « Noi quindi ci uniamo al Vermeesch n. 19, il quale opina che ora non obbliga più la dichiarazione di Urbano VIII, anche perchè nell'art. 32 questa Costit. (Officiorum) modifica il decreto della S. Congr. dei Riti circa la pubblicazione delle cose spettanti alle cause di Beatificazioni, ecc. Così pure Genicot, 453. 3; Lega, n. 363, ed altri. *Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura dei libri.* Roma 1903, pag. 51, nota 1.

(3) Benedictus XIV l. c. et in Append. I ad libr. II.

tur, quamvis tali adiectivo denotari possint eorum mores, vita, actiones, etc. Ita rem hanc Benedictus XIV egregie pro more suo illustrat: « Inter dubia disputanda coram Clemente VIII nonum erat, *an liceat eos*, hoc est Dei Servos, *mortuos cum fama sanctitatis appellare cum praefatione Beati, vel Sancti.* Porro hac de re constitutum fuit, admitti quidem posse elogia Sancti, aut Beati, quae cadunt supra mores et opinionem; ea vero nequaquam, quae cadunt supra personam: nam, cum Pater Vicarius Generalis Capuccinorum olim in suo supplici libello exposuisset Congregationi sanctissimae Inquisitionis, quod in annalibus Religiosi sui Ordinis plurium mentio fiebat virorum, qui dicebantur perfectae et sanctae vitae, et plura fecisse miracula, hincque quaesivisset, an id refragaretur decretis editis *De non cultu;* summus Pontifex Urbanus VIII *die* 5 *Iunii* 1631 ita definivit: *Sanctissimus Dominus noster mandavit, non debere admitti elogia Sancti, vel Beati absolute, et quae cadunt super personam; bene tamen posse Magistrum sacri palatii apostolici admittere ea, quae cadunt supra mores et opinionem, cum protestatione in principio, quod his nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantum sit penes Auctorem.* Quod profecto decretum, quamvis emanaverit occasione petitionis P. Vicarii Generalis Capuccinorum, atque tantum de sacri palatii Magistro loquatur, vim tamen habet decreti generalis, ad omnesque casus extensi, necnon *Ordinarios* omnes comprehendentis, cum ab ipsis vitae Servorum Dei, adhibitis ad consilium theologis aliisque doctis viris, examini sint subiiciendae » (1).

An autem *Martyris* titulus adhiberi possit in vita conscribenda eorum, qui in odium fidei occisi sunt; S. R. C. hac de re sequens responsum dedit: « *Permittatur usus nominis Martyris in casu expresso; quando tamen praemittantur, et postponantur solitae protestationes, addita in eisdem expressione, quod non intendit Auctor eos, quorum vitae con-*

(1) Benedictus XIV, l. c., c. XII, n. 2. Cfr. ibi et nn. 3 et 4, plura exempla huc spectantia.

(2) Benedictus XIV, l. c., n. 5.

scribuntur, nec in vim eius scriptorum aliquo pacto teneri pro martyribus » (2). Alia vice: « *S. Congr. decrevit, permittendum esse usum nominis Martyris in casu expresso: quando tamen praemittantur et posponantur solitae protestationes, addita in eisdem expressione, quod non intendit Auctor eos, quorum vitae conscribuntur, haberi, nec in vim eius scriptorum aliquo pacto teneri pro martyribus* » (3).

Cavendum igitur est ab adhibendo nomen *Sancti* vel *Beati* cum agitur de Servo Dei nondum beatificato vel canonizato; potest e contra titulus *Martyris* adhiberi in vita eorum conscribenda, qui pro fide occisi sunt.

§. 5. — *Ad sepulcrum Servorum Dei prohibetur lampadum ac luminum accensio.*

Quartus actus vetitus ad sepulcra Servorum Dei nondum saltem beatificatorum est lampadum ac luminum incensio. Quoad hanc tamen prohibitionem animadvertendum est, lampades et lumina prohiberi eo sensu et modo, quo eorum incensio exprimeret publicum cultum Deo, B. Virgini et Sanctis tantummodo debitum, aut de hoc dubium rationabiliter moveri sineret; sed non videtur lampades et lumina eo modo et sensu prohiberi, quo significarent cultum privatum, pium nempe animae affectum erga virum cum sanctitatis fama defunctum, aut etiam privatam sanctitatis existimationem.

Lampadum enim et luminum accensio ad sepulcra defunctorum non est *per se* ab Ecclesia instituta et ordinata ad cultum publicum, qui Sanctis exhibetur, exprimendum. Lampades et cerei ad quorumcumque defunctorum sepulcra ubique accenduntur, et etiam ad sepulcra in ecclesiis sita, quin id unquam reprobatum fuerit (4). Non est putandum,

(3) Apud eundem BENEDICTUM XIV, l. c.

(4) De usu luminum et lucernarum ad fidelium defunctorum sepulcra, videsis: CATALANI, *Commentarium ad Rituale Rom.*, tit. VI, cap. I, n. 7. — TROMBELLI, *De Cultu Sanctorum*, Diss. VIII, c. XXX et ss. — MARTIGNY, *Dictionnaire des Antiquités Chrétiennes*, v. Lampes Chrétiennes. — MORONI, *Dizionario di erudizione Ecclesiastica*, v. Lucerne. — CABROL, *Dictionnaire d'Archéol. Chrétienne*, v. *Cierges*, et loca et Scriptores ibi copiose indicata.

sepulcra defunctorum cum sanctitatis fama inferioris esse conditionis aliorum sepulcris. Aliunde in hac luminum accensione consentire videtur ipse Benedictus XIV, qui sua Francisci Penia haec verba facit: « Quamvis pro Sancto nondum canonizato non liceat solemne Officium decantare, nec solemnes preces fundere; non tamen videtur generaliter prohibitum, nec fortassis expediret generaliter prohibere, ne in publico etiam quisquam posset cereos accendere in honorem illius, quem putat Sanctum: quia ex hoc tepesceret devotio, et illius viri, qui fortasse Sanctus est et cum Deo regnat, gloria occultaretur, et impediretur aliquod bonum praesens vel futurum » (1).

Card. Gennari inter venerationis signa non prohibita, hoc ponit: « Possono accendersi innanzi ad esso lumi e candele » (2), et rem verbis modo ex Benedicto XIV adductis, roborat.

Ne tamen Urbani VIII prohibitio frustretur, haec sententia omnino limitanda est ad lampades et lumina, quae quibusdam anni diebus, uti ex. gr. in die anniversaria mortis, in die omnium fidelium defunctorum, iuxta loci consuetudinem, ad quodcumque sepulcrum accendi solent. Item limitanda est ad lumina, quae *a privatis, modo transeunte*, apponuntur. Si enim speciem haberent *luminis perpetui*, vel *permanentis*, aut *votivi*, omnino prohiberentur: quaecumque prohibiti cultus species est cavenda ne Servorum Dei Causis detrimentum afferatur.

Pro praxi hac in re distinguenda est luminum ac cereorum oblatio a luminum et cereorum *accensione;* haec procul dubio si fiat modo, quo cultum publicum significet, prohibetur; prior e contra, seu cereorum *oblatio* non est proprie obiectum legis prohibentis. Eo modo quo, ut infra dicemus,

(1) Benedictus XIV, l. c., c. VII, n. 10. — Non est tamen silendum paulo post alterius Theologi verba adducere, contrarium sensum exprimentia, c. XI, n. 17.

(2) *Monitore Eccles.*, ser. II, vol. VII, pag. 374, et *Questioni Liturgiche di materie riguardanti specialmente i tempi nostri*. Roma 1908, p. 510.

non votivarum tabellarum *oblatio* et receptio, sed *suspensio* ad Servorum Dei sepulchra vetatur.

§. 6. — *Ad sepulcrum Servorum Dei prohibetur quoque tabellarum votivarum suspensio.*

Quintus actus vetitus est, ad Dei Servorum sepulcra imaginum ex cera, vel argento, seu votivarum tabellarum suspensio. Urbanus VIII « Ad horum hominum sepulcra, vetuit etiam ac inhibuit tabellas, atque imagines ex cera aut argento, seu ex alia quaecumque materia, tam pictas quam fictas, atque exculptas, appendi aut affigi » (1).

« Cum vero in dubitationem adductum esset, an ex ipsis expositis verbis, vetita dici posset absolute ac simpliciter tabellarum votivarum oblatio, Summus saepe dictus Pontifex sequentem emisit declarationem, quam legere est in toties citatis decretis », idem Sanctissimus D. N. mentem suam apertius declaravit, decernens intentionem suam non fuisse huiusmodi tabellarum et imaginum oblationem receptionemque prohibere; sed « liceat Ecclesiasticis personis ecclesiarum, locorumve praedictorum curae praepositis tabellas et imagines sive pictas, sive ex quavis materia fictas, atque alia quaecumque, collatae gratiae fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuerint, attestationibus recipere, atque approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia teneantur, in secreto aliquo seorsum ab ecclesia loco custodire, ibidemque amota iam collocare et asservare » (2).

Ex hoc colligitur quanta cura Ecclesia a cultu publico Servorum Dei Reliquiis exhibendo caveat.

Prohibetur itaque has Servorum Dei Reliquias in Ecclesiis, Oratoriis, Capellis exponere, super Altaria etiam privata collocare, eis honores, reverentias, aliaque venerationis signa exhibere, quae Ecclesia instituit et adhibet ac adhibere solet in cultu Beatorum vel Sanctorum.

---

(1) Const. « *Sanctissimus Dominus* », § 3.

(2) Benedictus XIV, l. c., c. XI, n. 11.

Benedictus XIV narrat in Clericos Regulares Minores Civitatis Neapolis animadversum fuisse, propter amplitudinem cultus praestiti tunc Servo Dei Francisco Caràcciolo, cuius corpus « in quadam capsa collocatum, die eiusdem obitus anniversaria, ad publicam exposuerunt venerationem sua in ecclesia. Secundum enim communem consuetudinem non aperiuntur sepulcra, ut corpora fidelibus ostendantur, nisi in eis recondita sint Beatorum aut Sanctorum corpora, sicuti fit in Urbe de corpore S. Philippi Nerii..... Item non aliam ob causam institutum est, ut Reliquiae exponantur, nisi quo Christianorum pietas incendatur, et ex earum aspectu uberrima bonorum seges in fidelium animos derivetur... Quae cum non conveniant nisi Sanctorum vindicatorum Reliquiis, sequitur, tum eadem, tum his similia fieri nequaquam licere quoad corpora et Reliquias Servorum Dei neque beatificatorum neque canonizatorum » (1).

Ob easdem rationes, Sacerdotibus non licet cum horum Servorum Dei Reliquiis infirmos aliosque benedicere, eo modo quo benedictio fit cum Beatorum vel Sanctorum Reliquiis. Talis benedictio, si aliquo in casu licita habenda esset, nunquam liceret eam in Ecclesia peragere, aut quocumque alio loco a Sacerdote peragi stola induto, quia hisce in adiunctis Sacerdos Ecclesiae ministri personam et auctoritatem gerit, et eius actio est actio publicae personae, ac propterea publici cultus, a quo semper cavendum est.

Hisce paragraphis praecipuos tantum actus indicare intendimus, qui Dei Servis nondum Beatificatis deferri prohibentur. Alii enim dari possunt actus, qui venerationem et cultum publicum praeseferant, et absque dubio hi quoque graviter prohibentur. Urbanus enim VIII in sua Const. « Sanctissimus D. N. » prohibere intendit « quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans ».

Quid autem veniat nomine loci ab ecclesia secreti, Benedictus XIV ita designat: « Nomine autem loci ab Ecclesia

---

(1) Benedictus XIV, l. c. L. II, Cap. XIII, n. 10.

secreti, in quo conservandae sunt tabellae et imagines votivae, comprehenditur etiam sacrarium; dummodo conservatio item in eo secreta sit, et a quocumque cultu atque veneratione remota, quod et firmant saepe memorata decreta. *Votivae tabellae, imagines, et res aliae ad beneficia accepta testificanda, quae in secreto retineri mandantur, etiam in sacrario custodiri permittuntur; secreto tamen, et eo modo, quo cultum et venerationem non praeseferant* » (1).

Non tam facile in singulis casibus definiri potest quae et quanta esse debeat huius loci ab ecclesia seiunctio et secretio. Ordinarii erit iudicare, an Urbani VIII Decreta serventur, nec ne, et eius iudicio est omnino acquiescendum. Si autem ipse de aliqua re rationabiliter dubitat, tunc Fidei Promotorem audire poterit, et eius responsioni tuto obtemperare.

§. 7. — *Etiam Servorum Dei Reliquiis publicus cultus exhiberi prohibetur.*

Si virorum ac mulierum cum fama sanctitatis defunctorum imagines *publico cultu,* aut *publici cultus* actibus et signis venerari non debent; id a fortiori tenendum est de eorum virorum ac mulierem reliquiis. Aperte hoc procedit ex praemisso principio et ex textu Alexandri III in cap. *Audivimus* de Reliq. et Veneratione SS. — « Episcopus quoque approbare non potest, tradit Ferraris, in ordine ad Cultum publicum Reliquias alicuius cum fama sanctitatis defuncti, nondum *Canonizati* nec *Beatificati:* Hoc enim spectat ad Romanum Pontificem. *Communis,* textu expresso in cit. cap. *Cum ex eo* 2 de Reliquiis et Veneratione Sanctorum, ibi: *Inventas de novo Reliquias nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis sint approbatae* » (2).

Hac de ratione cum Episcopus debeat vel iure suo, si agitur de Causa in qua Sedes Apostolica manus minime ap-

(1) Id., ib.

(2) Ferraris, v. *Cultus Sanctorum,* n. 59.

posuit, vel ex commissione, si iam signata est Commissio Introductionis Causae per Summum Pontificem, peragere recognitionem corporis alicuius Servi Dei, vel eiusdem translationem de loco ad locum, semper id cavendum iubetur, ut fiat secreto et sine pompa, absque populi praesentia, et clausis ianuis ecclesiae vel coemeterii (1).

(3) BENEDICTUS XIV, l. c., l. IV, part. II, c. XX, n. 3. — Hanc eamdem clausulam continent *litterae remissoriales* pro conficiendis processibus apostolicis, ubi ea quae peragenda sunt in corporis recognitione decernunt.

(*Continuabitur*).

Consultationes.

I. *Pro Gallia* — Ann. 1912, n. 9, p. 585, *Ephemerides liturgicae* de festo Dedicationis B. M. V. ad Nives loquutae sunt. Ibi fatetur doctus responsi Auctor, huiusmodi festum esse omnino sui generis, scilicet festum B. M. V. quoad officium, festum autem Dedicationis, et ideo, festum Domini, quoad qualitatem. Quaerendum ergo est, utrum, occurrente praedicto festo die dominica, de festo an de dominica agendum sit officium.

Animadvertere liceat in Ordine Basilicae Liberianae, die V Augusti agi tantum de Dedicatione ipsius Basilicae et nullo modo de Titulo, de quo agitur in festo Assumptionis, dum in Ordine Lateranensis Basilicae, de Titulo agitur in festis Ascensionis et Transfigurationis Domini, et etiam in festis utriusque S. Ioannis. Quod si festum B. M. V. ad Nives esset quodam modo Titulus Basilicae Liberianae, hoc in Ordine divini Officii indicari debere videretur.

Resp. Insistimus in iis quae loco citato (Ephem. Lit. 1912 p. 585) docuimus: nempe quod Dedicatio ad Nives, est festum sui generis. Quoad *officium* est revera officium b. Mariae V., quoad *festum* autem est festum anniversarium Dedicationis illius basilicae, ideoque primarium, et festum Domini.

Hoc autem non obstante, quando huiusmodi festum occurrit in Dominica, persolvi debet officium ipsius dominicae, non vero de festo. Ratio est, quia officium festorum Domini, bene potest in die dominica recitari loco officii dominicalis, eo quod officium ipsum non sit nisi subrogatum officium eiusdem dominicae, uti explicite notat S. R. C. in suo decreto d. d. 24 februarii 1912 (Cf. nostrum comment.

in tres Tabellas pag. 159); cum autem in casu nostro, uti diximus, agatur quidem de *festo* Dedicationis, sed cum *officio* B. Mariae, huiusmodi officium officio dominicali subrogari nequit, ob diversum obiectum eius. Ergo in casu, fiat de Dominica cum commemoratione Dedicationis ad Nives, exceptis locis, ubi festum ipsum ad Nives celebratur sub ritu duplici 1 vel 2 classis; siquidem dies Domini officium Domini habere debet, nisi occurrat festum classicum.

II. Ann. 1913, n. 2, p. 70. — De Missis priv. pro def. et votiv. in die in qua reponenda est Missa dominicae. — Quando per hebdomadam nulla dies libera invenitur, et sabbato recitatum est off. B. M. V., doct. Auctor affirmat non licere hoc sabbato celebrare missas votiv. privat. aut lect. pro def., eo quod rubrica implicite contrarium doceat.

Censemus autem istiusmodi Missas licitas esse in casu.

1° Rubrica, non implicite, sed explicite loqui debet. Ubi enim adest quaedam limitatio libertatis, adest quid odiosum, atqui odiosa sunt restringenda. Ceteroquin, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

2° Rubrica loquitur tantum de feria in qua reponitur Missa dominicae praecedentis. Atqui Missa dominicae anticipatae impedit quidem Missam de B. M. V. non autem Missa reposita, quae impedita fuit dominica praecedenti, et quae ideo videtur minus privilegiata quod iam habuit suam commemorationem.

Optandum valde est Missam impeditam locum habere posse etiamsi occurrant off. B. M. V. in sabb., festa simplicia, et etiam dies infra octavam, aut semiduplicia, sed expectaudum donec a S. R. C. quid statutum fuerit.

Resp. In Ephem. Lit. huius an., p. 70, arguendo, docuimus, quod in casu, quo Missa Dominicae praecedentis reponenda sit infra hebdomadam suam, nullaque adsit feria libera, nisi sabbatum, in hoc sabbato dici debet, vel Missa de officio s. Mariae in sabbato, vel Missa ipsa de dominica praecedenti, non vero Missa aliqua ex votivis vel pro defunctis. Ratio est, quia mens fuit legislatoris in nova Rubricarum

reformatione, ut officia et Missae de Tempore in pristino honore restiturentur; ideoque Missa dominicalis, quae sua die omissa fuit, reponi omnino debet infra suam hebdomadam, si fiat de feria; vetitis Missis votivis et pro defunctis. Atqui, in sabbato, si quis celebrare non vult Missam de b. Maria, de qua persolvit officium, celebrare debet Missam de dominica, non vero votivam aut pro defunctis. Ibi diximus, quod sententia nostra fundamentum habet, saltem *implicite*, in novis rubricis: eo quod, Missa dominicalis ex novis Rubricis, *explicite* praeferentia gaudet super Missas votivas et pro defunctis, quando ipsa est reponenda in prima feria libera; ergo *implicite* Rubrica vult quod praeferentia ista gaudere debet etiam quando ritus permittit quidem, per se, Missas votivas aut pro defunctis, iuxta solitum, non vero quando sit reponenda Missa de praecedenti dominica.

In hoc casu, videtur quod libertatem tollit rubrica, praeferentiam donans Missae dominicali, et ideo sacerdos, vel dicit Missam de officio recitato b. Mariae, vel, si Missam aliam legere desiderat, haec nonnisi de dominica in casu esse potest.

Hoc principium valet quoque pro diebus in quibus celebratur festum alicuius Sancti ritus semiduplicis, vel fit de aliqua octava communi. Ex. gr. hoc anno in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli impedita fuit Missa de dominica vij post Pentecosten; cum vero die iij iulii actum fuerit de infra octavam, quisque poterat celebrare Missam de octava, utpote Missa de die, vel si aliam Missam celebrare cupiebat, haec nonnisi de praecedenti dominica esse poterat: quoad enim fieri potest urget praeceptum Rubricae, quo Missa dominicalis praeferri debet Missis votivis aut pro defunctis.

III. Ann. 1913, n. 6, p. 347. — De primo psalmo ad Primam recitando Dom. in Albis. — Doctissimus Auctor affirmat dici debere ad prim. dominica in Albis, ps. *Deus, in nomine*, loco ps. *Confitemini*, eo quod sit dies octava festi Domini. Censemus e contrario, salva reverentia, dici debere ps. *Confitemini*.

1° Ratione auctoritatis. *a*) Antiphonale romanum nuper editum et a S. R. C. approbatum indicat ad prim. Dom. in Albis, ps. *Confitemini,* cum divisionibus ps. 118, *Beati* et *Retribue* ;

b) Ordo divini officii in Patriarchalibus et pro clero romano huic sententiae consonat.

2° Ratione analogiae. Totum officium huius diei est de dominica. Ad 1as vs. sumuntur ps. de sabbato, sicut ad sequens completorium. Ad matutinum officium est de psalterio et nullo modo festivale. Nec dici potest, quamvis haec dominica sit octava Paschae in ea fieri officium de octava, quod requiritur ex rubrica novi psalterii ut ps. *Deus, in nomine* substituatur ps. *Confitemini.* Salvo meliori iudicio.

Resp. Cl. adlabor noster p. V. ab A. docuit quidem in nostris Ephem. Lit. huius anni, p. 347, quod primus psalmus ad Primam, dominicae in Albis, esse deberet Ps. *Deus, in nomine tuo,* non vero *Confitemini;* primo, quia dominica illa est revera dies octavus Paschatis; secundo, quia sic ordinabatur officium Primae illiusmet dominicae in antiquis rubricis. Atqui, egregius scriptor, et plurimi alii cum illo (Cf. Officium Hebd. Mai. ed. Pustet 1912) cum nil explicite hac de re praescribant novae rubricae, antiquam legem esse sequendam putavit.

Nunc vero, bene inspectis novis rubricis, et quia officium dominicae in Albis non est de octava, cuius officium desinit ad Nonam sabbati, sed est de dominica, quod incipit a Vesperis sabbati, ita ut psalmi ad Completorium sumendi sint de sabbato, uti reformata nova rubrica docet, dubium exulat omnino; hinc ad Primam dominicae in Albis, pro primo psalmo adhibendus est ps. 117 *Confitemini,* sicut in aliis dominicis. Ceterum psalmus iste, magis convenit in casu, cum sit psalmus Resurrectionis.

Dr. P. P.

Praxis liturgica

DE REQUISITIS AD MISSAE CELEBRATIONEM

(Continuatio, V. n. 7 curr. anni, pagg. 393-413)

IV. — De Vasis sacris.

26. Calix, quo Sacerdos utitur ad Sacrificium Missae celebrandum, debet esse vel aureus, vel argenteus cuius tamen cuppa sit auro illita, vel saltem habeat cuppam argenteam intus inauratam (1); permittitur autem saltem in casu paupertatis vel necessitatis cuppa *stannea* (non aerea vel vitrea) pari modo deaurata (2). Calices vero, quorum cuppae sunt ex metallo, cupro vel aurichalco, etsi inauratae, prohibentur et consecrari nequeunt (3). — Patena ex eadem materia con-

(1) Rit. celebr. Mis., I, n. 1; Bened. XIV, *De Sacrif. Mis.* sect. I, c. 23.

(2) De defect. in celebr. Mis. X, n. 1; Cf Wernz. Ius Decret., III, n. 504. Quoad calicem stanneum, ait De Amicis, etiam si absolute licitus sit, nihilominus, in praxi, ecclesiae quoque pauperrimae eo amplius non utuntur (*Caer. Paroch.* tom. I, n. 49, in nota).

(3) Cf. S. R. C. 16 Sept. 1865 ad 4, n. 3136. — Pius tamen Pp. IX, d. 6 Ian. 1847 concessit Missionariis, tum in Sinis et regnis adiacentibus, tum in Indiis Orientalibus existentibus, ut ipsi vel ob paupertatem vel ob deficientiam metallorum nobilium in Missae Sacrificio adhiberi possint Calices metallo vulgo dicto *cuivre blanc*, aut aere albo confectos *(Collect. S. C. P. F., n. 856, 1 edit. — Cf. n. 858, ibid.)* — Insuper Pius IX, d. 6 Dec. 1866, permisit generatim adhiberi Calices et patenas ex *alluminio* aliis metallis commixto, dummodo certam deargentationem ac deaurationem intus recipiant, iuxta S. R. C. instructionem *(V. Collect. cit. n. 863)*.

fici decet ac Calicis cuppa, nempe aurea vel argentea: nulla enim, ait De Amicis, invenitur lex, qua, saltem explicite, materia patenarum praescribatur. Collata rubrica (*Rit. serv.*, tit. 1, n. 1) decretis inspectis, hoc quidem fit manifestum (cfr. *Caer. Paroch.*, tom. I, art. 1, n. 50), et inaurata saltem in parte superiori, quod explicite praescribitur (1). — Pyxis seu ciborium debet esse ex solida decentique materia (2), ex eadem nempe materia ac illa quae pro Calice praescribitur, vel saltem ex cupro deaurato (3). Idem dicendum est de Lunula et Ostensorio (4).

27. Calix cum patena ab Episcopo consecrari debent; Pyxis vero seu Ciborium, Lunula et ipsum Ostensorium ac vasa SS. Oleorum non consecrantur, sed benedicuntur a Sacerdote facultatem habente benedicendi vasa sacra ac paramenta sacra, uti habent pro regularium ecclesiis Superiores locales (5).

28. Pyxis debet esse suo operculo bene clausa et velo albo serico cooperta (6). — Ostensorium debet habere in eius summitate crucem visibilem (7). — Omnia vasa sacra semper munda ac nitida conserventur, et identidem a Sacrista Sacerdote vel a Ministro in sacris constituto mundanda sunt ac lavanda.

(1) Rit. celebr. Mis. I, n. 1. — Usus parvi cochlearis, ut tutius immittatur parva aquae quantitas in Calicem, non est prohibitus (S. R. C. 6 Febr. 1858 ad 4, n. 4064); convenit tamen ut sit ex eadem materia confectum ac Calix et patena.

(2) Rit. Rom. tit. IV, c. 1, n. 5.

(3) S. R. C. 31 Aug. 1867 ad 9, n. 3162.

(4) Idem decret. — Praxis S. Hostiam, quae in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia eamque reponendi in Tabernaculo absque ulla capsa seu custodia, licita est, *dummodo S. Hostia in dictis crystallis benesit clausa atque crystalla non tangat* (S. R. C. 4 Febr. 1871 ad 4, n. 3234 et 14 Ian. 1898, n. 3974).

(5) Leo X, Const. « *suadet* ».

(6) Rit. Rom., tit. IV, cap. I, n. 5.

(7) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2957.

29. Calices et patenae amittunt consecrationem seu execrantur, si ita destruantur vel frangantur, ut non amplius aptae sint pro oblatione SS. Missae Sacrificii, v. g. si in fundo cuppae fuerit foramen, vel si per fractionem cuppa separetur a pede. — Quando inauratio Calicis et patenae decidit, iterum inaurari ac consecrari debent (8). — Vasa sacra, antequam artifici tradantur reficienda, a manu Sacerdotis vel mediante instrumento non debent execrari (9).

30. Vasa sacra, *dum actu continent SS. Sacramentum,* extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet ea tangere, etiam mediate, praeterquam Sacerdoti et Diacono; cum vero sint *vacua,* tangere fas est etiam Clericis, et laicis quorumdam Regularium (1). Et idem dicendum est de tactu Corporalium, Pallarum et Purificatoriorum, quae in celebratione Missae iam adhibita fuere. — Linteamina sacra, nimirum Corporale, parva Palla et Purificatorium, postquam in celebratione Missae adhibita fuerint, ante quam tradantur lavanda, prima lotione per Ministrum in sacris constitutum abluantur in vase ad hoc exclusive destinato, et lotionis aqua in piscinam seu sacrarium ecclesiae proiiciatur (2).

---

(1) Cfr. S. R. C. 14 Iunii 1845, n. 2889, et 9 Maii 1857 ad 1, n. 3042.

(2) S. R. C. 20 April. 1832, n. 2620.

(3) Cf. S. R. C. 23 Nov. 1966 ad 1, n. 4194, ubi dicitur, clericos prima tantum Tonsura initiatos tangere posse vasa sacra et lintea sacra, ac Calicem praeparare in Sacristia, absque speciali indulto. Quoad Laicos vero, praesertim Sacristas, cf. S. Lig. l. 6, n. 382; Ferrar. v. *Vasa sacra,* nn. 8-14, etc.

(4) Can. 40, dist. 1, *De Consecrat.*; Pontific. Rom. *De Ordine Subdiac.* - Moniales seu piae fœminae vitam communem sub regula agentes non possunt, etiam cum licentia Ordinarii, abluere (sc. prima lotione) corporalia pallas et purificatoria (S. R. C. 12 Sept. 1857 ad 26, n. 3059), sed necessaria ad hoc est facultas ap. Sedis.

V. — De paramentis sacris.

31. Corporale, alba, amictus, palla, purificatorium et mappae Altaris debent esse ex lino aut cannabe, minime vero ex gossypio aut ex alia materia quacumque (1); et sint semper mundissima. — In extremitatibus corporalis, pallae et purificatorii licet apponere ornatum ex textili denticulato. Quoad manicas et fimbrias albarum toleratur ut in iis fundus coloratus supponatur textili denticulato vel operi phrygio (2). Item uti permittitur palla a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto cooperta, dummodo palla linea subnexa Calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa (3). — Velum Calicis debet esse sericum (4), et eiusdem coloris cuius est planeta. Bursa, quae omnino requiritur in celebratione Missae (5), debet esse formae quadratae et eiusdem materiae et coloris ac cetera paramenta Celebrantis. — Ex consuetudine apponitur crux in medio partis superioris Bursae; sed in velo, more Romano nulla, alibi in anteriori parte.

32. *Palla* et *Corporale* benedicenda sunt ab Episcopo vel

---

(1) S. R. C. 18 Maii 1819, n. 2600; 17 Dec. 1875, n. 3387 et 23 Iunii 1878, n. 3455.

(2) S. R. C. 12 Iulii 1892 ad 5, n. 3780.

(3) S. R. C. 17 Iulii 1894 ad 4, n. 5832. — Insuper S. R. C. d. 24 Nov. 1905 ad 2, declaravit, pallam subnexam debere esse lineam, mundam et facile amovibilem (n. 4174). — Item ex consuetudine apponi potest in medio plicaturae anterioris Corporalis parva crux acu depicta, ut ita eodem semper modo extendi et plicari, et Hostia eodem semper loco deponi possit. Caveatur tamen, ne e superficie emineat.

(4) Rit. celebr. Mis. I, 1.

(5) S. R. C. 19 Ian. 1692, ad 2, n. 1866. — Corporale retineri nequit extensum super Altare toto tempore quo celebrantur Missae; nec convenit corporale extra bursam deferre (S. R. C. 13 Sept. 1704, n. 2146).

ab alio habente facultatem (1), sed cum formula praescripta in Missali vel Rituali Rom., et non cum formula extante in Pontificiali Rom. (2). — Palla Calicis separatim a Corporali benedici potest; sed sive plures Pallae absque vel simul cum uno Corporali essent benedicendae, sive vice versa, formula recitanda est in numero singulari (3). — Purificatoria non benedicuntur (4); nec *velum* et *bursa* benedici debent; congruit tamen ut simul cum aliis paramentis benedicantur (5).

33. *Cingulum* in Missa congruentius sit ex lino quam ex serico (6); potest esse ex lana (7), et coloris paramentorum (8).

34. Quoad materiam ex qua conficienda sunt *Manipulus, Stola* et *Casula,* Rubricae dumtaxat praescribunt, ut sint « *integra, et decenter munda ac pulchra* » (9). Ex Decretis vero S. R. C. satis constat dictas vestes esse conficiendas ex panno pretioso, ut est pannus *sericus, argenteus* vel *aureus,* idque saltem *ab exteriori parte.* Imo non vetatur, quominus alia materia, puta gossypium seu lana cum serico coniungatur, dummodo materia principalior, quae exterius patet, sit serica, argentea vel aurea (10); item eiusmodi planetae ornari possunt imaginibus, frondibus floribusque, sive acu sive penicillo depictis (11). Nullo modo fieri possunt ex mero lino, gossypio vel lana (12).

(1) Rit. celebr. Mis. I, 1 et *De defect.* X, 1.

(2) S. R. C. 4 Sept. 1880 ad 2, n. 3524.

(3) Decr. cit. ad 3.

(4) S. R. C. 7 Sept. 1816 ad 12, n. 2572. — Purificatorium, ut a manutergio secernatur, in medio parvam Crucem acu pictam habeat.

(5) Ita AA. passim.

(6) S. R. C. 22 Ian. 1701 ad 7, n. 2067.

(7) S. R. C. 23 Dec. 1862, n. 3118.

(8) S. R. C. 8 Iunii 1709 ad 3, n. 2194.

(9) Rit. celebr. Mis. I, 2.

(10) S. R. C. 28 April. 1866, n. 3145; 5 Dec. 1868, ad 4, n. 3191, et 20 Nov. 1885 ad 2 et 3, n. 3646.

(11) S. R. C. 2 Iunii 1883 ad 15, n. 3576, et 30 Mart. 1885, n. 3628.

(12) S. R. C. 23 Sept. 1837, dub. 8 ad 3, n. 2769, et Monit.

35. De Superpelliceis, rochettis ac manutergiis S. Rit. Congregatio nihil statuit quoad materiam; sint tamen alba, munda et nitida, sicut et cetera linteamina sacra. — Amictus, Alba, Cingulum (4), Manipulus, Stola et Casula de praecepto benedicenda sunt (5). Circa benedictionem Pluvialis, Veli humeralis, Dalmaticae, Tunicellae, Rocchetti et Superpellicei, congruenter, quamvis non necessario benedicuntur. — Adverte quod si ex vestibus antea sacratis nova aliqua perficiatur alterius generis, v. g. si plures amictus ex alba conficiantur, pro iis nova benedictio requiratur (6).

36. *Manipulus* adhibetur sive a Sacerdote, sive a Diacono et Subdiacono tantum in celebratione Missae; ideoque si aliqua alia functio peragenda sit vel ante vel post Missam immediate, manipulus vel non assumitur vel deponitur (7). Exceptio habetur pro Dominica Palmarum, qua ante Benedictionem ramorum et post aspersionem aquae Diaconus et Subdiaconus induunt Manipulum, eo quod respective cantare debeant Epistolam et Evangelium (1). Similiter pro Paschali Praeconio.

(Continuabitur).

S. R. C. 28 Iulii 1881; 7 Dec. 1888 ad 16, *Ord. Capuc.*, n. 3697. Attenta ecclesiarum paupertate, toleratur illud panni genus, quod ex parte externa ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum ex gossypio, lana vel lino (S. R. C. 23 Mart. 1882, n. 3543, et 21 April. 1893, n. 3796).

(4) Sunt AA. qui tenent Cingulum non esse de praecepto benedicendum; sed sententia opposita ut magis probabilis proponitur a Bened. XIV, *Instit. Eccl.*, XXI, 12.

(5) Rit. celebr. Mis. I, 2, et *De defect.* X, 1.

(6) Bened. XIV, *Inst. Eccl.*, XXI, n. 12.

(7) Cf. Rubr. gen. Missal., XIX, 4.

(1) AA. passim.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

7. Quando Festa universalis Ecclesiae, quae cum Octava celebrantur, ob impedimentum perpetuum in die proxime sequenti, iuxta Rubricas, sint reponenda, non ideo reponitur eorum dies octava, quae in universa Ecclesia die sua recoli debet (9).

Idem dicendum de die octava alicuius Festi Dioecesis vel Ordinis, quod in aliqua particulari Ecclesia alia die sit reponendum (10).

Idem servetur de die octava cuiuslibet Festi, quod, ut supra, transferri debeat ob impedimentum accidentale (11).

(9) Rubrica breviarii (tit. X, 1) praescribit: quando festum habens octavam transfertur, non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat octava, si festum non fuisset translatum. Quod si festum per totam octavam transferri contingat, illo anno celebretur sine octava, nisi Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.

Ut clare patet ex verbis huiusce rubricae: *illo anno celebretur sine octava,* hic agitur de impedimento accidentali, non vero de perpetuo. Nihilominus nonnulli scriptores hunc locum rubricarum interpretabantur etiam de impedimento perpetuo. A Carpo ex. gr. (P. 2, n. 19) et De Herdt (P. 4,

n. 33) docent: « si festum sive accidentaliter, sive perpetuo transferatur post totam suam octavam... celebratur sine octava, nisi speciali privilegio aliter fieri liceat ». Huic doctrinae non parvum pondus praestat decretum 16 sept. 1741, n. 4122 antiquae collectionis, quod tamen expunctum fuit in novissima; imo alia decreta postea data fuere, quae contradicunt sententiae A Carpo et De Herdt. In decreto 12 iul. 1889, n. 3714 ad 3, S. R. C. edixit: quod in locis ubi *perpetuo* festum titularis s. Christophori M. affixum est diei 27 iulii, eo quod dies eius natalitia impediatur a s. Iacobo Apostolo patrono nationis, octava eiusdem s. Christophori similiter affigenda est non die 1 sed 3 augusti; ergo, cum *perpetuo* reponitur festum habens octavam, dies etiam octava celebratur octo post dies, scilicet octava quoque reponitur.

In alio decreto 20 iun. 1899, n. 4034, ad dubium 2: « *Si accidat ut Titulus Ecclesiae vel loci Patronus transferri debeant ad aliam diem, quaeritur: Num respective octavam servabunt?* Respondit: *Affirmative, si agatur de translatione perpetua, secus negative*. Nil clarius, ideoque non solum Titulus ecclesiae, quasi ex privilegio, de quo loquitur rubrica paulo infra, sed et Patronus loci, licet celebrentur *perpetuo*, extra eorum sedem, in alia die assignata, ius retinent ad octavam perfectam.

Hinc, et imo magis, Dedicatio etiam Ecclesiae hoc idem ius habebit; eadem ratio enim militat in casu.

Et sane; si verba citatae rubricae quae dicit: *Octava numquam transfertur*, intelligi deberent, non de sola translatione *accidentali*, sed de *perpetua* quoque repositione, hoc grave inconveniens obveniret, quod Titulus ecclesiae, et loci Patronus, in casu perpetuo impedimenti, nunquam gauderent iure suae octavae, quod a rubrica eis tribuitur. Iustissime ergo S. R. C. quaestionem diremit, et iuribus horum festorum, quae tanta solemnitate celebrantur, opportune providit.

Cum autem verba rubricae breviarii intelligenda sint

de translatione accidentali tantum, videndum est nobis quid sibi velit clausula adiecta: *nisi titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat.* Doctores communiter aiunt, hic agi de privilegio transferendi octavam, ex. gr. concesso Patribus Minimis pro S. Francisco a Paula (Cf. Guyetum VI, 12. q. 5), et Monachis s. Benedicti pro eorum fundatore (Meratus sect. 3, c. 8). Cum enim occurrant diebus 21 martii et 2 aprilis, frequentissime et fere semper impediuntur, ideoque ad nihilum valeret privilegium octavae, nisi et translatio huiusmodi eis indulgeretur. Videtur ergo quod rubrica breviarii intelligenda sit de privilegio concesso festis per accidens translatis (1).

Hac de quaestione agentes in nostra Expositione rubricarum (Vol. 2, p. 54) ita conclusimus:

« Hoc fortasse, usque modo, nullus attigit ex scriptoribus; neque Gavantus, Guyetus, Meratus, Cavalerius, De Herdt, A Carpo, ut de minoribus sileamus; nemo enim suspicatus est hanc rubricam: nisi *Titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat,* accipiendam esse quasi diceret: si festum habens octavam aliquando a maiori officio impediatur, *illo anno celebratur sine octava,* nisi alicubi *ex privilegio* aliter fieri concessum sit.

« Hic est verus et unicus sensus huius loci rubricarum, nec alius esse potest, si contextus diligenter perpendatur. Siquidem, sub hac rubrica non cadit impedimentum *perpetuum,* ut diximus, sed tantum *accidentale,* dicit enim *illo anno* celebratur sine octava; et sane, quia in casu impedimenti perpetui Titulus ecclesiae, ex alia rubrica *(Tit. VI, n. 1),* quacunque die celebretur, natalitia vel assignata, ius habet ad octavam, quod illi non aufert haec rubrica, neque implicite, neque explicite.

« Parma, ex. gr. Patronum suum principalem colit a saeculis s. Hilarium ep. et doctorem, cuius natalis dies est 13 ianuarii. Antiquitus, teste P. Bordono *(De Episcopis S. Parmensis ecclesiae, p. 12),* ea die sua celebrabatur; at, post breviarii reformationem a s. Pio v peractam, cum

dies octava Epiphaniae, in qua recolitur Baptisma Domini nostri, tali solemnitate ubique celebranda sit, ut excludat quoque duplicia primae classis, in crastino cum feriatione agitur, ac proinde octava eius die 21. Quod factum est, non *ex privilegio,* sed ex natura rei in obsequium rubricae, quae statuit festum Patroni principalis cum octava celebrari.

« Item Placentiae, cuius Patronus s. Antoninus celebratur die 4 iulii, in ecclesia s. Uldarico dicata, cuius natale eadem die occurrit, festum Titularis a saeculis die 5 recolitur, cum eius octava die 12.

« Quapropter, procul dubio nobis videtur, quod non tantum Titularis ecclesiae, vel Dedicatio, vel loci Patronus, sed quodcumque aliud festum, licet secundae classis, habens octavam, et *perpetuo* sua die impeditum, celebrari debet in die sibi assignata, cum integra sua octava.

« Quod hic dicimus ratiocinando, liquido profluit ex spiritu tam rubricarum, quam citati S. R. C. decreti n. 4034; alioquin, quid valeret, ut diximus, ius ad octavam, si in facto numquam eo uti posset festum perpetuo sua die impeditum? ».

(*Continuabitur*).

Appendix
ad Caeremoniale Parochorum
cum parochus, speciali occasione, copiam sacrorum ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redactas) aliquando peragere cupit.

(Continuatio, v. num. 7 currentis anni, pagg. 445-447).

5. Sic stantes, omnes reverentiam faciunt imagini; ministri etiam celebranti, qui aliqualiter eos resalutat aperto adhuc capite. Deinde imponunt biretum, et iunctis manibus ad altare procedunt, incessu gravi oculisque ad terram demissis, hoc ordine: thuriferarius, iunctis manibus (nisi portet thuribulum), acolythi candelabra ferentes, caeremoniarius, subdiaconus, diaconus, dehinc celebrans.
6. In exitu e sacristia, capite detecto, aquam benedictam sumunt (nisi facienda sit aspersio solemnis); thuriferarius sumit aquam et se signat (nisi portet thuribulum), caeremoniarius accipit porrigitque eam subdiacono, subdiaconus diacono, iste autem celebranti; sese signant cruce, et rursus, cooperto capite, iter prosequuntur.
7. Cum ad altare pervenerint, se sistunt in linea recta ante infimum gradum, thuriferarius extremus in cornu epistolae, et ad huius sinistram primus acolythus, secundus in cornu evangelii, a sinistris subdiaconi, celebrans in medio inter ministros sacros, et caeremoniarius ubi commode potest. Ob angustiam autem presbyterii, primus acolythus se constituit post diaconum, et alter post subdiaconum, medius thuriferarius.
8. Ministri, deposito cum caeremoniis consuetis bireto, altari cum aliis respectivam faciunt reverentiam. Acolythi mox deferunt candelabra ad credentiam, eaque super eiusdem angulis posterioribus deponunt, et tempore confessionis utrumque genu flectunt ante ipsam, facie ad altare conversi. Caeremoniarius deponit interim super scamnum bireta; et thuriferarius se sistit medius inter acolythos.

9. Celebrans incipit missam, et alternatim cum ministris recitat ps. *Iudica, Confiteor*, etc., observans omnia quae pro missa simpliciter cantata dicta sunt; excepto *Confiteor*, in quo dicens verba *vobis, fratres – vos, fratres*, absque motu pedum et erectione corporis et capitis, aliquantulum se convertit prius ad diaconum et deinde ad subdiaconum, quod similiter facit, sed cum parva tantum capitis inclinatione, dum postea dicit *Misereatur vestri* (Cf. Caerem. Episc. l. 2. c. 8, n. 31).

10. Ministri vero respondentes *Misereatur tui*, paululum se inclinant ad celebrantem usque ad finem; dum autem dicunt *Confiteor*, profunde se inclinant altari; et ad verba *tibi, Pater*, et *te, Pater*, versus celebrantem, sed absque motu pedum et erectione corporis et capitis. Cum dicunt *mea culpa* etc. ter, omnibus digitis dexterae manus, sine strepitu se percutiunt.

11. Ad versiculos *Deus, tu conversus*, usque ad *Oremus* inclusive, tum celebrans, tum ministri, tum clerici, qui etiam conformari debent, mediocriter se inclinant.

12. Dicto a celebrante *Oremus*, ipse et ministri, non curvi sed omnino erecti, ascendunt ad medium altaris; diaconus manu celebranti propriore, nempe sinistra, et subdiaconus dextera, anteriorem albae partem paululum elevantes, alia autem manu cubitum eiusdem sustinentes, quod semper in similibus casibus faciunt. Statim ac ministri altare ascendunt, clerici inservientes, ac clerus in choro, si adsit, surgunt.

13. Celebrans, absoluta oratione *Oramus te, Domine* etc., se paululum convertit ad cornu epistolae. Caeremoniarius a thuriferario accipit naviculam, quam tradit diacono, qui paululum se retrahens, locum thuriferario praestet. Diaconus navicula sinistra ad nodum confestim prehensa, cum apertura ad celebrantem conversa, dexteraeque pollice et indice cochlear super naviculae oram prominens tenendo, parum erga celebrantem inclinatus dicit *Benedicite, Pater reverende*, eique naviculam ministrat, manubrium cochlearis et dexteram celebrantis deosculando.

14. Imposito thure et benedicto (Cf. Caer. Paroch. tom. 1, nn. 89, 90), diaconus iterum recipit cochlear cum osculis consuetis, et naviculam thuriferario reddit; simul ab eodem accipit thuribulum clausum, dextera ad catenularum summitatem et sinistra ad catenulas inferiores, prope operculum, et cum osculis celebranti porrigit. Subdiaconus interim a sinistris celebrantis manibus iunctis et versus ad cornu epistolae permanet.

15. Ministri ante et post incensationem crucis, debitam reverentiam faciunt (quo tempore caeremoniarius librum ab altari removet), et infra incensationem casulam celebrantis hinc inde aequaliter elevantes, passu uniformi et naturali, non autem laterali cum eo incedunt.

16. Incensato altari, iuxta regulas tom. I tradita, pag. 123 et seqq., diaconus et subdiaconus casulam celebrantis dimittunt, et per gradus laterales in planum descendunt, subdiaconus ad sinistram diaconi, et ambo inter caeremoniarium et thuriferarium.

17. Stans diaconus directe ante celebrantem, manum dexteram eius osculatur, dexteram suam sub illius dexteram ponendo, ac sinistra summitatem catenularum a sinistra itidem celebrantis prehendens, osculatur etiam thuribuli manubrium. Mox diaconus ter duplici ductu celebrantem incensat, profunda capitis inclinatione facta ante et post, quam reverentiam pariter et supradicti ministri praestant.

18. Thurificato celebrante, thuribulum diaconus thuriferario tradit (qui facta genuflexione ad crucem altaris, pergit ad sacristiam), et ascendit in lateralem gradum prope suppedaneum ad dexteram celebrantis, eique indicat introitum missae; subdiaconus vero a dexteris diaconi consistit, et ambo cum celebrante se signant et caput inclinant, ibidem cum ipso alternando *Kyrie* recitant.

19. Dum chorus ultimum *Kyrie* cantat, ministri ad nutum caeremoniarii (prope angulum cornu epistolae stantis), simul cum celebrante ad medium altaris transeunt, ubi sistunt unus post alium; et intonato a celebrante *Gloria in excelsis*, ad vocem *Deo*, simul caput inclinant, et suppedaneum hinc inde ad latera celebrantis conscendunt, cum quo hymnum recitant.

20. Hymno angelico recitato, si sedendum sit, caeremoniarius (qui stare debet dum munus actualiter exercet, secus sedere potest iuxta decreta 279, 350, 2071, 2578[8]), invitat ministros ut ad sedile pergant, qui altari facta debita reverentia, per breviorem ad scamnum accedunt, diaconus ad dexteram et subdiaconus ad sinistram relate ad celebrantem sedentem, cui partem posteriorem casulae elevant.

21. Postquam diaconus celebranti iam sedenti biretum cum osculis porrexit, ministri acceptis suis biretis, simul celebranti caput inclinant, seque ad invicem inclinatione salutant, sedent (elevantibus acolythis dalmaticis super dorsuali scamni), et caput

operiunt (1). Acolythi sedere quoque possunt in humili aliquo scamno prope credentiam vel cancellos presbyterii, prout locus sinit.

22. Circa finem cantus, ad nutum caeremoniarii, ministri prius caput detegunt, dein surgunt (diaconus biretum celebrantis cum osculis recipit), et per viam longiorem ad altare accedunt (2), debitam reverentiam efficiunt cruci, et ministri fimbrias anteriores albae celebrantis, donec suppedaneum conscenderit, sustollunt. Mox autem post ipsum se retrahunt, diaconus in secundo gradu et subdiaconus in plano in linea recta a tergo celebrantis.

23. Celebrans cantat *Dominus vobiscum*, et ministri post eum eodemque ordine ad cornu epistolae incedentes, ibique, dum cantat orationes, consistunt et cum eo caput inclinant. Caemoniarius interim ostendit celebranti orationes, vertit folia, si opus sit, et cum eo se inclinat. Thuriferarius autem et acolythi stant apud credentiam.

24. Circa finem ultimae orationis, subdiaconus, ibidem, vertens se dextrorsum ad secundum acolythum, ambabus manibus librum epistolarum ad angulos inferiores accipit, eius apertura ad sinistram versa. Ad conclusionis verba *Iesum Christum* ultimae orationis, subdiaconus cum acolytho, a quo comitatur, caput cruci inclinat (quo tempore diaconus ad dexteram celebrantis accedit, ubi remanet usque dum celebrans incipit evangelium), et ad medium altaris accedens, super gradum genuflectit, et rursum post celebrantem reversus, cantat epistolam; qua finita claudit librum, quem ante deferens, iterum ad medium redit, genuflectit super gradum, et accedit per planum ad angulum epistolae, ubi genu flexo in superiori gradu, celebrantis manum libro impositam osculatur, et capite inclinato accipit huius benedictionem. Subdiaconus tunc erectus, ibidem librum tradit acolytho cum consuetis inclinationibus, conscendit suppedaneum, et missale cum legili ad latus evangelii defert, in medio super infimum gradum genuflexionem faciens cum thuriferario, qui pergit in sacrarium ad accipiendum thuribulum, et rediens in presbyterium, expectat in cornu epistolae, donec celebrans, evangelio lecto, cum acolythis ad medium altaris revertatur.

(1) Si non esset sedendum, ministri sacri, recitato hymno, in eadem positione ad latere celebrantis expectabunt, donec cantus a choro persolvatur, et tantum circa finem.

(2) Ubi chorus est ante altare, caeremoniarius eosdem monet ut quoties ex scamno ante medium altaris accedunt, priusquam genuflectunt, chorales utrinque salutent.

25. Benedictione subdiacono impertita, celebrans accedit ad medium altaris, recitat de more *Munda cor meum,* et pergit ad cornu evangelii, ubi sacrum textum legit, sed librum in fine non osculatur, nec dicit *Per evangelica dicta* etc.

26. Diaconus, adhuc in cornu epistolae consistens, signat se, quum hoc facit celebrans, et si in initio evangelii nominetur *Iesus,* cruci caput inclinat; tum descendit in planum per gradus laterales, et a primo acolytho. a quo comitatur, librum evangeliorum accipit eodem modo quo dictum est de subdiacono. Illum tenens utraque manu per partem inferiorem ante pectus elevatum cum apertura ad suam sinistram conversa, procedit per planum ad medium altaris, super gradum genuflectit, ascendit suppedaneum (quo tempore acolythus diacono albam elevat, ac facta in plano genuflexione, redit ad abacum, thuriferarius vero pergit in sacristiam ad accipiendum thuribulum), et librum in medio altari, ibique persistit donec celebrans evangelium legerit.

27. Celebrans, lecto evangelio, accedit cum ministris ad medium altaris, ubi ad nutum caeremoniarii imponit incensum, uti dictum est supra, quo facto, faciem vertit ad altare, ibique iunctis manibus persistit; subdiaconus descendit in planum. et diaconus, genuflexus in extremo suppedaneo, mediocriter inclinatus dicit *Munda cor meum* etc. (quo tempore thuriferarius et acolythi cum candelabris in medio accedunt). Sumpto libro, genuflectit in suppedaneo, versus celebrantem, dextrorsus habens altare, dicit: *Iube, Domne, benedicere* (ad quem celebrans conversus benedictionem alta voce impertit proferens: *Dominus sit in corde tuo et labiis tuis, ut digne et competenter annunties evangelium suum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen*); post benedictionem diaconus osculatur manum celebrantis, surgit, et ipso inclinato, non autem cruce, descendit in planum.

(*Continuabitur*).

BIBLIOGRAPHIA.

Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie publié par le R. P. dom Ferdinand Cabrol.

Praeclari huius operis duo alii fasciculi in lucem prodierunt sane precedentibus digni; immo, si ad seduliorum auctorum scripta spectares, facile accuratiora plenoriaque prioribus illa invenires. Fasciculus XXIX continet continuationem articuli *Chrisme*, deinde sequuntur ista: *Lettre tombée du ciel* — *Chronique Alexandrine* (Leclercq) cui pulcherrima colorataque tabula adnexa est — *Chronique Pascale* (idem) — *Chronographe de 354* (idem) — *Chrysanthe et Daria (Saints)* (Paul Allardo), — *Chypre* (Leclercq), — *Ciampini* (idem), — *Ciborium* (idem), — *Ciel* (idem), — *Cienges* (Cabrol), — *Cigogne* (Leclercq), — *Cilice* (idem), — *Cimetière* (idem), — *Cinobre* (idem), — *Cippe* (idem), — *Circuitor* (idem), — *Circoncellions* (F. Martroye), — *Circoncision* (Leclercq), — *Circoncision (Fête de la)* (Cabrol), — *Ciseau, Ciseaux* (Leclercq), — *Ciste* (idem), — *Citations bibliques dans l'épigraphie grecque* (L. Ialabert), — *Citations bibliques dans l'épigraphie latine* (Leclercq), — *Citeaux (Liturgie de l'Ordre de)* (Trilhe).

Articulus hic ultimus in fasciculo XXX finitur, qui praeterea haec continet:

Civaux (Leclercq), — *Cividale en Frioul* (idem), — *Civita-Vecchia* (idem), — *Clathri* (idem), — *Clavarius* (idem), — *Clavus* (idem), — *Clef de Saint Méliton* (E. Renoir), — *Clefs. Clefs de Saint Pierre* (Leclercq), — *Clemens (Titus Flavius)* (idem), — *Clément (Saint)* (S. Salaville), — *Clément (Basilique de Saint)* (Leclercq), — *Clerc* (idem), — *Clermont* (idem), — *Cliniques* (idem), — *Clippiacum* (idem), — *Clitumne* (idem), — *Clivus Cucumeris (Cimitière du)* (idem), — *Cloche, Clochette* (idem), — *Clocher* (idem), — *Clochettes Celtiques* (L. Gougaud), — *Cloître* (Leclercq), — *Clonmacnois* (L. Gougaud), — *Clôture monastique* (E. Renoir), — *Clou* (Leclercq), — *Clovis (Baptême et sépulture de)* (idem), — *Cluny (Manuscrits liturgiques de)* (A. Wilmart), — *Coadimpteur* (Leclercq), — *Cocher du Cirque* (idem), — *Cochet (J.-B.-D.)* (idem), — *Cochon de Saint Antoine* (idem), — *Colatorium* ou *Colum* (S. Salaville), — *Colique* (Leclercq), — *Collegia.*

Ultimus articulus: *Collegia,* non finitur. Articulorum nomina operis momentum exhibent, cum scimus quanta auctores sedulitate in opus redigendum incumbant; ac licet aliquando non omnibus probabuntur auctorum sententiae, opus sane commendandum est, nec in ulla, uti alias iam diximus, bibliotheca desiderari deberet.

P. Syxtus Scaglia, O. C. R.

Recensione in lucem iam prodiit: **Celebrantis Socius** ad Missam secundum et extra Ordinem Officii rite celebrandam, iuxta novam Rubricarum reformationem Bullae « *Divino afflatu* » et recentissima S. R. C. Decreta, cui accedunt Preces ante et post Missam atque Benedictiones maxime usurpatae, cura et studio P. Victorii ab Appeltern, Ord. FF. Min. Capucdinorum, Prov. Belgicae Ex Provincialis, et Iuris Canonici ac S. Liturgiae Lectoris emeriti. Pagin. 424 in-32. Lib. 2,50.

Auctor huius opusculi litteris commendatitiis opus non habet. Ipse enim ab omnibus scientiae liturgicae cultoribus satis est cognitus et aestimatus, non solum per praecedentia sua opera de re liturgica, sed praesertim quum ab aliquo tempore uti Collaborator Ephemeridibus Liturgicis sit annexus. Revera, quis Liturgista magno cum gaudio et quadam satisfactione non legerit quolibet mense illos articulos quos auctor huius opusculi in Ephemeridibus Liturgicis de diversis rebus ad S. Liturgiam spectantibus evulgavit?

Praesens autem opusculum, cui titulus **Celebrantis socius,** est in veritate celebrantis **socius** necessarius et perutilis, de quo censores Ordinis iure merito dicunt: est opusculum quod « plurimo cum gaudio attenti perlegimus, non tantum propter eminentem et tutam, quae in eo continetur, doctrinam, sed etiam quoniam interea primitias affert post multa et recentiora a SS. Rituum Congregatione evulgata Decreta ac reformationem Breviarii et Missalis a SS. D. N. Pio Pp. X feliciter et laudabiliter peractam. Unde illud, ceteroquin utrique Clero utilissimum ad usum quotidianum, in casibus saepius de SS. Missae Sacrificio occurrentibus, dignissimum iudicavimus ut typis mandaretur ».

Ut lectores melius iudicare valeant de praesenti **Celebrantis socio,** materiam, quam auctor in eo pertractat paucis verbis indicare opportunum iudico. Complectitur tres partes: in prima parte *liturgica,* spectatis Rubricis Missalis Romani cum suis ultimis reformationibus, Decretis etiam novissimis S. R. C. et Rubricistis optimae notae, traduntur regulae de Missa tam *iuxta* quam *extra* ordinem Officii celebranda. Haec pars concluditur appendice de Exequiis et Absolutione ad tumulum et de Precibus iussu SS. D. N. Leonis XIII post Missam privatam recitandis. — In *secunda* parte *devotionali* Preces pro sacerdote celebrante ad praeparationem et gratiarum actionem exhibentur ea forma, quae a Leone Pp. XIII (fel. rec.) SS. Indulgentiis ditatae sunt. — In *tertia* tandem parte, *benedictionali* nuncupata, praebentur praecipuae formulae Benedictionum, quae usu maxime usurpantur. G. B.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Franciscus Faberj, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

Augustus Zucconi, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

PIO · X

X · PONTIFICATUS · ANNUM · EXPLENTI
EPHEMERIDUM · LITURG. SCRIPTORES
VOTA
INCOLUMITATIS · NUNCUPANT
VERTENTE · SAEC. XVI · A · PACE · ECCL. DATA

EPIGRAMMA

Qui Pius es decimus, decimum feliciter annum
Exples, perfunctus munere Pontificis.
Nomen sorte geris, Christi monogrammate eodem
Signatum: duce te, candida pax redeat!

(B. VERGHETTI)

Ad multos annos, beatissime Pater, ad multos annos!

Fideles omnes per universum Orbem diffusi vehementer gratulantur, quod SS. D. N. PIUS Papa X decimum sui pontificatus annum superarit. Nonnulli enim, in fortuitis casibus nimis insistentes, eo quod ipse, antequam Petri cathedram conscenderet, in singulis officiis, quae exercuit, uti Vice-parochus, uti Parochus, uti Canonicus Tarvisinus, uti Episcopus Mantuanus et uti Venetiarum Cardinalis Patriarcha, nonum annum tantum attigerat, id evenire acriter dubitabant etiam in Supremo Pontificatu.

Est autem notandum, quod ex 259 Pontificibus, qui Ecclesiam Christi rexerunt, solummodo 78 decimum annum superarunt.

Duo trigesimum annum supergressi sunt (S. Petrus a. 34, m. 6, et Pius IX a. 31, m. 7, d. 22); Vigesimum quintum annum solus Leo XIII superavit; vigesimum quartum Pius VI, vigesimum tertium Hadrianus I et Pius VII, vigesimum primum Alexander III, Silvester I et Leo I; vigesimum Urbanus VIII, Leo III et Clemens XI, ideoque duodecim tantum vigesimum annum supergressi sunt. Sequuntur postea sex Pontifices cum annis 18; unus cum 17; unus pariter cum 16; decem cum 15; septem cum 14; sex cum 13; novem cum 12; undecim cum 11; et quindecim cum 10, inter quos et SS. D. N. Pius Papa X.

Reliqui Pontifices qui annum decimum non attigerunt, sunt ergo 181, ex quibus viginti et unus secundum annum pontificatus non compleverunt, triginta duo, per aliquot menses sedem Petri obtinuerc, et undecim solummodo paucos per dies. Ex his Stephanus II (752) duobus diebus regnavit; et Vicedominus placentinus, die 9 septembris 1276 electus, eodem die mortuus est, ita ut, liceat in serie Pontificum non recenseatur, Viterbii tamen eius sepulcrum cum papalibus insigniis et inscriptione habetur.

Si autem dividantur anni aevi christiani, per numerum Pontificum, computando tamen tempus, quo sedes apostolica vacavit (quod, iuxta Barbier de Montault, est annorum 67, mensium 5 et dierum 29), habetur medietas temporis, quo Pontifices ipsi regnarunt, videlicet annorum 6, mensium 11, et dierum quasi 2.

Vivas ergo, amatissime Pater noster, plurimos adhuc per annos, ut magna opera, quae dictante Numine, in bonum Ecclesiae laudabiliter suscepisti, ad felicem exitum perducta ipsemet conspicias. Sicut enim, opitulante Deipara, non levem morbum nuper superasti, ita cuncti filii tui addictissimi tibi, vota faciunt, ut prospera semper pristina sanitate obtenta, tuorum decessorum Pii IX et Leonis XIII annos videre possis.

Ad multos annos, Pater beatissime! ad multos annos!

P. P.

Quaestiones Liturgicae.

MUTATIONES IN BREVIARIO
AD NORMAM CONSTITUTIONIS "DIVINO AFFLATU„

Commentarium

(Cont. vide N. pr., pag. 461).

Notandum tamen est, quod huiusmodi Rubrica valet tantummodo pro Festis duplicibus I et II classis, nec non pro festis Domini, licet sint sub ritu duplici maiori, quae diebus Dominicis sint assignata; de festis tum b. Mariae V., tum Sanctorum vel Angelorum, eiusdem ritus duplicis maioris, nil dicit Rubrica, eo quod ex novissimo iure liturgico, non amplius admittuntur in Dominica, neque accidentaliter, neque perpetuo occurrentia.

Item in hac Rubrica non comprehenduntur festa quibusdam feriis affixa, cuiuscumque sint ritus; non urget enim pro ipsis ratio Feriationis, ut supra diximus.

Porro lex ista opportunissima, in Festis, quae in Dominicis tamquam in sua sede celebrantur, titulum recognoscit praeferentiae, etiam supra festa eiusdem ritus nobiliora, et non est nisi applicatio illius aurei principii, quod admiserat S. R. C. in suo decreto d. d. 18 octobris 1818, n. 2591. Decretum istud, licet contrarium sit dispositioni alius decreti 21 februarii 1896, n. 3885, et Rubricae anno insequenti 1897 emendatae, quae praeferentiam concedebant *festo fixo prae mobili,* nihilominus in nova decretorum collectione servatum fuit, non fortuito, sed re mature perpensa; nam, sicut expunxit S. R. C. ex eo dubium 14, si voluisset in diversam ire sententiam, et dubia 2 et 5 expunxisset; quod non fecit, licet

Commissio Liturgica, tunc temporis proposuisset dictam praeferentiam *festi fixi prae mobili.*

In citato itaque decreto n. 2591, agebatur de festis Patronorum iuxta indultum Pii papae vij, in Dominica sequenti celebrandis: et de eo sic scripsimus in nostra Rubricarum Expositione (nota 410):

« Dubio 2, exquirebatur: *An Festa Patronorum principalium haberi debeant tamquam Festa mobilia?* Cui S. R. C. respondit: *ad 2 negative; cum huiusmodi Festa certis Dominicis infra eorumdem octavam sint perpetuo assignata, et nonnisi per accidens transferenda erunt.* Item dubio 5 exquirebatur; *an simul cum Festo Patroni principalis in diem Dominicam translato transferantur simul omnes solemnitates, concessiones, privilegia etc.* et S. R. C. respondit: *Ad 5. Affirmative* (1); *quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset in die propria* ».

« In volumine IV Collectionis novissimae Decretorum *(pag. 184)* habentur cl. Gardellini adnotationes in hoc Decretum, et ad dubium 2 legitur: Festa perpetuo affixa certae Dominicae, adnumeranda non sunt Festis *mobilibus* nisi lato modo, quia scilicet non semper eodem die mensis celebrantur: habent tamen *certam sedem* a qua nonnisi accidentaliter queunt amoveri, vere *mobilia* censentur et sunt illa, quae pendent a Cyclo Paschali... ».

« Iuxta ergo S. R. Congregationis mentem, luculentissime ab eius assessore Gardellinio declaratam, Festa aliquibus

---

(1) Advertant lectores nostri; S. R. C. ut plurimum, imo quasi semper, iuxta stylum Romanae Curiae, responsiones suas dat per sola verba: *Affirmative, negative, serventur Rubricae*, vel *dentur Decreta*. Hic vero ratio quoque donatur responsionis. Et notandum est, quod tunc S. R. C. assessor erat clar. Gardellinius, qui summus fuit in re liturgica magister, et ipse primus collectionem edidit Decretorum, quibus etiam quamplurimas adnotationes valde pretiosas adiecit. Suo ergo tempore S. R. C. responsis saepe adiiciebat rationem eorumdem, quod quantum bene studiosis inserviat, omnes norunt.

Dominicis per annum adsignata, *non sunt mobilia* (ad 2 enim dubium praecitatum, an sint *mobilia* respondit: *negative*), ideoque omnibus iuribus gaudent, quibus fruuntur Festa *fixa,* hisce ex causis: 1. Quia iis Dominicis sunt *perpetuo assignata,* tanquam in sua sede, et nonnisi per accidens transferenda sunt; 2. Quia Dominica, in qua Festum erit perpetuo affixum, perinde habenda est ac si esset *dies propria* ».

Quibus duabus rationibus tertiam adiiciendam esse credimus, non minoris, imo procul dubio maioris, ponderis; quia huiusmodi Festa aliquibus Dominicis diebus adsignata, in iisdem Dominicis celebanda sunt, non tantum, quia occurrunt in *propria die,* sed quia occurrunt in *propria die feriata,* ut nimirum gaudeant feriatione, ut supra fusius explicavimus.

Itaque, sicut in occurrentia Festorum vere *mobilium,* quae pendent ex mobilitate Paschatis, ipsa praeferuntur Festis fixis, non tantum in paritate ritus, sed multoties etiam quando mobilia officia sunt inferioris ritus, ita et in casu nostro.

Hoc autem principium applicari nequibat aliis festis secundariis et minoris solemnitatis, quae usque ad annum 1812 aliquibus locis in Dominica celebrabantur, et supra modum multiplicata erant sensim sine sensu, uti ex. gr. Maternitas, Puritas, Patrocinium b. Mariae V. etc.

Attamen si huiusmodi festa minoris solemnitatis, bene considerantur, fateri debemus, ipsa concessa fuisse, non praecise, ut feriatione gauderent, nam ipsa cedere debebant cuicumque festo, quod esset primarium, licet inferioris nobilitatis; sed in solatium Cleri, qui, cum diebus Dominicis, ad multiplicia munera obeunda vocetur, loco officii dominicalis, quod longius erat, officium festi recitaret. Non semper enim ob devotionem erga beatissimam Virginem, vel Sanctos expetebant Episcopi et Capitula huiusmodi officia, sed praecipue (cur candide rem fateri non debemus?) ut onus divini Officii levius evaderet. Hoc aperte declaravit Capitulum Tudertinae Ecclesiae, quando postulavit a S. Sede plurima officia, calendario perpetuo addenda, uti legitur in decreto conces-

sionis 16 maii 1902, nimirum: « Etsi officia votiva, ad ecclesiam universalem spectantia, a Capitulo et Clero Tudertinae dioecesis legitime recepta fuerint, haud pauci in calendario perpetuo dies vacant, quibus de *Dominica vel feria* officium recitari saepe contingat, *nimio cum onere* praesertim parochorum et aliorum sacerdotum, qui sacramentum poenitentiae fidelibus debent ministrare ».

Dicendum est igitur, haec plurima officia, in Dominicis assignata, quae nonnullis in locis ita multiplicata fuerant, ut *omnes Dominicae* mensium iulii, augusti, septembris et octobris impeditae perpetuo erant, *in odium* officii dominicalis obtenta fuisse!!!

Itaque hodie, cum Divino Spiritu suadente, Ss. D. N. Pius X huiusmodi festa secundaria, quae Domini non sint, e Dominicis diebus expunxerit, manet opportunissima lex nova, qua festa Duplicia I et II classis et festa Domini perpetuo diebus Dominicis assignata, tamquam feriata censentur; ad quam novissimam dispositionem, circa Occurrentiae leges, sedulo animadvertere debent Calendariorum ordinatores.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum*. Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur, praeterquam de Dedicatione et Titulo Ecclesiae propriae et de loci Patrono principali ut supra, de loci Patrono secundario, de Titulari et Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis (15), de Sancto in Martyrologio vel in eius Appendice approbata descripto, cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui ad Ecclesiam, vel locum, vel personarum coetum specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis

istiusmodi proprium, ceteris paribus praefertur Festo universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, quae, sicut etiam Festa primaria Duplicia I classis universalis Ecclesiae, de quibus supra, uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto Sanctae Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt (16).

(15) In hac Rubrica aliquid mutari debuit, non quoad substantiam legis, sed quoad maiorem eius luciditatem; nam, cum in paragrapho 1 huius captis, adiecta fuerit clausula: « cauto semper quod Festa primaria I classis universalis Ecclesiae praeferuntur etc. », necessario, hoc loco, revocari debuit haec ipsa clausula. Ceterum, tamquam Propria festa haberi debent, hic dicitur: Dedicatio et Titulus Propriae Ecclesiae, ideoque et Cathedralis (vide notam 62 Commentarii in Bullam « Divino afflatu ») Titulus et sanctus Fundator Ordinis seu religionis aut Congregationis.

Cum autem festa Dedicationis et Tituli propriae ecclesiae, Patronus loci praecipuus, Titulus et sanctus Ordinis Fundator, constituant secundum ordinem duplicium I classis, ideoque cedere debeant Duplicibus I classis universae Ecclesiae primariis, quae primum ordinem efformant, praeferantur cuilibet festo I classis tertii ordinis, inter quae etiam festum Sacratissimi Cordis recensetur, pretium operis est, ut videamus quid sit agendum, quando duo festa huiusce secundi ordinis, simul occurrunt.

Ut res facilius intelligatur, sint exempla varia, quae saepe saepius aliquibus locis accidere possunt:

I. Dedicatio ecclesiae Cathedralis occurrit eodem die cum Dedicatione propriae Ecclesiae.

II. Dedicatio propriae ecclesiae, cum Titulo eiusdem, qui sit festum Domini.

III. Dedicatio propriae ecclesiae cum Titulo eiusdem, qui sit vel B. Maria, vel Sanctus quilibet.

IV. Dedicatio propriae Ecclesiae cum Patrono praecipuo loci.

V. Patronus loci praecipuus cum Titulo propriae Ecclesiae, sit iste aliquis Sanctus, vel mysterium Domini.

VI. Patronus loci cum feriatione, sed sine octava, uti apud Regulares, et Titulus vel Dedicatio Ecclesiae sine feriatione, sed cum octava.

VII. Festum cum feriatione actuali, et aliud Festum cum feriatione sublata.

Praemisso, tamquam principio, quod huiusmodi festa sunt eiusdem ritus, classis et ordinis, nempe pertinent omnia ad II ordinem duplicium I classis, in eorum simultanea occurrentia, applicari debent criteria, quae hoc loco Rubricarum traduntur. Igitur:

Ad I. Eodem die occurrunt Dedicatio Ecclesiae Cathedralis et Dedicatio Ecclesiae propriae; omnia in casu sunt revera aequalia, quoad ritum, classem et ordinem; itemque quoad rationem solemnitatis, et qualitatem primarii, et etiam quoad personalem Dignitatem.

Utri ergo danda praecedentia? Si utraque Dedicatio Ecclesiae tum Cathedralis tum propriae Ecclesiae, assignata non sint in die Dominica, tunc, cum omnia omnino sint paria, praeferri debet Dedicatio Propriae Ecclesiae, et Dedicatio Cathedralis in crastino celebranda iuxta Rubricas. Ratio est, quia inter duo officia propria, ceteris paribus, magis proprium praeferendum est, ad normam antiquae Rubricae (tit. XI, n. 2), et etiam novissimae, quae inter characteres praelationis, retinuit quoque *proprietatem;* ideoque, inter duo officia *Propria,* quod magis est proprium, praeferri debet.

Quod si una ex duabus Dedicationibus assignata sit in die Dominica celebranda, tunc paritas in omnibus non amplius habetur; et cum *Festa Dominicis diebus adsignata ad effectus huius Rubricae, feriata censeantur,* Dedicatio illius ex

duabus ecclesiis erit praeferenda, quae revera in Dominica perpetuo celebratur.

Ad II. Eodem die occurrunt, Dedicatio propriae Ecclesiae cum Titulo eiusdem, qui est aliquod mysterium Domini, ita ut utrumque festum eadem dignitate personali gaudeat. Si unum ex duobus festis, in Dominica die sit adsignatum, tunc illud erit praeferendum ut supra; sin vero, cum omnia sint paria, festum Titularis, nostro iudicio, esset praeferendum, sequentem ob rationem. Testantibus viris liturgicam rem apprime callentibus (Martène, Magani, Baumer, Duchesne, Cabrol) festum Dedicationis antiquitus cum festo Titularis confundebatur Adhuc hodie, in basilica Liberiana Urbis, et in Cathedrali S. Angeli in monte Gargano (1), Dedicatio ecclesiae celebratur cum Officio Titularis. Ergo aliqua ratio praelationis in huiusmodi antiqua consuetudine est adinvenienda.

Ad III. Eodem die occurrunt sive perpetuo, sive accidentaliter, Dedicatio propriae Ecclesiae cum Titulo eiusdem, qui sit vel B. Maria, vel Angelus, aut aliquis Sanctus. Procul dubio in casu non omnia sunt aequalia, nam Dedicatio est Festum Domini, ideoque nobilius ratione *dignitatis*.

Nisi ergo festum Titularis praeferendum sit, vel quia cum feriatione celebratum (ex. gr. Nativitas B. Mariae, S. Stephanus, S. Laurentius, vel aliquis Apostolus), vel quia in die Dominica adsignatum, procul dubio in casu Dedicatio praeferri debet festo Titularis. nisi ex antiqua

---

(1) Dum haec scribebamus, epistolam accepimus secretarii Archiepiscopi Lucensis, in qua requirebat, an sustineri possit consuetudo celebrandi dedicationem ecclesiae parochialis S. Michaelis Arch. loci Ischeti illius dioecesis, die 29 septembris, cum officio eiusdem Archangeli, quod a saeculis praestatur; nam illa ecclesia consecrata fuit ipsa die 29 septembris a Benedicto I episcopo Lucensi, anno 1123. Mos ergo confundendi festum Titularis cum dedicatione, si eadem die occurrant, usitatior est quam nonnulli putant.

consuetudine, ut supra diximus, Dedicatio Ecclesiae celebretur cum officio Titularis.

IV. Eodem die occurrunt sive perpetuo, sive accidentaliter Dedicatio Propriae Ecclesiae, vel Ecclesiae Cathedralis, cum Patrono loci. Res dubia non est; Patronus loci praecipuus habuit feriationem, ergo, sive antiquae interrogentur Rubricae, sive novissimae, ex hoc capite maioris solemnitatis, quam secum habet festum celebratum *cum feriatione etiam reducta vel sublata*, praeferri debet. Hoc autem dicendum est quoque in casu, quo Dedicatio adsignata esset in die Dominica celebranda; quia huiusmodi assignatio res est recenter inventa, ideoque quando inducta fuit, festum Patroni iam iure celebrabatur cum feriatione in sua propria die, quod mutari certe legislator non intendit.

V. Eodem die occurrunt, sive perpetuo, sive accidentaliter Patronus loci praecipuus, et Titulus propriae Ecclesiae vel Cathedralis. Etiam in hoc casu, dandum est idem responsum, ratione feriationis qua iure potitur festum Patroni, ut supra; licet Festum Titularis esset festum Domini, puta Transfiguratio, ut patet ex dictis.

Ad VI. Festum feriatum, procul dubio praeferri debet festo non feriato, licet hoc celebretur cum sequenti Octava. Ratio est, quia feriatio respicit forum et chorum; dum octava, in praesenti disciplina, non tangit nisi chorum; ideoque sicuti populus ad Ecclesiam accedit ad audiendam Missam in honorem sui coelestis Patroni, Missa eiusdem, et ideo etiam officium, est certo celebranda.

Ad VII. Ob eandem rationem, festum, quod celebratur adhuc cum feriatione, praeferri debet omnino, festo cui feriatio sublata fuerit. Hoc autem semper sub conditione, quod utrumque festum sit eiusdem ritus.

Attamen fatendum est, quod simultanea occurrentia duorum festorum quae sint propria, dari frequenter non potest, nisi quando aliquod ex ipsis in Dominica sit adsignatum; saepius vero occurrere possunt simultanee duae octavae propriae, ideoque diversi casus sunt hic discutiendi, nimirum:

I. Simul occurrunt dies infra octavam Transfigurationis, quae sit Titulus Ecclesiae Cathedralis, et dies infra Octavam S. Caietani Titularis ecclesiae propriae.

II. Item Octava Transfigurationis quae sit Titulus Ecclesiae Cathedralis, cum Octava S. Laurentii Titularis propriae Ecclesiae.

III. Item Octava S. Rosae Limanae Patronae Americae, cum Octava S. Ludovici regis Titularis Ecclesiae propriae.

IV. Item Octava S. Rosae Patronae ut supra, et Octava S. Ludovici regis Patroni Dioecesis.

V. Item Octava S. Alphonsi de Ligorio Ep. C. D. Titularis Ecclesiae Cathedralis, et Octava S. Caietani Titularis Ecclesiae propriae.

Eodem principio admisso ut supra, et pariter admissa lege, ex qua dies infra octavas diversas, naturam festi retinent, cum iuribus suis praeferentiae, casus propositos explanamus.

Ad I. Simul occurrunt dies infra octavam Transfigurationis Domini, Titularis ecclesiae Cathedralis, et S. Caietani Titularis Ecclesiae propriae. Cum in omnibus haec festa sint paria, non vero in dignitate personali, huiusmodi dignitas ut patet, sicut praefertur in occurrentia festorum, ita et in occurrentia dierum infra relativas Octavas.

Ad II. Simul occurrunt dies infra Octavam Transfigurationis Titularis ut supra Ecclesiae Cathedralis, et infra Octavam S. Laurentii Titularis Propriae Ecclesiae. Licet Transfiguratio sit festum dignius, attamen non est feriatum, sicut erat festum S. Laurentii; cum vero feriatio, etiam sublata, in ordine praelationis festorum, sit excellentior character, quam dignitas personalis, in casu agendum est officium diei infra Octavam S. Laurentii, cum commemoratione octavae Transfigurationis.

Ad III. Simul occurrunt dies infra octavam S. Rosae Limanae Patronae totius Americae, et infra Octavam S. Ludovici regis Titularis ecclesiae propriae. Cum S. Rosa uti Patrona, habuerit feriationem, praeferri debet, ut antea dictum est.

IV. Simul occurrunt dies infra octavam S. Rosae Patronae totius Americae, et infra octavam S. Ludovici regis. Patroni dioecesis. Utrumque festum cum feriatione recolebatur, ideoque omnia in casu sunt revera paria; quid ergo agendum? Redit ratio superius adducta circa *maiorem proprietatem;* S. Rosa Patrona est totius nationis, S. Ludovicus vero Patronus est propriae dioeceseos, clare patet quod arctiora sunt vincula sancti huius cum dioecesi, quam cum totius nationis patrona; ergo illius octava praeferenda.

V. Simul occurrunt dies infra Octavam S. Alphonsi de Ligorio Titularis Ecclesiae Cathedralis et infra Octavam S. Caietani Titularis Ecclesiae propriae. In hac quoque occurrentia habentur duae octavae, ex quibus una magis est propria; ergo fiat de die infra Octavam S. Caietani Titularis propriae Ecclesiae, cum commemoratione alterius Octavae.

(16) ... *de Sancto in Martyrologio... vel de Sancto qui ad Ecclesiam vel locum* etc., de huiusmodi festis propriis, ratione Corporis vel insignis Reliquiae, vel ratione specialis vinculi cum aliqua Ecclesia vel pago, aut regione vel etiam natione, aliquando, uti ex. gr. S. Rosa Limana pro tota America latina, vide quae docuimus in nostro citato Commentario (not. 31, 32, 33, et 34).

TIT. III – DE FESTORUM OCCURRENTIA ACCIDENTALI EORUMQUE TRANSLATIONE

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est officium; Dominicae vero II classis cedunt tantummodo festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per Annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II clas-

sis, aut dies Octava Festorum Domini; quo iu casu in Officio Festi, vel diei Octavae, fit Commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus cum IX Lectione ad Matutinum (17). Excipiuntur tamen Dominicae infra Octavas privilegiatas, in quibus Officium fieri nequit de Festis, quae infra ipsas Octavas prohibentur (18). Itemque excipiuntur Dominicae a die 25 ad 28 Decembris aut in die Octava Epiphania occurrentes, et Dominica impedita vel a superveniente Septuagesima vel a Dominica ultima post Pentecosten, de quibus omnibus fit Officium ut habetur in propriis rubricis: nec non Dominica occurrens a die 1 ad 6 Ianuarii, vel die 7, a superveniente Dominica infra Octavam Epiphaniae impedita, cuius Officium fit in Vigilia Epiphaniae (19).

(17) Paululum mutata fuit Rubrica ista, seu potius melius ordinata, ut comparantibus patebit. Omissa fuit mentio commemorationis Dominicae in Missa, non quia sit omittenda, sed quia Rubricae nunc eduntur in Breviario, pro quo solummodo inserviunt, non vero pro Missali.

(18) *Excipiuntur tamen Dominicae infra Octavas privilegiatas, in quibus fieri nequit de Festis, quae infra ipsas Octavas prohibentur.* Exceptio ista ponenda erat, quia, ex. gr. in Dominica infra octavam Corporis Christi occurrere potest aliquod festum Domini sub ritu duplicis II classis, vel maioris; cum autem haec Dominica sit ex minoribus, aliquis censere potuisset quod in ipsa quoque celebratio liceret festi Domini huiusmodi: attamen, quia in casu Dominica participat iuribus Octavae, quae non admittit nisi duplicia I classis, ad praecavendum dubium omne, exceptio posita fuit.

(19) *Item excipiuntur Dominicae a die 25 ad 28 Decembris etc.* Dominicae quae occurrere possunt a die 25 decembris usque ad 14 ianuarii, sunt pariter minores; ipsae tamen

reguntur specialibus legibus, quae habentur in Breviario suis locis propriis. Omissa denique fuit mentio lectionum I et II nocturni, quae dicendae sunt die 30 decembris, quando in eo fit de infra Octavam, eo quod in Breviario nunc propriae sunt additae.

3. Duplicia I et II classis, quae sive ab aliqua Dominica maiori sive a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt, extra Dominicam, in proximiorem insequentem diem quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus; salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, nec non Commemorationis solemnis Sancti Iosephi (20).

(20) Nil additum vel mutatum fuit in hac Rubrica, vide ergo quae de ea scripsimus in Commentario (notis 38, 39. et 40).

4. Festa Duplicia maiora aut minora et Semiduplicia, si quando sint impedita, non transferuntur, sed commemorantur aut penitus omittuntur, ut dicitur in tit. VI *de Commemorationibus* (21).

21 In novis rubricis, simul cum Constitutione « Divino afflatu » prima vice editis, necessario nonulla exprimenda erant, quae relationem habebant cum antiquis, in quantum aliquae dispositiones erant mutandae. Hinc est propterea, quod hoc loco in eis dicebatur : « Duplicia maiora cuiusvis dignitatis (scilicet et festa Domini), et Duplicia minora Doctorum ecclesiae; non amplius transferri possunt » : quae praescriptio, ut patet, hodie in Breviarii Rubricis, peroptime contracta est, atque, ne inutiliter repetantur ea quae respiciunt commemorationes, opportune mittitur lector, ad Titulum IV de *Commemorationibus*.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fit de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis, iuxta rubricas, omissa IX Lectione historica. Idem fit in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I, vel II, classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra num. 2 dictum est, fit de Festo, vel de Octava, cum Commemoratione et IX Lectione Dominicae.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, excludit tum Festa occurrentia quae non sint duplicia I classis, tum Festa transferenda cuiusvis ritus (22).

(22) Vide quae ad rem exposuimus in Commentario (notis 44 et 45).

TIT. IV - DE FESTORUM OCCURRENTIA PERPETUA EORUMQUE REPOSITIONE.

1. Festa fixa ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas. Festa autem mobilia, ritus Duplicis maioris aut minoris et Semiduplicis, numquam reponuntur, sed si perpetuo impediantur, commemorantur, vel penitus omittuntur, ut dicitur in tit. VI *De Commemorationibus* (23).

(23) Circa repositionem Duplicium maiorum et minorum, ac etiam semiduplicium, quae fixa sunt in calendario sive universali sive particulari, quando perpetuo impediuntur, nihil nobis est dicendum, agitur enim de antiqua lege,

quae in novis Rubricis mutata non fuit; ceteroquin vide quae in nota 46 nostri Commentarii ad Constitutionem « Divino afflatu » egimus.

Quod autem attinet ad Festa mobilia, ritus duplicis maioris vel minoris aut semiduplicis, si forte alicubi adhuc habentur in calendariis particularibus, quibusdam feriis assignata, addita hic est dispositio, quae praescribit, non esse umquam reponenda, etsi perpetuo impediantur, sed tantummodo commemorari debent, si potest, alioquin penitus omitti, iuxta Rubricas.

Mirabitur forsan aliquis, hanc novam dispositionem legendo; cum enim Duplicia maiora et minora, imo et Semiduplicia, fixa in mense, si *perpetuo* impediantur, reponuntur, ut ait haec ipsa Rubrica, videretur quod eodem iure repositionis frui deberent festa mobilia eiusdem ritus. Attamen legislator aliter disponendum esse censuit, ne huiusmodi festa minoris solemnitatis, quae alicubi adhuc haberi possunt (nam in Calendario universali non habentur), sedem non propriam perpetuo occupare queant. Si in sua sede mobili celebrari possunt, tolerat legislator, licet aegro animo; quod si impediantur perpetuo, commemorantur vel omittuntur. Lex ista, uti omnibus notum est, lata iam fuerat a S. R. C. circa eadem festa mobilia, quae aliquibus locis, concessa fuerant.

Quod si magis placeret festum aliquod ita perpetuo impeditum, celebrari alia die, tunc res est exponenda S. R. C. quae, si valida succurrant argumenta, privilegium concedere potest; sed vide quae ad rem disseruimus in commentario ad S. R. C. decretum 19 aprilis 1912 (In tres tabellas pag. 166).

2. Festa fixa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I, aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio

Festivitati Purificationis Beatae Mariae Virginis concesso. Duplicia vero I, et II, classis certis Dominicis vel Feriis assignata, si perpetuo impediantur, item tanquam in sedem propriam reponuntur in Feriam proxime insequentem per singulos annos perpetuo liberam ab alio Duplici I, vel II, classis, ab aliqua die Octava. vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus (24).

(24) De festis duplicibus I vel II classis quae fixa sunt, si perpetuo impediantur, nullum dubium manet, debent enim tamquam in sede propria reponi, in primam diem ab alio festo duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava liberam; vide quae scripsims in nostro Commentario (nota 47).

Si autem agatur de festis mobilibus Duplicibus I vel II classis, alicubi perpetuo impeditis, hic addita fuit praescriptio, a S. R. C. edita suo decreto 24 februarii 1912, nempe; quod sint reponenda in feriam proximam sequentem *per singulos annos liberam,* ut supra.

Cl. H. Degrelle S I. rubricista eximius, hac de re scripsit perbelle (Cf. Nouvelle Revue Théologique Jul. 1913, p. 408-413), ubi duas exhibet interpretationes huius decreti, ideoque et huius Rubricae.

Quia vero citat nostram sententiam in Ephem. Lit. expositam (an. 1912, p. 141), quam putat aliam esse ab illa, quam exposuimus in Commentario ad Tres Tabellas (pag. 158); melius nostrum sentiendi modum hic declarare debemus.

Quid ergo sibi volunt verba: *per singulos annos liberam?*

In casu, uti cuique patet, agitur de festis mobilibus, quae perpetuo impediuntur, et perpetuo in sequenti feria, tamquam in propria die, celebrantur, nihilominus cum maneant et sint festa mobilia, dari potest casus, quo, feria ipsa, qua celebrari deberet, impedita sit ab alio Duplici I vel in II classis, vel ab aliqua octava, vel ab Officiis huiusmodi festa excludentibus.

Rem explicabit exemplum.

In Polonia agitur festum S. Hyacinthi in Dominica infra octavam Assumptionis B. Mariae V., ideoque perpetuo impeditum manet festum mobile S. Ioachim, quod propterea, iuxta hanc Rubricam, celebratur in Polonia semper in sequenti feria II, tamquam in sede propria. Attamen, quando Dominica incidit in die 16 augusti, feria II est Octava S. Laurentii, ideoque, non in feria II, sed feria III, celebrabitur illo anno. Similiter dic, si in dicta feria II aliquo anno occurrat Titulus Ecclesiae, vel Patronus, aut celebretur ex. gr. die 20 augusti S. Bernardus sub ritu duplici II classis, illis annis, sequenti feria III celebrabitur S. Ioachim.

En sensus, iuxta nostram opinionem, verborum, quae habentur tum in citato decreto, tum in hac Rubrica, quam hic explicamus; en itaque sensus, quem exposuimus in utroque loco citato a cl. Degrelle. Nec valet opponi, quod dies octava non sit apta ad impediendam repositionem festi classici impediti, quando impedimentum sit accidentale, uti habetur in casu, quo feria II post Dominicam infra Octavam Assumptionis aliquo anno occurrat dies octava S. Laurentii, quia, licet reapse agatur in casu de occurrentia accidentali, non perpetua, nihilominus legislator, ne leges multiplicarentur, voluit ut eadem norma regerentur Duplicia I et II classis, tum fixa, tum mobilia; alioquin inutiliter posita fuisset clausula *per singulos annos*.

3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi Duplicis etiam I classis: Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum aut dies Octava Domini. Dominicae tamen infra Octavas privilegiatas excludunt assignationem perpetuam Festorum, quae infra Octavam celebrari nequeant (25).

(25) Hoc loco addita est praescriptio circa Dominicas minores, infra Octavas privilegiatas occurrentes, in quibus

assignari nequeunt, nisi festa quae celebrari possunt infra octavam. Igitur ex. gr. in Dominica infra Octavam Corporis Christi, adsignari nequit ullum festum mobile, quod saltem duplex I classis non sit, uti supra iam notavimus; putamus tamen quod non sit laudanda quaelibet perpetua assignatio alicuius duplicis I classis in dicta Dominica infra Octavam Corporis Christi; imo, si alicubi extaret, optandum esset, ut, in nova costructione Calendarii, festum ipsum removeretur.

4. Dies 2 Novembris, aut subsequens Commemorationi omnium Fidelium Defunctorum alicubi perpetuo assignata, excludit tum Fèsta occurrentia, quae non sint Duplicia I classis, tum Festa reponenda cuiusvis ritus (26).

(26) Circa commemorationem Omnium Defunctorum, apertissima est mens legislatoris: die enim 2 Novembris, admittitur Duplex I classis, si occurrat in sua die: item die 3 vel 4, ubi hisce diebus celebratur eadem Commemoratio; duplicia vero II classis et maiora vel minora, aut semiduplicia, etiam propriis diebus occurrentia, reponi nequeunt die 2 novembris, nec die 3 in locis ubi ipsa die 2 celebratur festum aliquod Duplex I classis.

Tit. V - De concurrentia Festorum.

1. Dominicae maiores Vesperas habent integras in concurrentia cum quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis sumuntur Antiphonae cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae cum iisdem Psalmis de Sabbato (27).

(27) Vide quae hoc loco diximus in Comment. (nota 52).

2. Dominicae minores cedunt Vesperas, tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini,

tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato, aut, infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, de Octava currenti (28). Et similiter Festa Domini, etiam secundaria, eorumque dies Octava cuiusvis ritus, in Dominica occurrentia, et Vigilia Epiphaniae, integras habent Vesperas in concursu cum Duplicibus maioribus et minoribus, quae non sint Domini (29).

(28) *Aut infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, de Octava currenti.* Haec verba, ad maiorem claritatem hoc loco adiecta fuere; nam, licet Dominicae infra Octavas praedictas sint *minores,* nihilominus, sicut psalmos et antiphonas sumunt ex Octava, infra quam decurrunt, in Matutino, ita et in Vesperis.

(29) *Et similiter Festa Domini, etiam secundaria, eorumque dies Octava, cuiusvis ritus, in Dominica occurrentia, et in Vigilia Epiphaniae, integras habent Vesperas, in concursu cum Duplicibus maioribus et minoribus.* Ratio huiusce dispositionis pendet ex decreto S. R. C. d. d. 9 februarii 1912 n. IV, in quo positum est, tamquam principium, quod officium festorum Domini (sint haec primaria vel secundaria, hoc non interest), in die Dominica occurrentium, *subrogatur officio Dominicae;* aliis verbis, loco officii communis die Dominica, ut in Psalterio et in Proprio de Tempore, recitatur, in casu, officium magis proprium, de occurrente festo Domini. Et est notandum, quod huiusmodi regula pulcherrima, valet etiam, quando agitur de aliquo festo Domini secundario, ut hic indicat Rubrica; vide quae diximus in Commentario in *Tres Tabellas* (nota 89); ubi posuimus, ad exemplum, casum concurrentiae festi Ss. Redemptoris die 23 octobris in Dominica, Vesperae procul dubio forent de s. Raphaele (primario), cum commemoratione praecedentis, Ss. Redemptoris (secun-

darii). Cum vero occurrat Dominica, cuius Vesperae praeferuntur festis duplicibus maioribus et minoribus; in Vesperis ipsis dominicalibus, s. Raphael non haberet, nisi commemorationem; quam solam item retinet, etiam quando, loco officii communis de Dominica in Vesperis, dicuntur antiphonae et psalmi de Ss. Redemptore.

Quod hic disponitur pro ceteris officiis dominicalibus, applicatur a Rubrica etiam officio Vigiliae Epiphaniae. Cum enim huiusmodi Officium, ut pluries dictum est, non sit nisi officium Dominicae, quae occurrere potest a die 1 ad diem 6 ianuarii, iura omnia ei tribuuntur, quae pertinent ad officium dominicale. Itaque in posterum dies octava ss. Innocentium non amplius habebit secundas Vesperas, sed dicendae erunt primae Vesperae sequentis officii de Vigilia Epiphaniae, cum commemoratione diei octavi praedicti.

3. Leges peculiares quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini et in die Octava S. Stephani, habentur suo loco in propriis Rubricis (30).

(30) Verba huius Rubricae parumper mutata fuerunt; loco enim verborum « leges.... immutatae manent », posita sunt: « habentur in suo loco in propriis Rubricis », nempe, in Breviario suis locis clare dicitur, quomodo sint ordinandae Vesperae infra Octavam Nativitatis.

Hic vero additum est: « et in die octava s. Stephani », nam, secundae Vesperae huiusce octavae non ordinantur iuxta legem communem, quae integras donat Vesperas Apostolis, etiam in eorum octava, in concurrentia cum sanctis minoris dignitatis personalis.

In antiquis Rubricis, s. Pii V, scilicet, usque ad ultimam correctionem rubricarum sub Leone xiij, anno 1897 peractam, uti notavimus in Commentario nostro in *Tres Tabellas* (nota 50), dies octava Sanctorum, dividebat Vesperas cum concurrenti alio duplici minore; ideoque etiam in concurrentia diei octavae s. Stephani cum die octava s. Ioannis Ev. Vesperae de praecedenti, a capitulo de sequenti. Porro hodie, post re-

formatas Rubricas, videretur, quod Vesperae in casu, esse deberent integre de sequenti, quia maioris dignitatis personalis, cum commemoratione praecedentis. Nihilo tamen secius, hic locus Rubricarum mutatus non fuit, ideoque resultat privilegium, quod legislator officio s. Stephani tribuere voluit: primo quidem, quia Protomartyr, quoad multa, cum Apostolis convenit; secundo autem, quia alioquin eius secundae Vesperae perpetuo perirent.

(Continuabitur)

Dr. Petrus Piacenza.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum.

CAPUT II.

De iis, quae in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum prohibentur.

§ 1. — *Dei Famulis nondum beatificatis vel canonizatis tribui potest cultus privatus.*

Benedictus XIV egregie demonstrat ratiocinio et auctoritate Dei Famulis nondum beatificatis vel canonizatis tribui posse cultum privatum, actusque ad cultum privatum pertinentes. Nihil prohibet, scribit ipse, hos Dei Servos privato cultu prosequi. « Si enim illis, dum vivunt, laudabile est, ut cultum ipsum privatum impendamus, et nos eorum precibus commendemus: Sanctus quippe Athanasius *in libro de Virginitate, num. 22, tom. 2, oper.*, inquit: *si ingressus fuerit vir iustus in domum tuam, cum timore et tremore occurres ipsi, et procides humi ad pedes eius adorans;* et S. Hieronymus *in vita S. Paulae* narrat, eam, cum sanctos Eremitas inviseret, consuevisse ad eorum pedes se advolvere, perinde ac si in singulis Christum adoraret; Sanctus autem Ioannes Chrysostomus *in Act. Apostolor. homil. 53, num. 5, tom. 9, oper.*, subdit, iustos viros domi nostrae retinendos, advocandos et quaerendos, atque adeo ad illorum domicilium accedendum, ut benedictionem recipiamus: *Si non domi recipias, illum adi; cum illo versare, ad eius domum accede ut*

possis illo frui, eiusque benedictione: magna quippe est Sanctorum benedictio, quam assequi curemus, ut eorum precibus adiuti, Dei qui illos roborat, misericordia fruamur. Potiori profecto ratione eosdem privato cultu post obitum venerari poterimus, quando regnare creduntur in caelis, et pie potest existimari, eos pro nobis esse apud Deum intercessores » (1).

Reiffenstuel horum Dei Servorum privatum cultum dicit non tantum licitum, sed etiam utilem et pium; scribit enim: « Licitum, utile ac pium est, memoratos Famulos ac Famulas Dei honorare, ac invocare privatis orationibus ac precibus, eos sibi in Patronos eligere, in eorum honorem ieiunare, se mortificare, quotidie aliquas preces, vel alias devotiones, etiam aliis videntibus, vel audientibus persolvere, eo quod haec non nisi *Cultum* denotent *privatum,* utpote non nomine Ecclesiae, neque tamquam institutum ab ea, sed tantum privata devotione exhibitum » (2).

Iam vero optime animadvertit Lehmkuhl « in oratione ex natura rei contineri cultum eius quem oramus: si oramus Sanctos, etiam illos vere colimus » (3).

Pari ratione, si Dei Famulos, *privatis* quidem *orationibus* invocamus, illos etiam vere colimus *cultu* utique *privato,* quem propterea pium et commendatum esse habendum nemo dubitabit.

Cl. Wernz praefatam doctrinam ita exactissime proponit: « Cultu *privato* omnem servum Dei etiam *palam* colere licet, qui obiit cum *fama sanctitatis* vel martyrii, dummodo fiat iis actibus, qui ex consuetudine Sedis Apostolicae ab actibus cultus *publici* sunt distincti nec speciatim *etiam* in cultu *privato* prohibiti » (4).

Ex breviter adductis iam definiri posset, quinam sint actus, qui privati cultus limites non transgrediuntur, ac prop-

---

(1) Benedictus XIV, l. c., l. II, c. VII, n. 4.
(2) Reiffenstuel, l. III, tit. XLV, n. 21.
(3) Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, t. I, ed. 1910, pag. 272; n. 482.
(4) Wernz, *Ius Decretalium,* t. III, part. II, n. 361.

terea in privato Servorum Dei cultu permittantur; praestat tamen aliquid de iis in specie exponere.

§ 2. — *Quae generatim permittantur in Servorum Dei funeribus ducendis.*

Quid generatim permitti possit in funeribus Servorum Dei cum sanctitatis fama morientium, en praefati Benedicti XIV doctrina: In his funeribus « extraordinarius aliquando fit populorum concursus, cadaver defertur super humeros magnatum, multi catervatim accedunt ad deosculandas manus ac pedes, eorumque vestimenta diripienda, et eorumdem praeclara gesta picturis vel affixis ecclesiae parietibus, vel circum funebre pegma expositis repraesentantur. Itaque, si haec prodeant ex sincero devotionis affectu, semota quacumque industria humana, nihil in eis erit, quod reprehensionem mereatur; cum enim proveniant ab opinione et fama sanctitatis, neque fiant nomine Ecclesiae, nec instituta sint ab ipsa Ecclesia ad exhibendum cultum Beatificatis et Canonizatis, referenda idcirco erunt ad cultum privatum, nec ulla unquam ratione dici poterunt Urbani decretis repugnantia » (1). Hanc doctrinam idem Pontifex exemplis roborat ex S. Francisci Salesii, B. Bernardi a Corleone, Capuccini, et aliorum funeribus deductis, in quibus populorum devotio miraculis probata fuit.

Duo autem animadvertit: alterum circa picturas et alterum circa manuum et pedum deosculationem.

Picturas inter publici cultus actus non recenseri dicit, « dummodo insignia tantum defunctorum facta, ut puta conciones, itinera, domus pias ab ipsis, dum viverent, extructas, repraesentent, nec non ab iis abstineant, quae ad quodpiam miraculorum genus referri queunt » (2). Simplicem autem Servi Dei imaginem in funere deferre aut exponere, modo non licet, sicut non licet in quocumque funere. Sacra enim

(1) Benedictus XIV, l. c., c. XII, n. 9.
(2) Idem, l. c., l. II, c. XII, n. 9.

Rituum Congregatio interrogata: « An in feretro vel tumulo, dum pro aliquo defuncto exequiae fiunt, tam praesente quam absente cadavere, exponi valeat eiusdem defuncti imago? Et quatenus Negative, an saltem tolerari possit huiusmodi usus ubi viget ». S. Congr. die 30 aprilis 1896 rescribendum censuit: « *Negative, quoad primam partem; quoad alteram, curandum, ut eliminentur abusus* » (1).

Item quoad manuum et pedum deosculationes docet: « Si haec fiant non solemniter, nec per publicos ministros, veluti fit in Ecclesiis circa Reliquias Sanctorum approbatorum; privatim autem fiant, et ex privata tantummodo devotione, publico in loco licet exerceantur, semper erunt referenda ad privatum cultum minime vetitum » (2).

Si autem quaereretur, an in talibus funeribus ob magnam defuncti sanctitatis et miraculorum famam, liceret omittere consueta Ecclesiae officia et preces pro defunctis; quamvis hac de re nihil in Urbani decretis decernatur, negative tamen cum ipso Benedicto XIV respondendum est, nisi, ait doctissimus Pontifex, a Deo nuntietur, rem esse aliter perficiendam, uti evenisse narratur in funere B. Alberti Ord. Carmelitarum, in quo, facta contentione inter clerum et populum an defunctorum Missa, an potius Sanctorum Confessorum esset canenda, duo Angeli Missam *Os iusti* inchoarunt. Hoc idem contigisse traditur in funere S. Thomae Archiepiscopi Cant. (3).

Etiamsi ageretur de certo Martyre, de cuius tamen pretiosa morte Summi Pontificis iudicium non accessit, non essent in huiusmodi viri funere omittenda Ecclesiae suffragia, quippe quod hac in re, publica et quasi solemnis inesset declaratio, eos esse perfecte Beatos, et nostris precationibus non indigere; quod ante Ecclesiae iudicium fieri omnino non

(1) *Decreta Authentica,* n. 3898. - *Ephemerides Liturg.*, a. 1896, pag. 357.

(2) BENEDICTUS XIV, l. c., L. II, cap. XII, n. 9.

(3) Cfr. idem. ib., n. 11.

licet. Quod minime infirmatur ex eo, quod quandoque cuiusdam Religiosi Ordinis Superiores pro quibusdam suis religiosis a tyranno in odium fidei interfectis, mandarint communia defunctorum suffragia non indici: in praesenti enim non quid factum fuerit, sed quid fieri debet quaerimus (1).

§ 3. -- *Servorum Dei cadavera indui possunt pretiosis vestibus, ac oratio funebris in eorum funeribus, debitis servatis conditionibus, haberi licet.*

Permittitur itaque eorumdem Dei Servorum cadavera pretiosis vestibus induere. De hac enim re nullum fit verbum in Urbani VIII Decretis. Quamobrem existimandum est nec talem actum iisdem adversari, quemadmodum semper tenerunt Theologi. Inter exempla, quae ad haec probanda adducuntur, iure revocatur etiam, quae, divina inspiratione ducta, fecit nobilis Matrona Romana Iacoba de Septemsolibus in morte Seraphici Patris nostri Francisci. Narrant enim eius vitae historici, illam « divinitus admonitam de proximo obitu S. Francisci, Assisium petiisse, et inter cetera secum tulisse pro eius funere vestem pretiosiorem; eoque defuncto, corpus unguento inunxisse, et ea veste contexisse, quae usque adhuc inter ceteras Reliquias in sacrario Conventus Assisiensis eiusdem S. Francisci asservatur » (2).

Praeter tamen pretiosas vestes, nil addatur quod publicum cultum sapiat Putamus ex. gr. radios aut aureolam circa caput poni non posse. Si enim haec prohibentur circa eorumdem Servorum Dei imagines, potiori ratione, prohibita habenda sunt circa eorumdem corpus.

Permittuntur etiam orationes funebres, quibus eiusmodi defunctorum gesta enarrantur; dummodo haec intra debitos fines coerceantur, ac si quae sunt serventur locorum ordinationes.

(1) Id., ib., n. 11.
(2) Id. ib., l. II, cap. XII, n. 10.
(3) Id. ib., cap. XII, n. 10.

Ad harum orationum liceitatem demonstrandam exempla adducuntur S. Bernardi Abbatis, qui duos sermones habuit in morte S. Malachiae Episcopi, et alium in obitu Girardi Monachi sui fratris. Item adest exemplum Cardinalis Ostiensis, qui orationem habuit in funere S. Clarae.

Et merito in id omnes consentiunt. « Si enim, ipse Benedictus XIV argumentatur, communiter laudationes in funere fieri consueverunt pro viris nobilibus, pro principibus, pro viris in aliqua scientia, professione, aut arte excellentibus; potiori certe iure fieri poterunt, modo consentanea servetur moderatio, de viris cum sanctitatis et miraculorum fama decedentibus ».

Fines autem, intra quos orator se continere debet, illae sunt normae seu regulae, quas supra observandas tradidimus in Servorum Dei vita conscribenda; nempe ne *Beatitatis* aut *Sanctitatis* titulum a moribus et opinione, ad personam transferat, quod, ut diximus, fieri omnino non licet. Et Urbanus V quosdam religiosos merita severitate corripuit, eo quod quemdam Carolum et martyrem et sanctum concionibus adstruere moliebantur, et alii quoque reprehensi fuere eo quod Beatorum nomine eos appellabant, qui nec beatificati, nec canonizati erant (1).

Ordinationes quoque locorum, si quae sunt, observandae erunt. Hac enim de re scribit Wernz: « *Orationes funebres,* ubi etiam nunc in sepultura ecclesiastica vigent, praesertim quoad *materiam, locum* et *tempus* habendae sunt a sacerdotibus, non a *laicis,* secundum statuta iuris communis et dioecesani; *sublata* vero huiusmodi consuetudine, non possunt a *parochis* denuo et indiscriminatim introduci, salvis legitimis exceptionibus ipso iure diocesano vel ex speciali licentia Ordinarii permissis » (2).

---

(1) Cfr. BENEDICTUM XIV, L. c. L. II., cap. XIII, n. 4. — Hi autem dicendi fines observandi quoque sunt in elogiis seu epitaphiis, quae aut ad sepulcra apponuntur, vel imaginibus subiiciuntur. Id. ib. cap. XII, n. 4.

(2) WERNZ, *Ius Decretalium*, T. III, P. II, pag. 501. — Hoc idem

Servatis itaque servandis, orationes funebres ad Servorum Dei gesta enarranda, licitae dicendae sunt.

§ 4. — *Quo loco liceat corpora Servorum Dei sepelire.*

Licet corpora Servorum Dei sepelire in loco conspicuo et sanctiori, et forma seu modo peculiari ad sanctitatem indicandam.

Et primo licet ea sepelire in sepulcro separato; vel in peculiari capsa in sepulcro communi collocanda cum inscriptione nominis defuncti, ne de identitate ulla valeat tractu temporis exoriri dubitatio. « Si enim haec et his similia libere fiunt erga illos etiam, qui hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, multo magis erga eos fieri poterunt, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: alii vero benefactum separatae sepulturae horum Dei Servorum plurimi ducunt ad avertendum supradictum periculum, ne quando identitatis probatio deficiat » (1).

Circa quod Molphesius ab ipso Benedicto XIV adductus ita argumentatur: « Si enim huiusmodi viris santitate perspicuis locus ab aliis *separatus non daretur, sed simul cum aliis* humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari et disiungi, et sic Ecclesia careret corporibus et aliis sacris reliquiis, et Sanctorum cultus maximam pateretur iacturam (2).

Id eo magis licitum, imo congruum dicendum est, quod ex capsae saltem separatae defectu, Fidei Promotores aliquando in suis animadversionibus occasionem nacti sunt arguendi contra Servi Dei famam sanctitatis, uti factum

---

tradit BARGILLIAT, cuius haec sunt verba; « Antiquissimo usu et legibus synodalibus receptum est, ut orationes funebres pro aliquo defuncto in Ecclesia non recitarentur, nisi a Clerico post Missam expletam; et laudationes publicae in coemeterio a laicis ad popolum non fiant sine licentia auctoritatis ecclesiasticae ». *Praelectiones Iuris Canonici*, Ed. 28ª. Parisiis 1913, T. II, pag. 309, n. 1324.

(1) BENEDICTUS XIV, L. c., L. II, cap. XII, n. 13.

(2) Idem, ib., cap. XII, n. 13.

fuif in Causa B. Hyacinthae (de Marescottis) cum haec Dei Famula condita fuerit in communi Monialium sepulcro, nec fuerit eius corpus in capsa segregata repositum.

Secundo, Servorum Dei corpora extra Ecclesiam sepulturae tradi possunt in loco super terram elevato: nullo enim iure prohibetur, quominus in aliquo cubiculo, seu alio loco privato retineatur supra terram cadaver, seu capsa cum ossibus alicuius defuncti. Et de facto, quamvis pluribus in causis de sepultura elevata supra terram facta fuerit obiectio, tamen pro non cultu semper responsum fuit quoties de Servorum Dei sepultura actum est extra Ecclesiam posita. Immo et de casu urnae seu capsae cum cadavere supra terram existentis in sacrario, iudicatum fuit, non importare publicum cultum. Benedictus XIV sequentia refert exempla, in quibus sententia lata est de non cultu nempe: *a*) In causa B. Ioannis de Britto, cuius cadaver asservabatur in arca existente super terram in cubiculo Patris Procuratoris S. I. Collegii Goanensis: *b*) In causa Ven. Servi Dei Ioannis a S. Guillelmo, cuius cadaver retinebatur supra terram in cubiculo Ecclesiae contiguo; *c*) In causa Ven. Mariae Victoriae de Furnariis, cuius pariter corpus asservabatur in capsa detenta supra humum in cubiculo privato Monasterii; *d*) In causa Ven. Servae Dei Veronicae de Lapparellis, cuius urna cum cadavere in sacrario intra parietem constituta fuerat (1).

Non ita tamen res se habet cum agitur de sepultura intra Ecclesiam. Iam S. Pius V statuit: « Capsae omnes et deposita, seu alia cadaverum conditoria supra terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur (2). Rituale Rom. docet: « Cui locus sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur » (3). « Solis enim

---

(1) BENEDICTUS XIV. l. c., cap. XII, n. 13.

(2) Const. « Cum primum » data sub die 15 Aprilis 1566. *Bullarium Rom.* Augustae Taurin. 1862, T. VIII, pag. 436.

(3) *Rit. Rom.* Tit. VI., cap. I, n. 9 in edit. Typica Ratisbonensi 1913,

Summmis Pontificibus, scribit Bargilliat, non exceptis etiam personis regalibus, competit praerogativa, ut eorum corpora in conditoriis elevatis a terra (intra Ecclesiam) reponantur » (1).

Per se et generatim loquendo, a praefata Ecclesiae lege non sunt excipiendi Dei Servi; sanctitatis enim fama in qua moriuntur non est ratio aut titulus sufficiens cur a communi Ecclesiae lege eximantur. In obsequium igitur huiusmodi legis, et ne occasio daretur de cultu publico asserendo si, sepulturae elatio a S. Rituum Congregatione concederetur, vel saltem toleraretur; ab eadem S. Congregatione aliquando iussum fuit, ut Servorum Dei corpora in Ecclesiis sita, sub humo sepelirentur, quae antea super terram condita fuerant (2).

Quamvis igitur omnino non liceat Servorum Dei cadavera supra humum in Ecclesiis haberi, simplex tamen et nudum factum elevationis sepulturarum eorumdem Dei Servorum in Ecclesia super humum extantium, non videtur *per se et absolute* constituere actum publici cultus. Benedictus enim XIV plura refert exempla Servorum Dei cadaverum in sepulcris elevatis intra Ecclesiam asservatorum, quin ex hoc eorumdem causis ullum detrimentum obvenerit. In mentem revocat, Summorum Pontificum cadavera de more locari in sepulcris supra terram elevatis, absque eo quod hinc ullus publicus vel etiam privatus cultus inferatur. Refert quoque, S. R. Congregationem sententiam de non cultu tulisse in causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Petri de Bettancur, cuius ossa reposita erant supra terram in Ecclesia S. Francisci a latere altaris maioris, ad obiectionem quae hac de re facta fuerat, « responderunt Postulatores, id non cultui haud obstare; nulla siquidem exteriora publici cultus indicia ab inspectore reperta fuerant » (3).

---

pag. 134. — Cf. Catalanus, Comm. in h. l. — Videsis etiam plura quoad sepulturam in Ecclesia in *Ephemerid. Liturg.*, Vol. III, an. 1889, pag. 140 et ss., ubi etiam de distantia cadaverum ab altari, quae debet esse saltem unius *metri*.

(1) Bargilliat, *Praelectiones Iuris Canonici*, Parisiis 1913, T. II, n. 1320, pag. 306.

(2) Benedictus XIV, l. c. cap. XII, n. 13.

(3) Benedictus XIV, l. c., cap. XII, n. 13.

Id confirmatur quoque ex quibusdam concessionibus, nostris hisce temporibus a S. Rituum Congregatione factis, ut nempe quorumdam Servorum Dei corpora, quae sub humo in Ecclesiis in quibus iacebant nimio humore vastabantur, inde subtraherentur ac in sepulcris a terra aliquantulum elevatis collocarentur. Quae tamen concessiones semper talibus clausulis munitae fuerant, ut omnis cultus praetextus vel occasio tolleretur. Cavetur in primis ne capsa vel loculus prostet, sed muro vel lapide omnino occludatur. Putamus propterea in praefatis casibus S. R. Congregationem non proprie *super decretis* de non cultu dispensasse, sed potius *super lege* de non condendis intra Ecclesiam cadaveribus in sepulcris a terra elevatis.

Verum utique est, Benedictum XIV sepulcri elationem inter argumenta cultus immemorabilis numerare: sed, ut talis sepulcri elatio probet, requirit quod facta fuerit auctoritate Ordinarii, de ea constet per publica instrumenta et insuper aliis publici cultus signis sit coniuncta. Sola enim sepulcri elatio etiam certo auctoritate episcopali peracta, cultum immemorabilem non constitueret et non probaret (1).

Cum sepultura supra terram elevata in Ecclesiis prohibetur, putamus hic nomine Ecclesiae intelligi quoque oratoria aut sacella, sive publica, sive privata: finis enim prohibitionis est decor loci divino cultui dicati; sed comprehendi non videntur oratoria et sacella vel in coemeteriis erecta, vel supra sepulcrum gentilitium aedificata, quia horum proprium est defunctorum sepulcra recondere; et quamvis in eis Missae sacrificium aliquando celebretur, non tamen divino cultui exercendo sunt primario destinata, et in iis praefatae prohibitionis observantia non videtur ab Ecclesia urgeri.

Servorum igitur Dei sepulturae possunt esse a ceteris separatae et extra Ecclesiam etiam a terra elevatae; sed intra Ecclesiam debent esse sub humo, et, si graves rationes suaderent ab humo esse extrahendas, in Ecclesiis supra ter-

(1) Cf. Id. l. c., l. II, cap. XXIII, nn. 1 et 9.

ram collocari non possunt sine S. Rituum Congregationis concessione, quae tamen concessio publicum cultum non importat.

§ 5. — *Quid liceat in ornandis Servorum Dei sepulcris.*

Servorum Dei sepulcra ornari possunt, dummodo ornatus nullum cultus publici, qui Sanctis et Beatis tribui solet, praeseferat signum. Ornari enim possunt eo modo quo etiam ornantur ceterorum sepulcra non cum sanctitatis fama defunctorum. Hinc nihil prohibet quominus ad eorum sepulcra apponi possint statuae vel picturae, ipsos et eorum gesta referentes (servatis quae supra servanda admonuimus quoad miraculorum repraesentationes, aut tabellas), inter quas etiam angeli esse possunt, uti factum fuerat circa sepulcrum S. Vincentii de Paulo: item apponi possunt serta vel coronae florum, lumina et lampades eo modo quo supra declaravimus; et alia, quae circa quaecumque sepulcra absque vel publici cultus, vel superstitionis nota communiter ab omnibus fieri solent, et ab Ecclesia approbantur, vel saltem tolerantur.

Quoad sepulcrorum pretiositatem et ornatum Benedictus XIV quaedam refert exempla in quibus S. Rituum Congregatio *non cultum* approbavit, quamvis Dei Servorum corpora capsis pretiosis inclusa fuerint et in magnificentissimis sepulcris collocata. Horum duobus adductis exemplis, prosequitur: « Sed et addi possunt exempla causae tum S. Catharinae de Ricciis, in qua item responsum fuit pro non cultu; quamvis super sepulcrum depicta esset eiusdem Imago in capite habens coronam florum, in manibus Crucifixi effigiem; tum S. Vincentii de Paulo, cuius etiam non cultui nihil obstitit animadversio a me, tamquam fidei Promotore, excitata, quod eius sepulcrum Angelorum simulacris esset exornatum. Sibi enim omnibus hisce in casibus locum vindicat ratio, non semel antea reposita, quod eodem plane modo reperiantur etiam interdum eorum corpora, qui nulla se comitante sanctitatis fama moriuntur » (1).

(1) Benedictus XIV, l. c., l. II, cap. XII, n. 15.

Quanta autem cura in sepulcris exornandis caveri debeant quae cultum prohibitum aut superstitionem inducunt, ostendit sequens S. R. Congr. responsum. S. Rituum Congregatio interrogata: « An monumentum ligneum, ac duae imagines cuiusdam Archiepiscopi intra ambitum Ecclesiae Metropolitanae in urbe Bogotae exstantes, quae a rudibus fidelibus, tamquam cultu dignae habentur, inde removeri atque in Sacristia vel alibi collocari debeant: Resp. Affirmative; iuxta Decreta s. m. Urbani VIII et normas a Benedicto Pap. XIV traditas. Romae, die 31 Augusti 1889 » (1).

Quoad florum vel serti florei oblationem et appositionem idem Summus Pontifex casum refert sepulcri S. Francisci de Hieronymo, quod floribus nonnulli interdum ornarunt. Quamvis enim inter ecclesiarum ornamenta flores recenseantur, « Sacra nihilominus Congregatio sensit, actum illum privati cultus fines eodem in casu minime praeteriisse; quippe in quo oblatio florum a nonnullorum privata pietate derivaretur, nec ulla publica auctoritas ei esset intermixta: quo adiuncto posito, id citra publici cultus notam fieri haudquaquam potuisset ».

Si vero talis florum et florei serti oblatio et ad sepulcrum appositio fieret aliqua interveniente ecclesiastica auctoritate et ad sanctitatem testandam, tunc non esset licita, et inter publici cultus actus recenseretur. « Ad publicum enimvero cultum relata est oblatio florei serti, quae per annos singulos fiebat, publica intercedente auctoritate, a Matritensibus B. Isidoro Agricolae, veluti legitur in relatione Cardinalis a Monte; ut ad publicum cultum refertur oblatio florei pariter serti, quae fit quotannis in honorem B. Iulianae Corneliensis a Consulibus Leodiensis in ecclesia Corneliensi » (2).

Adducta exempla nobis quaerendum relinquunt, an oblatio floreae coronae ab auctoritate civili facta, rationem *per se* induat publici cultus ac proinde prohibiti.

---

(1) *Decreta Authentica*, 3715.

(2) Benedictus XIV, L. c., n. 15.

Distinguendum nobis videtur: si haec oblatio fieret tantummodo ad civile obsequium defuncto exhibendum, uti benefactori insigni, illustri concivi, viro sapienti, etc., ob civiles scilicet rationes; tunc non de cultu ecclesiastico certo ageretur, et proinde non esset talis oblatio pro cultu publico habenda, et prohibita. Secus dicendum foret si talia peragerentur ad sanctitatem defuncti publice protestandam, aut ad publicas gratias agendas pro impetrato publico beneficio. Huc revocari videntur exempla a Benedicto XIV superius adducta.

(Continuabitur).

Palaestra liturgica.

DISSERTATIO LITURGICO-PASTORALIS

De quibusdam in praxi liturgico-pastorali defectibus, supplendis et reformandis, cui sequuntur aliquae observationes Directionis.

I.

De utilitate et necessitate restituendae antiquae consuetudinis celebrandi officia divina in ecclesiis parochialibus, diebus dominicis et festivis.

Negari non potest, in ecclesia latina progressu temporis multas devotiones piasque consuetudines invectas esse. Quarum numerus nostris maxime temporibus notabiliter crevit. Ubique fere locorum divulgata est hodie devotio Mariana erga beatissimam Virginem, item devotio mense Iunio erga ss. Cor Iesu, mense Octobri devotio Rosariana, pluribus porro in locis mensis s. Ioseph, novendialia exercitia ante festum Nativitatis Domini et Pentecostes, via Crucis, vespertinae adorationes ss. Sacramenti, item menstrua eiusdem adoratio, variae denique processiones, supplicationes multaque alia pia exercitia, quibusdam dioecesibus vel regionibus propria. Notandum quoque est, omnes huiusmodi devotiones non raro externa cum solemnitate et cum expositione ss. Sacramenti peragi solitas esse. Maior harum pars decursu saeculi praecedentis est invecta, ignotaque antea in Ecclesia erat. Inductio harum devotionum semper pro fine augmentum pietatis christianae in cordibus fidelium habuit. Et sane, effectum non parvi momenti hoc sub respectu pro-

duxisse, nemini ignotum est. Zelatores tamen cultus ecclesiastici et sacrae Liturgiae cultores non parvo cum angore advertunt, multiplicatis addititiis devotionibus et exercitiis, *liturgicas devotiones*, quae ecclesiastica in significatione « *unice et vere sunt ecclesiasticae* », omnino *neglectas* vel saltem *degradatas esse*. Ratio praesens status publici cultus divini in ecclesiis parochialibus latini ritus nequaquam felix mentique sacrae Liturgiae ac tradioni ecclesiasticae conformis dici potest.

Novissimis his temporibus, dum sancta Mater Ecclesia « instaurata omnia in Christo » desiderat videre, sperandum quoque est, multas obsoletas et neglectas consuetudines pias et leges antiquitatis christianae, praecipue cultum divinum, ordinem divini officii et uniformitatem cultus spectantes, in omnibus ecclesiis parochialibus instaurata iri.

Egregium iam hac in re suppeditant argumentum gravissimi momenti decreta, his temporibus edita, ut v. g. de musica sacra, de restituendo traditionali cantu chorali, maxime autem, de reformatione Breviarii et debito honore in celebrandis diebus Dominicis et feriis maioribus restituendo.

Negari non potest, in ecclesiis ritus orientalis traditionem antiqui cultus liturgici in praxi liturgica praesentem usque in diem fideliter conservari, tam quoad ordinem, quam quoad modum divinorum officiorum, non solum in maioribus, cathedralibus et monasticis, sed etiam in minoribus ecclesiis, in quibus extra-liturgicae devotiones sunt rarae, maxima vero cura directa est quoad stabilem et solemnem celebrationem devotionum liturgicarum i. e. Missae sacrificii et horarum canonicarum. In ecclesiis e contra nostri ritus, occasione introductarum frequentium devotionum extraliturgicarum et omissionis liturgicarum, discrimen inter duos principales Universalis Ecclesiae ritus de die in diem crescere non desinit, illis autem in regionibus, in quibus uterque ritus est permixtus, ingentem inter fideles ritus orientalis admirationem parit. Cumque inter orientales non pauci schismati sint addicti, qui consuetudines Ecclesiae Ro-

manae observationi ac crisi subiicere easque recensere solent, persaepe id accidit, quod illi loco aedificationis, hanc persuasionem, Ecclesiam Romanam a praxi veteris Ecclesiae abiisse, concipiunt. Animadvertentes enim novas tot devotiones, nullum cum Liturgia nexum habentes et defectum devotionum vere ecclesiasticarum, multi ex illis taedio, imo despectu, erga Ecclesiam afficiuntur. Ordinatio itaque huius quaestionis ob ipsum bonum fidei et Ecclesiae decorem necessaria videtur.

Praeprimis itaque discussio exoritur de *restituenda* seu introducenda consuetudine et obligatione *horas canonicas ecclesiis in parochialibus totius Orbis celebrandi,* aliis verbis, quaeritur, *an restitutio vel introductio eiusdem consuetudinis sit possibilis, utilis ac necessaria.* Solutio huius quaestionis praesentis dissertationis obiectum erit.

Cum quavis in dioecesi exiguus exstet numerus ecclesiarum, in quibus de iure horae canonicae solemniter celebrari solent (cathedrales, collegiatae et monasticae), exinde fit, quod minima vix pars fidelium nanciscitur occasionem iisdem horis interessendi, imo qualemcumque cognitionem de illis sibi efficiendi. Dum enim aliquot in ecclesiis resonat antiqua laus Dei, ceteris in omnibus, ducentis vel trecentis, quae in dioecesi habentur, perpetuum dominatur silentium et antiquae pietatis christianae vix ullum vestigium invenitur. Nostris, sane, temporibus, ob inopiam cleri parochialis (cum saepe ecclesias parochiales unicus sacerdos inservit), impossibile aut saltem difficile esset omnes horas canonicas in illis persolvere, attamen possibilis, utilis, imo necessaria esset, ut infra demonstrabitur, restitutio antiquae consuetudinis, cantandi non omnes quidem, sed praestantiores et principaliores horas canonicas omnibus in ecclesiis parochialibus, saltem diebus dominicis et festivis.

Cum officium *Vesperarum* in praxi liturgica principalem post Missae Sacrificium teneat locum maiorique cum solemnitate celebrari consueverit, sine dubio quacumque in ecclesia parochiali diebus dominicis et festivis, maxime vero

pridie eorum, sine ulla difficultate absolvi potest. Maior autem difficultas oritur quoad celebrationem *Matutini*, cum hoc magis sit prolixum et complicatum. Ne autem praestans haec pars divini Officii ob absolutam et perpetuam eiusdem omissionem, obsoleta et ignota apud fideles evadat, opportunum esset, ut saltem in maioribus festis, praecipue omnibus Duplicibus primae classis, nulla in ecclesia parochiali omittatur, in ecclesiis vero, duos saltem sacerdotes habentibus etiam diebus dominicis et festis minoribus cantetur.

Porro, perutile esset impetrare apud Sanctam Sedem indultum, vi cuius, ecclesiis in parochialibus, ob commodum et devotionem populi, Matutinum *sine Laudibus* vel *unico ex nocturno* solummodo constans, ut in Officio parvo B. M. V. hoc comficitur, celebrari valeat. Quo enim brevior est devotio, eo solemnius celebrari, populo magis placere et ab eodem libentius frequentari solet (1).

Quo fideles magis frequentent, opportuna etiam esset quaedam augmentatio externae solemnitatis, quacum Matutinum cantari valeat, ut v. g. adhibito a celebrante pluviali, sex candelis in altari accensis, praemisso solemni pulsu campanarum etc.

Valde congruum esset, ut saltem in festis: Paschatis,

(1) Quodsi indultum quoad dictam abbreviationem Matutini pro ecclesiis parochialibus impossibile videretur, desideranda esset compositio specialium brevium seu parvorum Officiorum, a Sancta Sede approbandorum, unico ex Nocturno, ad modum Officii parvi B. M. V. constantium, tempori anni liturgici congruentium, de principalioribus fidei mysteriis v. g. de ss. Trinitate (pro Dominicis per annum), de Resurrectione Domini (pro tempore Paschali), de ss. Eucharistia, de B. M. V., de omnibus Sanctis etc. Duplex ex talibus officiis pro fidelibus utilitas proveniret, dum non solum consuetudo primaevae ecclesiae hoc modo instauraretur, sed occasio quoque praeberetur, ad activam populi in cantu psalmorum, hymnorum et aliarum partium Officii participationem. Quod menti Ecclesiae maxime consonum et fovendae pietati perutile esse, nemo negabit.

Corporis Christi, Dedicationis Ecclesiae, Patroni et Tituli eiusdem aliisque maioribus solemnitatibus, ob devotionem populi, cum expositione ss. Sacramenti in throno, in minoribus vero festis cum benedictione SS. in fine, Matutinum celebrarì valeat.

Hoc quoque indultum desiderandum esset, vi cuius Matutinum maiorum saltem solemnitatum, ob commodum populi, more ecclesiarum orientalium, *pridie vespere* anticipari possit. Quod, ceterum, observatur apud religiosos in quibusdam festis v. g. si non fallor, apud Franciscanos in festo Nominis Iesu vel Corporis Christi, apud Trinitarios in festo Nativitatis B. M. V. etc. Item in ecclesiis Americae Septentrionalis observatur mos vespertinas devotiones omnibus sabbatis et vigiliis festorum solemnissime et cum concursu populi celebrandi.

Ceterum, possibilitas restituendae consuetudinis horas canonicas diebus dominicis et festivis in ecclesiis parochialibus celebrandi, evincitur ex argumento stabilitatis huius praxis *in Ecclesia Orientali,* non solum catholica, sed etiam schismatica, in qua adhuc observatur consuetudo celebrandi omnes horas canonicas in minoribus etiam ecclesiis, maxima vero cum solemnitate celebrandi sic dictas « vigilias » pridie festorum, quae ex cantu Vesperarum, Completorii et Matutini sequentis festi constant (1).

(1) Catholici inhabitantes schismaticas regiones Russiae aedificantur stricta observatione in celebrandis vespertinis officiis in vigiliis festorum et in sabbatis. Et sane, nonne aedificatione dignum est, videre populum negotia sua deserentem et festinantem ad templa pro assistentia functioni Vigiliarum, quae sollemni cum apparatu universi cleri, frequenti thurificatione adhibita, choris praepulchre psalmos cantantibus, celebrantur? Scribens haec, quodam in pago russiaco sponte commorans, animadverti, ferialibus quoque diebus, summo mane, audiri sonum campanae maioris, ad Matutinum invitantis. Similiter in America quovis sabbato horis vespertinis, dum populus ab operibus ex agris et fabricis redierit, solemnes devotiones in ecclesiis, multo cum concursu fidelium, celebrantur,

Quae dicta sunt de Officio Matutini, eo magis, iuxta sensum Liturgiae, spectant consuetudinem celebrandi sollemnes *Vesperas* omnibus in ecclesiis parochialibus, maxime *primas*, sine quibus solemnitas quasi abbreviata et mutilata videtur, cum suo careat principio liturgico. Ceterum, ratio conservandae unitatis cum ecclesia orientali et ratio uniformitatis, tam necessariae in omnibus et singulis provinciis ac dioecesibus ritus latini clamant pro restauranda debita hac in re disciplina. Sunt etenim dioeceses, in quibus primae Vesperae numquam in ecclesiis celebrantur, ideo populo prorsus sunt ignotae. E contra, inveniuntur dioeceses et provinciae, in quibus vi constitutionum synodalium vel ordinationum episcopalium quovis sabbato et pridie festorum sollemnia necessario celebrantur. Talis discrepantia uniformitatis et unitatis tam in gravi re cultus divini, nequaquam desideranda ac tolerabilis dici potest. Unicum autem contra hunc defectum remedium superest: communis, obligans omnes ecclesias parochiales lex quoad consuetudinem celebrandi solemnes Vesperas in sabbatis et vigiliis solemnitatum. Ad promovendam tamen solemnitatem devotionis vespertinae et adhortationem fidelium ad frequentandum illam, opportunum ac perutile esset sequentibus uti remediis:

a) Vesperas pridie festi celebrare *horâ tardiori*, dum, scilicet, fideles a negotiis diurnis in agris et fabricis liberi fiunt, id est ad occasum vel post occasum solis:

b) saltem in vigiliis festorum Salvatoris cum *expopositione Sanctissimi Sacramenti*, aliis vero saltem cum benedictione Eiusdem in fine, celebrare;

c) quantum possibile, *maiori cum solemnitate* externa absolvere, ut v. g. praemisso solemni sonitu campanarum, accenso maiori numero candelarum, adhibita thurificatione ad Magnificat etc., ut moris est in ecclesiis Orientalium. De-

---

cum concione et benedictione SS.mi. Una occasione ceteri sacerdotes confessionibus fidelium usque ad tardam horam occupantur. Nonne hoc communi imitatione dignum?

nique, ad promovendam pietatem fidelium, Vesperas frequentantium, quasdam gratias spirituales seu *ingulgentias* apud Sanctam Sedem erogare.

His itaque in conditionibus Devotio vespertina pridie festorum sollemnium ac Dominicarum, cum frequentia fidelium magnaque utilitate spirituali ubique celebrari posset.

Pro coronide dissertationis huius adiiciendum est aliquid de *horis minoribus* in ecclesiis parochialibus celebrandis. Quaeritur nempe, *an cantus earundem sit possibilis, utilis et necessarius?*

Fatendum imprimis est, in documentis antiquarum synodorum, tam provincialium, quam dioecesanarum, inveniri vestigia, horas minores in ecclesiis parochialibus publice olim cantatas fuisse. Mutatis tamen conditionibus hodiernis, praecipue spectato imminuto numero cleri parochialis multiplicatisque curis spiritualibus, restitutio huius, licet tam laudabilis, consuetudinis, difficilis et onerosa, imo superflua videretur, eo magis, quod loco horarum bene substitui posset cantus a populo sic dicti Officii parvi seu horarum parvarum de ss. Corde Iesu (approb. a S. R. C. et publicae recit. concess. d. 26 Feb. 1901), vel de Immaculata Conceptione B. M. V. (Salve, mundi Domina), de ss. Sacramento vel de aliis mysteriis, tempori vel festo congruentibus. Cum vero omnes fere nationes Officiorum horum interpretationes habeant, ideo non parvo cum fructu spirituali ante initium principalis Missae parochialis diebus Dominicis et festivis decantari possent. Tali modo memoria veteris consuetudinis ecclesiarum restitueretur, et facile in praxi in posterum observaretur.

Omnibus his praemissis, iure merito concludendum videtur: *restitutio antiquae consuetudinis cantandi in ecclesiis parochialibus horas maiores,* maxime vero Vesperas sollemnes in sabbatis et vigiliis festorum, non solum *possibilis,* sed etiam *utilis et necessaria,* sequentibus ex rationibus videtur:

1. ratione restituendae antiquae consuetudinis Ecclesiae;

2. ratione conformandi se menti Ecclesiae et sensui eius Liturgiae;

3. ratione introducendae servandaeque uniformitatis in disciplina liturgica cum Ecclesia orientali;

4. ratione tollendae discrepantiae et varietatis in re cultus publici in singulis dioecesibus et provinciis;

5. ratione conservandae inter fideles memoriae veteris pietatis christianae, et notionis, praestantiorum saltem partium Officii divini;

6. ratione magnae utilitatis spiritualis, provenientis ex participatione populi fidelis in assistentia publicae orationi Ecclesiae, augmenti gloriae Dei in ecclesiis et pietatis christianae in cordibus fidelium.

II.

De solemnitate externa Missae parochialis diebus Dominicis et festivis in ecclesiis minoribus promovenda.

Licet Sacrosanctum Missae Sacrificium, quovis a ritu celebretur, effectum suum infallibiliter producat, ratione tamen maioris aedificationis fidelium et decoris Liturgiae promovendi, desiderandum esset, ut maiori, quam solet, solemnitate externa, in minoribus ecclesiis parochialibus, praesertim diebus Dominicis et festis solemnioribus, ubique celebrari valeat. Bene hoc fieri potest in ecclesiis, ubi plures adsunt sacerdotes vel clerici, qui assistentia sua solemnitatem Missae parochialis elevant. Sed quomodo hoc assequendum in ecclesiis, nullum clericum, nisi solum parochum, habentibus?

Imprimis, si inducatur obligatio Missam parochialem *solemni ritu* celebrandi;

2. si ubique locorum inducatur in praxim indultum adhibendi *thurificationem* tempore eiusdem Missae, saltem in festis primae classis;

3. si, more ecclesiarum orientalium, observetur consuetudo *pulsandi campanas* ad evangelium et elevationem;

4. si populus ad activam participationem in *cantu* immobilium partium Missae (Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus etc.) admittatur;

5. si concedatur indultum maioribus in festis Salvatoris Missam parochialem cum *expositione Sanctissimi* celebrandi vel, saltem, Missa finita, benedictionem cum Eodem perficiendi.

His mediis adhibitis, solemnitas Missae parochialis multo augeretur et Liturgia nostra multo magis maiestatica et decora ubique locorum prae oculis mundi redderetur.

III.

De hora statuta inchoandi officia divina et Missam parochialem in ecclesiis parochialibus.

Cum magna adhuc in provinciis ecclesiasticis vigeat discrepantia et varietas quoad horam inchoandi officia divina, ne excepta quidem Missa parochiali in ecclesiis parochialibus, bono et decori Ecclesiae valde utile esset, ut una eademque, quantum fieri potest, hora, si non ubique locorum, singulis saltem dioecesibus vel provinciis, statuatur. In eligenda tamen hora attendenda esset, non modo vetus ecclesiae hac in re disciplina, sed magis commodum fidelium, hodiernis conditionibus adaequatum. Ita v. g. pro inchoanda Missa parochiali in festis fori magis commoda esset hora neque nimis tempestiva, neque nimis tarda, quae est decima ante meridiem; pro celebratione vero Vesperarum pridie festorum et in sabbatis, magis commoda esset hora tardior, dum populus a negotiis liberatur et domos e fabricis vel agris redit.

(*Continuabitur*).

Praxis liturgica

DE REQUISITIS AD MISSAE CELEBRATIONEM

(Continuatio, V. n. 8 curr. anni, pagg. 496-501)

38. *Stola,* quae non est signum iurisdictionis seu praeeminentiae, sed Ordinis et officii sacerdotalis (1): a) est *praescripta* in conficiendis et administrandis Sacramentis, in expositione et repositione SS. Sacramenti, in processionibus, in benedictionibus, in exequiis Defunctorum, etc. (2); — b) est *permissa* in adoratione SS. Sacramenti (3), in concionibus ubi adsit consuetudo (4), excepta oratione funebri (5), in Officio Defunctorum, etc.; — c) est *prohibita* in divino Officio Hebdomadario, Parocho etc., etiam ad Homelias in nocte Nativitatis Domini (6); si vero ante aliquam Horam canonicam solemniter cantandam facienda sit expositio SS. Sacramenti, vel Benedictio Eiusdem eam immediate sequatur, tunc Celebrans iam ab initio stolam induere potest (7). — Stola, cum super alba induitur, semper ante pectus in mo-

(1) S. R. C. 11 Sept. 1847 ad 5, n. 2956, et 21 Iulii 1855 ad 2, n. 3035.

(2) Cf. Rit. celebr. Mis.; Rit. Rom. et plura decreta S. R. C.

(3) S. R. C. 17 Aug. 1833 ad 2, n. 2709.

(4) S. R. C. 31 Aug. 1876 ad 6, n. 3175, 26 Sept. 1868, n. 3185; 11 Mart. 1871 ad 2, n. 3237.

(5) Caer. Ep. l. 2, c. 11, n. 10, et S. R. C. 14 Iun. 1845 ad 1 et 2, n. 2888.

(6) S. R. C. 4 Aug. 1663 ad 3, n. 1275; 7 April. 1832 ad 1, n. 2689, et 11 Sept. 1847 ad 5, n. 2956.

(7) S. R. C. 19 Sept. 1883 ad 2, n. 3593, et 27 Maii 1911 ad 12 n. 4269.

dum Crucis aptari debet (1); si stola cum superpelliceo adhibeatur, soluta pendebit a collo hinc inde.

39. *Planeta* semper adhibetur in Missa (2); extra autem Missam ferme nullus est eius usus, nisi in functione Feriae VI in Parasceve (praeterquam in discooperitione et adoratione Crucis), sub Prophetiis in Vigilia Paschae et Pentecostes; nec non in choro in functionibus, et in processione cum SS. Sacramento, aliquando ad libitum.

40. *Pluviale* adhibetur in processionibus, et benedictionibus quae fiunt in Altari. Item in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem (3). Cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum, et ubi Pluviale haberi non potest in Benedictionibus quae fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta cum Alba et Stola (4).

Velum humerale quod adhibetur pro benedictione et processione SS. Sacramenti et ad deferendam S. Communionem infirmis, debet esse sericum et album (5); illud autem, quo utitur Subdiaconus ad tenendam patenam in Missa solemni, debet esse pariter sericum et colori paramentornm Missae conforme (6).

---

(1) S. R. C. 30 Sept. 1679 ad 3, n. 1637.

(2) Rubr. gen. Missal. XIX, 1 et 2, et Rit. celebr. Mis. tit. 1, n. 4.

(3) Rubr. gen. Missal. XIX, 3. — Item in aspersione aquae benedictae in Dominicis ante Missam, sive haec fiat cum sive absque Ministris (Rubr. spec. Missal. *in Ord. ad faciendam aquam*).

(4) Rubr. gen. Missal. XIX, 4.

(5) S. R. C. 21 Iulii 1855 ad 4, n. 3031; 26 Mart. 1859 ad 3, n. 3086. Cf. Rit. Rom. tit. IV, c. IV, n. 9; S. R. C. 13 Iulii 1883 ad 1, n. 3582, et 21 Febr. 1896 ad 1, n. 3888.

(6) Rit. celebr. Mis. VII, n. 9; Caer. Ep. l. 1, c. 10, n. 5 et l. 2, c. 8 n. 60. — In Missis autem Defunctorum et Feria VI in Parasceve, patena non tenetur a Subdiacono (Rit. celebr. Mis. VII, n. 9).

42. *Dalmatica* et *Tunicella* utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et in absolutione Defunctorum, quae illam sequitur, in Processionibus et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant (1), exceptis diebus et Officiis in quibus, vel sine eis vel cum planetis plicatis Sacerdoti assistunt (2). — Hinc in Processione et Benedictione cum SS. Sacramento, si fiat cum sacris Ministris, Diaconus et Subdiaconus induunt Dalmaticam et Tunicellam (3); non autem in Officio divino (4), nec in delatione Defunctorum ad Ecclesiam vel ad cemeterium, cum in huiusmodi delatione Diaconus et Subdiaconus sacris vestibus induti non adhibeantur (5).

43. *Colores paramentorum*, quibus utitur Romana Ecclesia, sive in Missa sive in aliis sacris functionibus, sunt quinque, nempe albus, rubeus, viridis, violaceus et niger (6). Colorem tamen *rosaceum* adhibere licet in Missis Dominicae III Adventus et IV Quadragesimae (7). — Usus *flavi* vel *caerulei* coloris omnino prohibetur (8). Pariter reprobantur paramenta

---

(1) Rubr. gen. Missal. XIX, n. 5.

(2) Vide ibid. nn. 6 et 7.

(3) S. R. C. 17 Sept. 1785 ad 1 et 2, n. 2528.

(4) Vide supra, n. 64.

(5) Rit. Rom. tit. VI, c. 3, n. 1 et S. R. C. 23 Maii 1846 ad 8, n. 2915.

(6) Rubr. gen. Missal. XVII, n. 1. Quae Rubrica stricte est servanda (S. R. C. 12 Nov. 1831 ad 50 n. 2682). — Cum Amictus et Alba ex lino aut cannabe conficienda sint, idcirco semper habere debent colorem album. Et similiter dicendum est de superpelliceis.

(7) S. R. C. 29 Nov. 1901 ad 3, n. 4084.

(8) S. R. C. 16 Mart. 1833 ad 4, n. 2704; 23 Sept. 1837 ad 5, q. 1, n. 2769; 23 Febr. 1839 ad 2, n. 2788; 26 Mart. 1859, n. 3082; 5 Dec. 1868 ad 4, n. 3191, et 23 Iun. 1892 ad 3, n. 3779. — Quibusdam tamen Dioecesibus in Hispania, vi specialis indulti Apostolici, usus coloris *caerulei* in Festo, per Octavam Immaculatae Concept. B. M. V. nec non in cunctis sabbatis quibus dicitur eiusdem officium votivum et quoties quidem dicitur eiusdem missa votiva, concessus est.

in quibus habetur confusio colorum (1). Color cuiusque paramenti a fundo stricte loquendo determinatur. — Paramenta ex *auro* contexta possunt adhiberi pro albo, viridi et rubro, non autem pro colore nigro et violaceo (2). Item Pluvialia ex tela aurea confecta pro coloribus *albo* et *rubro* et viridi, et ex tela argentea pro colore *albo* (3). — In paramentis nigris imagines mortuorum vel albae cruces poni nequeunt (4). — Deinceps ad Missam Dominicae, etiam minoris, cum com. festi dupl. ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicae (5); color vero Octavae adhibendus est, quando in ipsa Octava Officium non de Psalterio, sed de Octava sumitur (6).

VI. — **De materia Sacrificii.**

44. Ad Missae Sacrificium valide celebrandum requiritur ut *panis* sit *triticeus* et quidem *usualis*, qualis nempe morali hominum iudicio tantum censetur ille, qui ex farina triticea (7) et aqua naturali mixtus ex igne coctus, atque in sua specie incorruptus est (8). — Insuper panis debet esse azymus, non

(1) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2675, et 23 Sept. 1837 ad 5, q. 2, n. 2769.

(2) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3145; Decr. cit. 5 Dec. 1868 ad 4.

(3) S. R. C. 20 Nov. 1885 ad 2 et 3, n. 3646.

(4) Caer. Ep. l. 2, c. 11, n. 1.

(5) Rubr. nov. Psalt. tit. X, n. 4.

(6) S. R. C. 9 Mart. 1912 ad 1 (A. A. S., IV, 247). — In Communione extra Missam administranda in die Commemor. omnium Fidelium Defunctorum utendum est colore violaceo aut albo (S. R. C. 19 April. 1912 ad 10, A. A. S., IV, 323).

(7) Farina pro hostiis conficiendis minime apud publicos mercatores emenda est, nisi reipsa genuinam vendant; idipsum intellige quoque de vino (Cf. Instr. S. Off., 30 Aug. 1901 ap. Anal. O. Cap., an. 1902, p. 6).

(8) Constat ex Conc. Later. C., *Firmiter;* Conc. Florent. Decr. *Unionis;* Conc. Trident. sess. XIII, ac Rubr. Missal. *De defect.* II, 1 et III, 1.

fermentatus, et recens, ita ut iuxta S. Carolum Borrom. non plus quam unum mensem a sua confectione habeat (1). — Hostiae habeant formam rotundam, et insuper Hostia maior seu Sacrificii imaginem Iesu Christi Cruci affixi habeat, ubi adest consuetudo (2).

45. Praeter panem triticeum, de necessitate Sacrificii Missae est vinum *de vite,* et quidem *usuale* et in sua specie incorruptum (3). — Vinum album pro Sacrificio Missae praeferendum est rubro, propter linteorum munditiem. — Ad conservandum vinum valde recens, licet ei admiscere spiritum (*alcool*) extractum ex genimine vitis, dummodo quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem *duodecim pro centum* (4). Huiusmodi vero admixtio fiat quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere inceperit. Quod si Missionarii illum vini spiritum per se ipsos ex vino istius regionis extrahere non valeant, tunc ipsimet vinum eu uvis exprimant, nimirum uvas passas (*raisins secs*) cum uvis ex ista regione misceant et simul fermentare faciant (5).

46. Vi gravis praecepti admiscendum est vino in Calice offerendo parum aquae naturalis (6), quae numquam tertiam vini partem excedat, etsi vinum sit valde generosum; imo plures Auctores hanc quantitatem non admittunt, si vinum

(1) Panis plus quam a tribus mensibus confectus, saltem hyemis tempore, licite consecrari nequit (S. R. C. 16 Dec. 1826 ad 1, n. 2650).

(2) S. R. C. 26 April. 1834, n. 2714.

(3) Ita ex Decr. cit. Conc. Florent.; Rubr. Missal. *De defect.*, tit. II et IV.

(4) S. C. S. Off. 30 Iulii 1890 ap. Collect. S. C. P. F., n. 706. — Imo S. C. S. Off. d. 5 Aug. 1896, et 22 Maii 1901 permisit pro vinis dulcibus Hispaniae, ut ad 17 circiter vel 18 vis alcoolica gradus increscat (Cf. Ephemerides Liturgicae an. 1901, Act. S. Sedis, XXXIV, 256).

(5) S. C. S. Off. 25 Iunii 1891 ap. Collect. cit., n. 2164.

(6) Conc. Florent. cit.; Conc. Trid. Sess. XXII, c. 7; Rubr. gen. Missal. VII, n. 4; Catech. Rom. P. 2, c. 4, q. 16.

sit parum generosum (1). — Qui autem, loco aquae naturalis, misceret vino aquam rosaceam seu alterius distillationis, licet valide consecraret, graviter peccaret (2).

47. Ad distinguendum vinum ab aqua, et propter munditiem maiorem, iuxta Rubricas (3), requiritur, ut ampullae sint ex vitro vel crystallo confectae, numquam vero ex plumbo aut alio metallo communi. Ampullae ex auro, argento aut alio metallo pretioso permittuntur, ubi adest consuetudo (4).

VII. — De aliquibus defectibus in celebratione Missae occurrentibus.

48. Quidquid validitati, liceitati, sanctitati et decori Missae Sacrificii contrarium exstat, omni diligentia est a Celebrante evitandum: est enim Sacrificium, sanctissimum et tremendum, id est Sacrificium, quod prae sanctitate Sacerdotem facit tremere. — Defectus tamen contingunt aut saltem contingere possunt, et quidem, primo, ex parte materiae, secundo, ex parte formae, tertio, ex parte Ministri seu Celebrantis, et quarto, defectus, qui in ipso Ministerio occurrere possunt.

49. De Defectibus Materiae. — Ad valide et licite celebrandum requiruntur panis triticeus et vinum de vite, et ut utraque species sit integra et incorrupta, et in actu consecrationis praesens. Quidquid huic contrarium est, Sacrificium invalidum aut saltem illicitum reddit, et quantum possibile, in ipso Sacrificio emendari aut corrigi debet. Ergo:

50. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, sed aliis grani speciebus in tanta quantitate admixtus, ut non maneat triticeus, Sacrificium est invalidum. Idem dicendum,

(1) Cf. S. Lig. l. VI, n. 210.

(2) Rubr. Missal. *De defect.* IV, 2.

(3) Rubr. gen. Missal. XX.

(4) S. R. C. 28 April. 1866, n. 3149.

si panis sit corruptus. — Si panis non sit corruptus, sed corrumpi incoeperit, aut si non sit azymus, Sacrificium est validum, sed valde illicitum. — Si panis confectus fuerit non cum aqua naturali, sed alterius fluidi aut distillationis, e. gr. cum aqua ex rosis, etc., Sacrificium dubium est (1).

51. Invalidum est Sacrificium, si vinum factum sit penitus acetum, vel putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel si ei admixtum sit tantum aquae, ut non sit amplius vinum. — Validum vero, sed graviter illicitum, quando vinum incipit corrumpi vel acescere, vel si ei admixtum sit tantum aquae aut alterius liquidi, ut dubium oriri possit, an desierit esse vinum (2).

52. a) Si Celebrans *ante consecrationem* advertit, HOSTIAM esse corruptam, aut non esse triticeam: remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. — b) si id adverterit *post consecrationem,* etiam post illius Hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit: quia praeceptum de perfectione Sacramenti maioris ponderis est, quam quod a ieiunis sumatur. — c) Quod si hoc contingat *post sumptionem Sanguinis,* apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie;* ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo (3).

53. a) Si Celebrans *ante consecrationem* SANGUINIS, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut

---

(1) Rubr. Missal., *De defect.*, III, 1-3.
(2) Rubr. Missal., l. c., IV, 1 et 2.
(3) Ibid., III, 4-6.

aquam, aut utrumque non esse in Calice: debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo,* etc. — b) Si *post verba consecrationis* advertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis: *Simili modo* etc. — c) Si hoc advertat *post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aquae:* apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi cetera (1).

54. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehederet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice. — Si autem Celebrans *ante* consecrationem Calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat *post* consecrationem Calicis: nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti. — Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi: si id sit *ante* consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si *post* consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata; tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum (2).

(1) Rubr. Missal., l. c., IV, 3-5.

(2) Ibidem, IV, 6-8. — S. Lig. l. 6. n. 355 ait, probabiliter censent auctores, qui dicunt non esse ultra expectandum quam per unam circiter horam; alias non censetur unum Sacrificium.

55. De Defectibus Formae. — In celebratione Missae omnia verba clare, distincte et integre pronuntianda sunt; omnis additio, omissio, mutilatio aut immutatio omnino est prohibita. — De essentia pro integritate et validitate Sacrificii sunt sola verba consecrationis, quae sunt pro consecratione Hostiae: *Hoc est Corpus meum*, et Calicis: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Quae si Celebrans *certo recordetur*, se omisisse, aut mutilasse, aut immutasse, ita ut per immutationem idem non significarent, consecrationem speciei (respective specierum) ante sumptionem renovare debet, et etiam post sumptionem unius aut utriusque speciei antequam de Altari discedat, quia integritas Sacrificii praevalet lege ieiunii. — Si Celebrans *non recordetur* se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. — Si vero *valde probabiliter dubitet*, se aliquid essentiale omisisse: iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem illae partes non sunt de necessitate Sacramenti, uti *Gloria, Credo*, etc., non resumat, sed procedat ulterius (1).

56. De Defectibus ex parte Ministri. — Defectus ex parte *Ministri* possunt contingere quoad ea, quae in ipso requiruntur. Haec autem sunt; in primis intentio, deinde dispositio animae, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quae in ipso possunt occurrere (2).

57. Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere: item si aliquae Hostiae ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quae videt: item si quis habeant coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solum

(1) Rubr. Missal., l. c., V, 1 et 2. — Si Sacerdos per errorem super Hostiam proferat formam consecrationis Calicis, resumpta forma consecrationis Hostiae, tenetur iterum proferre formam consecrationis Calicis ad eumdem consecrandum; sed si eo casu hostia non consecrata elevata fuerit, ea non denuo est elevanda ad cavendum scandalum (Ita AA.).

(2) Rubr. Missal., l. c., VI.

decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratae: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet (1). — Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat (2).

58. Si Sacerdos, putans se tenere unam Hostiam, *post* consecrationem (sed ante sumptionem Corporis et Sanguinis) invenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul utramque (3). In hoc tamen casu cum alterutra dumtaxat signa facere debet. — Si autem id advertat, *sumpto iam Corpore et Sanguine, atque etiam ablutione,* tunc Hostiam relictam in Tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumenda una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, seu patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur; quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest ipsemet *(non ieiunus)* sumere (4).

59. Quod si (Sacerdos) deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam ablutionem, reliquias con-

---

(1) Ibid., VII, 1.

(2) Ibid., VII, 4.

(3) Ibid., VII. 2. — Si Sacerdos id advertat *ante* consecrationem, alteram extra corporale seponere debet, eamque, si eius oblatio facta fuerit, sumere post ablutionem.

(4) Ibid. VII, 3; Bened. XIV, *De Sacrif. Mis.*, sect. 2, tit. 147, edit. Lovan.

secratas, eas sumat, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem Sacrificium spectant (1).

60. Circa praedicta sequentia observantur: 1° QUOAD FRAGMENTA HOSTIARUM: a) *ante Missam:* in praeparatione Calicis, Sacerdos Hostiam leviter abstergat, si opus est, a fragmentis (2). — b) *In Missa ante consecrationem:* fragmenta Hostiae adhaerentia, aut ab ea super patenam aut corporale separata, digito ea amoveat, nisi timendum sit ea super patenam aut corporale relicta esse ex praecedenti aliquo Sacrificio, quo casu ea retinebit super corporale et sumet cum purificatione (3). — c) *Post consecrationem:* si Sacerdos ea deprehendat, ea amovere nequit, sed ea colligat ante sumptionem Sanguinis (4). — d) Quod si Sacerdos deprehendat *post sumptionem Corporis et Sanguinis,* aut etiam *post ablutionem,* agit ut supra Rubrica praescribit. — Idem dicendum est de fragmentis, quae remanent, postquam Eucharistiam in fine Missae adstantibus ministraverit (5). — Sacerdote in Sacristia iam reverso post Missam et nondum sacris vestibus exuto, absumenda sunt fragmenta, si quae advertit remansisse in patena; si vero sacras vestes exuerit, quidquid superfuerit e Sacrificio, reponendum est in Tabernaculo, si adsit, sin minus, vel non liceat sine aliqua admiratione populi, absumendum est (6).

61. 2° QUOAD GUTTULAS VINI: a) ad *Offertorium,* imposito vino cum aqua in Calice, congruit et summopere laudabile

(1) Rubr. Missal., l. c.

(2) Rit. celebr. Mis. I, 1.

(3) Ita AA.

(4) Iidem AA.

(5) Bened. XIV, *De Sacrif. Mis.* sect. 2, tit. 147; Ferrar., V. *Missa*, art. 8, n. 26.

(6) Ita Bened. XIV, l. c., tit. 148; Ferrar. l. c., n. 29.

NOTA. Quando Sacerdos certus est, nullum fragmentum visibile fuisse ab ipso relictum super patenam, nihil curandum est de istiusmodi fragmentis (Stimart-Coppin, *S. Liturg. Comp.*, n. 520).

est, ut eum purificatorio extergat a guttis, si adhaereant (1). — b) *Ante Consecrationem:* si guttulae sint vicinae vino in fundo, cum eo uniantur, circumacto vino; si vero sint remotae a fundo, medio digito vel purificatorio abstergantur (6). — c) *Post consecrationem:* si guttae *vini* haereant extrinsecus cuppae Calicis, censeantur non consecratae et abstergantur purificatorio, si interius, tutius censeantur consecratae, et per secundam purificationem assumantur (3).

62. Quoad parvas Hostias in pyxide super Altare positas, sed quibus non attendit Sacerdos tempore consecrationis, sequentia tenenda sunt: a) si pyxis hostiis parvis plena, *sciente et consentiente Celebrante, sit posita intra Corporale,* et non fuerit aperta ante oblationem et consecrationem, illicite quidem id fieret; sed valida esset consecratio, etiamsi quando consecravit, actu de particulis non cogitaret (4). — b) Si forte contingat, ut pyxis deferatur ad Altare, nec Sacerdos illam advertat, adeoque proferat verba consecrationis, nihil cogitans de pyxide, tunc utique, si pyxis non sit supra petram sacram, non censetur voluisse Sacerdos consecrare, alioquin enim censeretur voluisse id quod sibi illicitum est. Quamvis vero sint Doctores qui contrarium censent, ideo in casu tali particulae illae non sunt populo distribuendae, sed asservandae, ut in alia Missa consecrentur (5). — c) Si particulae afferantur ad Altare *post peractam oblationem,* non

(1) S. R. C. 7 Sept. 1816 ad 14, n. 2572.

(2) Auctores.

(3) Bened. XIV, l. c., tit. 150; Ferrar., l. c., n. 25; aliique.

(4) Bened. XIV, l. c., tit. 155 et 156; S. Lig. l. 6, n. 217; Ferr., l. c., n. 32; etc.

(5) Bened. XIV, l. c., tit. 159; Ferrar., l. c., n. 34. — Ferrar. autem cum aliis apud S. Lig. (l. c.) censent eo in casu dictas particulas consecrari posse in alia Missa *sub conditione;* sed hoc mihi non placet, ait S. Lig., quia non videtur adesse iusta causa illas consecrandi sub conditione, cum iam sumi possint. Haec ratio S. Lig. fundata est, si agatur de aliquibus particulis, vel de Hostia maiori pro expositione, non vero si numerus particularum non sit exiguus.

debet Sacerdos illas consecrare sine legitima causa, qualis esset, si adstantes parati essent ad recipiendam Eucharistiam alias carerent Sacramento, tunc Sacerdos deberet prius illas mente offerre ante consecrationem; *coepto iam Canone,* si afferatur particula, non est consecranda, neque pro dando Viatico infirmo, tunc enim sufficeret, si Sacerdos ex sua Hostia parvam portionem separaret (3).

67. Alii defectus esse possunt *ex dispositione animae,* scilicet: 1° Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret: conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quae sibi erat interdicta. — Si recordetur *(post consecrationem)* se esse excommunicatum, vel suspensum, conteratur cum proposito petendi absolutionem. *Ante* consecrationem autem, in supradicto casu, si non timetur scandalum, debet Missam incoeptam deserere (1).

63. 2° Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat. — Si quis in casu necessitatis (2), non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur; debet tamen, cum primum poterit, confiteri. — Si in ipsa celebratione Missae (nempe *post consecrationem*) Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi (3). *Ante* consecrationem

(1) Bened. XIV, l. c., tit. 158; Ferrar. l. c., n. 33. — Sacerdos graviter peccaret, si Hostiam in Missa consecratam reponeret in Tabernaculo, et eius loco sumeret Hostiam quae in eodem Tabernaculo continebatur. Ita ex Can. *Relatum* de Consecr., dist. 2, Bened. XIV, l. c., tit. 151; Ferrar. l. c., n. 30.

(2) Rubr. Missal., l. c, VIII, 1 et 5.

(3) Inter *necessitates excusantes* iuxta Theologos communiter censentur sequentes: 1. periculum mortis ipsius communicaturi; — 2. periculum infamiae; — 3. periculum scandali; — 4. integritas Sacrificii, — et 5. periculum profanationis.

(4) Rubr. Missal., l. c., VII, 2-4.

vero in dicto casu, Missam abrumpere debet Sacerdos, modo non timeatur infamia Celebrantis vel scandalum assistentium, quod ceterum plerumque est timendum (1).

64. Alii tandem sunt defectus *ex dispositione corporis*, nempe, si quis non est ieiunius a media nocte, quamvis in modicissima quantitate per modum cibi, vel potus, vel medicinae quid sumpserit, aut infirmetur, aut moriatur durante celebratione.

65. Si celebrans *ante* consecrationem infirmetur ita, ut de Altari discedere debeat, et spes non affulgeat, ut infra parvum temporis spatium Missam continuare possit, Missa interrumpatur. — Si celebrans *post* consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, graviter infirmetur aut moriatur, alter Sacerdos etiam non ieiunus, si ieiunus non adsit, Sacrificium complere debet (2). Sacerdos vero qui in eo casu Sacrum perficit, eo die ulterius celebrare non potest (3).

---

(1) Cfr. S. Lig., l. 6, n. 262 ; Bened. XIV, l. c., tit. 99.
(2) Rubr. Missal. l. c., X, 3.
(3) S. R. C. 16 Dec. 1823, n. 2630.

Consultationes.

Q. Quid de *argumento et regulis usus* « Gloria in excelsis Deo ».

R. I. Argumentum (1). Hymnus *Gloria in exclesis* lingua graeca primo conscriptus, a diversis forte auctoribus et successivis temporibus adauctus ac mutatus, fuit probabiliter a S. Hilario in linguam latinam versus ac in Occidentem post a. 360 inductus in ea fere forma in qua nobis hodie prostat.

In hymno, prout nunc usuvenit, distinguere licet propositum generale verbis angelicis enuntiatum et tres partes in honorem SS. Trinitatis.

1) Propositum: *Gloria in exclesis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Haec verba ab Angelis in Bethlehem cantata (Luc. II, 14), videntur iam saeculo secundo invaluisse in usu liturgico saltem Ecclesiae Orientalis (2): ibi in liturgiis vix non omnibus occurrit ut acclamatio plebis ad elevationem respondentis ad verba *Sancta Sanctis*, vel ad preces offertorii aut Communionis, vel ad osculum pacis etc.

Haec verba continent non solum explicitam Dei glorificationem, sed et implicitam invitationem ut et nos Deo

---

(1) De hac quæstione vide præsertim Cl. Blume, S. I. *Der Engelhymnus Gloria in excelsis, sein Ursprung und seine Entwicklung* apud Stimmen aus Maria-Laach. t. LXXIII, 1907, p. 43-62 (cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p 543). A. Fortescue, *The catholic Encyclopedia*, v° *Gloria in excelsis.*

(2) Ne minium fidamus verbis Libri Pontificalis adscribentis S. Telesphoro Papae (128-139?) introductionem *Gloria in excelsis* in missa.

gloriam una cum angelis tribuamus. Aptissime igitur huic invitationi subiungitur.

2) *Series acclamationum in laudem Dei Patris.*

Scripturisticae sunt et quasi echo respondent psalmis, quibus christiani frequentissime ad laudandum Deum in liturgicis conventibus invitabantur:

Laudate Dominum.., ps. 148, 149, 150, *Laudamus Te.*
Benedicite... Benedicite... Cant. Trium puer., *Benedicimus Te.*
Adorate Dominum... ps. 28, 2; 95, 9; 98, 9, *Adoramus Te.*
Semen Iacob, *glorificate eum...* ps. 21,24, *Glorificamus.*
In omnibus *gratias agite...* I Thess. 5, 18, *Gratias Tibi agimus.*
Quoniam *magna gloria Domini...* ps. 134, *propter magnam gloriam Tuam.*

Quibus acclamationibus subnectuntur tituli gloriae Dei Patris; *Domine Deus, Rex caelestis, Deus* PATER, *Omnipotens* (1).

3) *Laus et deprecatio ad Deum Filium Salvatorem.*

Inchoatur haec pars encomiis quae immediate praecedentibus valde similia sunt, sed absolvitur humili ac ter repetita prece ut Salvator misertus nostri exaudiat deprecationem nostram nobisque veniam peccatorum et omnimodas gratias largiatur.

a) Laus: *Domine, Fili Unigenite,* IESU CHRISTE, *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris.*

b) Impetratio: *Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.*

4) *Glorificatio finalis trium Personarum SS. Trinitatis.*

Post laudem specialem decantatam in honorem Patris, absolvitur glorificatio specialis Filii et totus hymnus — si-

(1) Similes acclamationes et tituli laudis occurrunt in pulcherrima oratione S. Polycarpi ad martyrium se praeparantis (*Mart. Polyc.*, c. 14), in liturgia matutinali graeca et in oratione vespertina Constitutionum Apostolicarum (BLUME, *o. c.*, p. 58).

cut generatim orationes liturgicae — animum et vocem elevans in glorificationem totius Trinitatis:

Quoniam tu solus Sanctus, tu solus altissimus, IESU CHRISTE, *cum* SANCTO SPIRITU, *in gloria* DEI PATRIS (1).

Ex quibus apparet, *Gloria in excelsis* merito vocari *a*) *hymnum* sensu latiori et antiquiori quo a S. Augustino definitur hymnus « cantus cum laude Dei » (2); *b*) *hymnum angelicum,* ratione verborum quae angeli cantaverunt in Nativitate Christi; *c*) *doxologiam* h. e. formulam glorificationis Dei Unius Trinique, voce graeca δόξα (gloria) incipiens; *d*) *doxologiam maiorem*, ut distinguatur a consueta et breviori doxologia *Gloria Patri et Filio* etc.

Nemo non videt in pulcherrimo hoc hymno perbelle exprimi quatuor fines orationis liturgicae, et speciatim sacrificii: adorationis nempe et gratiarum actionis in Deum, pro nobis vero impetrationis veniae *(qui tollis peccata... miserere nobis)* et omnimodi boni *(suscipe deprecationem nostram).*

Quamvis hymnus angelicus tardius tantum fuerit in missam invectus et connexionem intimam inter *Kyrie eleison* et *Orationem* missae aliquatenus scindat, non incongrue locus ei assignatur ante orationem, ut — iuxta praxima consuetam in liturgia — prius Deum laudemus quam ab Ipso gratias efflagitemus.

Notatu dignum est, hymnum angelicum in tam multis convenire cum *Te Deum* (3) ut duo hymni « fratres gemelli » non immerito vocentur.

a) Utriusque hymni thema est laus Dei in unione cum angelis cantatibus *Gloria* in Bethlehem vel *Sanctus* in visione Isaiae (VI, 3).

---

(1) Censet doctissimus Blume, hymnum fuisse primo compositum in laudem Dei Patris, et saec. IV post luctas arianas et Pneumatomachas ita fuisse mutatum ut cresceret in doxologiam totius SS. Trinitatis.

(2) Sermo in ps. 148, n. 17.

(3) Cf. Dom CABROL, *Le Livre de la prière antique,* ch. XI et ch. XII.

b) Sicut *Gloria in excelsis* a verbis angelorum exordium sumit, ita hymno ambrosiano praemittitur in nonnullis antiquioribus documentis (1) primus versus psalmi: *Laudate, pueri, Dominum.*

c) In utroque hymno eaedem vel similes sunt priores acclamationes, cum directa allocutione Dei et repetitione verbi *Te, Tua, Tibi, Tu.*

Laudamus Te — Te Deum laudamus.
Benedicimus Te — Te Dominum confitemur.
Adoramus Te — Tibi omnes Angeli; Tibi...
Glorificamus Te — Sanctus... Plena est terra gloria tua.

d) Sicut *Gloria,* ita et *Te Deum* complectitur acclamationes in honorem Dei Patris (v. 1-10) cum doxologia explicita SS. Trinitatis (v. 11-13) et glorificatione speciali Iesu Christi Salvatoris et Iudicis (v. 14-19), qui finali supplicatione exoratur (v. 20-21).

e) Inde a v. 22 additur in hymno ambrosiano series versuum ex psalmis 27, 9; 144, 2; 122, 3; 32, 22; 30, 2. A pari, in nonnullis antiquioribus documentis (3) hymno angelico adnectuntur versus similes, et notatim ille qui solus non est scripturisticus: « *Dignare, Domine,* die isto *sine peccato nos custodire* » (2), ex quo apparet utrumque fuisse hymnum matutinalem.

f) Et revera saec. V. et VI invenimus in diversis ecclesiis aut *Gloria* aut *Te Deum* usitatos fuisse hic in missa (3), alibi in Laudibus aut in fine officii nocturni (4).

Quod in specie hymnum angelicum attinet, a Romano Pontifice Symmacho (498-514) praescriptus est pro missa

(1) Ita in Antiphonario Benchoriensi ex saec. VII.

(2) V. g. in celeberrimo S. Scripturae Codice Alexandrino (s. V.) et in Antiphonario Benchoriensi (s. VII).

(3) Idem versus occurrit in precibus ad Primam, et similiter, sed mutatis verbis « Dignare, Domine, *nocte ista...* » in precibus ad Completorium.

(4) Cantamus adhuc Trisagion *Sanctus...* et in missa et in *Te Deum.*

Nativitatis Domini (ratio obvia est). Postea admissus est in missis omnium dominicarum (est enim hymnus laetitiae et gloriae optime conveniens gaudio et gloriae resurrectionis Christi) et festorum (quae ob gaudium natalis Sanctorum, imitantur officium dominicale), sed reservabatur solis episcopis (3). « A presbyteris autem minime dicitur nisi solo in Pascha » (4) et « in die ordinationis » (5). Attamen inde a saec. XI dicitur a presbyteris sicut ab Episcopis (6).

Ex quibus penitius intelligentur rubricae nostrae hodiernae.

II. Regulae usus. Statuunt Rubricae Generales, VIII, 3: « *Gloria in excelsis* dicitur quandocumque in Matutino dictus est hymnus *Te Deum,* praeter quam in missa Feriae V in Coena Domini et Sabbati Sancti, in quibus dicitur *Gloria in excelsis* [quia illae missae festivae celebrant institutionem SS. Eucharistiae aut resurrectionem Domini], quamvis in officio non sit dictum *Te Deum* [quia his diebus officium commemorat passionem et mortem Salvatoris] ». Ratio assimilationis utriusque hymni satis elucet ex praecedentibus.

Quia uterque hymnus est laudis et gloriae et laetitiae, dicitur *Gloria in excelsis* in specie:

A. *In missis officio conformibus* seu non votivis:

1) in omnibus dominicis, exceptis temporibus poenitentiae, h. e. infra Adventum, et a Septuagesima ad dominicam palmarum inclusive;

2) in omnibus festis, excepto festo SS. Innocentium,

---

(1) Cf. v. g. regulae S. Caesarii, S. Aurelii, S. Benedicti; PSEUDO-ATHANASIUS, *De Virginitate*, 20.

(2) Exinde intelligitur quare Episcopus in solis missis pontificalibus in quibus cantatus fuerit hymnus *Gloria in excelsis Deo et* PAX HOMINIBUS, statim post hymnum salutet fideles non cantando *Dominus vobiscum*, sed Pax *vobis*.

(3) Ita Sacramentarium Gregorianum, initio.

(4) *Ordo S. Amandi* editus a DUCHESNE, *Origines du culte chrétien,* app. I.

nisi venerit in dominica (1) aut celebretur sub ritu duplici I classis (2);

3) in feriis temporis Paschalis, excepta missa processionis in Rogationibus, quae induit characterem poenitentiae et subtrahitur influxui gaudii resurrectionis.

B. *In missis votivis* seu *officio non conformibus* per se non dicitur.

In quantum enim hae missae non respondent officio et festo quod eadem die celebratur, in tantum etiam non sunt participes characteris festivi gaudii, qui proprius est officio correspondenti. Et ideo *regula generali* per se non dicitur *Gloria;* per accidens vero dicitur ratione alicuius specialis solemnitatis aut relationis ad festum occurrens.

1) *In specie* autem dicitur *Gloria in excelsis* (Miss. Rubr. Gen. VIII, 4):

a) in votivis solemnibus pro re gravi, et generatim in iis quae sunt privilegiatae ad instar solemnium; pro his inspiciatur tenor specialis concessionis;

b) in iis missis quae respondent officio, quod hac die non integre celebratur, sed tamen commemoratur, et quae ideo nunc vocari solent missae *festivo-votivae* (3): ut sunt v. g. votivae quae de B. Maria Virgine aut aliis Sanctis celebrantur infra illorum Sanctorum octavam, quando temen officium non est de octava (4); aut quae celebrantur in ipso festo Sancti quando officium eiusdem Sancti habet tantum commemorationem, puta S. Theclae die 23 septembris;

c) in votivis etiam privatis de Beata, si celebrentur in die Sabbati, quia haec dies est quasi dies festus B. Ma-

---

(1) *Ordo Romanus I; Micrologus* (a Bernone Constantiensi conscriptus † 1048).

(2) Qua de re cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 521, nota 5.

(3) Sequitur ex rubrica in novo *Ordinario* officii divini ante *Te Deum* posita.

(4) Cf. *Collat Brug.*, t. XIV, p. 266, et p. 423, nota 3.

riae V. hebdomadarius, in quo recitari consuevit officium B. M. V.;

d) in votivis de Angelis, ob prima hymni verba.

2) Non autem dicitur *Gloria in excelsis* in ceteris votivis privatis nec in votivis pro sponso et sponsa; nec in missis *Requiem* aut in ullis votivis quae celebrantur in colore violaceo.

C. CALLEWAERT.

Q. *Quaenam sit dicenda Praefatio pro diversitate missae et Temporis?*

R. Dum in Oriente textus praefationis seu initii anaphorae non mutatur, in antiquis liturgiis Occidentalibus, et notatim Romae, magna varietate sese accommodabat diversis temporis et festorum adiunctis. Ita in sacramentario Leoniano assignantur praefationes numero 267, fere totidem quot ibidem inveniuntur missae diversae, et continent allusiones mirae varietatis ad tempus liturgicum, ad Sanctum vel mysterium quod recolitur, imo interdum ad eventus historicos speciales. In sacramentario Gelasiano remanent praefationes 54 diversae, et in Gregoriano decem tantum, quibus Gallicani tamen alias centum et ultra addiderunt.

In missali a Pio V reformato admissae fuerunt 10 praefationes e Gregoriano sacramentario desumptae et praefatio de B. Maria Virgine, quae composita videtur a Romano Pontifice Urbano II (1088-1099).

Rubricae igitur quaedam necessariae sunt quibus regatur usus singularum praefationum, pro genere et natura sua. Quas regulas ex Ordine Missae (ante singulas Praefationes), ex diversis missis, ex pluribus decretis et novis rubricis (t. X, n. 4) colligere et sequenti modo ordinare fas est pro diversis praefationum speciebus:

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 36 s. Decr. n. 3922, V, 1; 2; III, 3; 4020.

A. Praefationes de tempore, h. e. *festis Domini* et *specialibus anni temporibus propriae:*

1. *De Nativitate Domini* « dicitur a [die] Nativitatis usque ad Epiphaniam (praeterquam in die octava (1) S. Ioannis apostoli) et in Purificatione B. Mariae (2), in festo Corporis Christi et per octavam (3), nisi in ea eccurrat festum quod propriam praefationem habeat. Item in Transfiguratione Domini, et in festo SS. Nominis Iesu [et S. Familiae] necnon in missis votivis de SS. Sacramento [de Nomine Iesu aut S. Familia] ». In missa *Egredimini* de SS. Corde Iesu dicitur generatim praefatio de Nativitate Domini, quae tamen locum cedit praefationi de Cruce in missis votivis a Septuagesima usque ad Pentecosten.
2. *De Epiphania* dicitur in festo et per octavam.
3. *De Quadragesima* dicitur a feria IV Cinerum usque ad sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive;
4. *De Passione et S. Cruce* quae dicitur in Dominicis et feriis a Dominica Passionis usque ad feriam V in Coena Domini inclusive et in missis [festivis aut votivis] de Cruce et de Passione, de Pretisissimo Sanguine aut

(1) Qua die dicenda est praefatio Apostolorum. Haec tamen dicenda non est in missa ipsius festi S. Ioannis Apostoli (vide infra), sed tunc dici debet praefatio de Nativitate Domini sub cuius octava occurrit ipsum festum.

(2) Primis saeculis, festum diei 2 Februarii habebatur ut festum Domini, pertinens ad cyclum Nativitatis eius. In hodierna liturgia plura sunt, praeter praefationem, quae directe ingressum Domini recolunt v. g. epistola quae est lectio Malachiae prophetae c. III, ex qua desumuntur invitatorium et capitula officii; introitus, Collecta et Graduale missae; quinta oratio benedictionis candelarum.

(3) Etiam in *Dominica* infra Octavam. Cf. n. 3989 et Nov. Rubr. VII, 4, coll. S. R. C. 9 mart. 1912, ad I. Eadem regula applicanda est pro Dominicis infra octavas Nativitatis, Epiphaniae et Ascensionis (Nov. Rubr. I, 2).

Cruore, de Oratione Christi in monte Oliveti et de Instrumentis Passionis, necnon in missa *Miserebitur* de SS. Corde.

5. *Paschalis* dicitur a Sabbato Sancto (1) usque ad Ascensionem exclusive. In missa Sabbati Sancti dicitur: « in hac potissimum *nocte* » ; in die Paschae usque ad Sabbatum in Albis inclusive: « in hac potissimum *die* » et deinceps: « in *hoc* potissimum [sc. tempore] gloriosius ».

6. *De Ascensione* dicitur a die Ascensionis usque ad vigiliam Pentecostes exclusive.

7. *De Pentecoste* dicitur a vigilia Pentecostes usque ad sabbatum sequens inclusive; necnon in missis votivis de Spiritu Sancto, in quibus tamen omittuntur verba « hodierna die ».

Nota sedulo:

1) Praefationes sub A quibusdam festis assignatas dicendas esse pariter infra octavas, si festa cum octava celebrari contigerit, v. g. in dioecesi Brugensi, festum Transfigurationis (n. 3624, 2), etiamsi commemoratio octavae omittenda esset ob occurrens festum duplex I aut II classis, quod propriam praefationem non habet (n. 2439, 2).

2) Praefationes de Tempore sub A indicatas dicendas esse:

a) semper in missis de illo tempore, aut de praefatis festis vel octavis;

b) et etiam in aliis missis festivis vel votivis illo tempore occurrentibus, nisi hae missae habeant sibi propriam praefationem, aut in eis facienda sit commemoratio festi quod gaudeat propria praefatione, et dignius est officio de tempore.

B. Praefatio dominicalis, de SS. Trinitate, dicitur:

---

(1) Missa enim Sabbati Sancti sicut et vigiliae Pentecostes est missa anticipata *ipsius* festi sequentis. Missa autem ceterarum vigiliarum est missa diei *praeparationis ad* festum sequens.

a) in festo SS. Trinitatis et in votivis eiusdem;

b) in omnibus Dominicis per annum (h. e. extra tempora supra sub A determinata; cf. n. 2515, 6), nisi occurrat festum aut octava festi Domini, aut nisi celebretur in Dominica missa votiva solemnis aut festiva quae habeat praefationem propriam.

Praefatio de SS. Trinitate iuxta novas rubricas (tit. X, n. 4) habenda est ut *praefatio propria Dominicarum per annum*. Et ideo etiamsi in missa de Dominica facienda sit commemoratio festi vel octavae B. Mariae V. vel apostoli, iam non est dicenda, ut olim, praefatio SS. Trinitatis (S. R. C. 30 dec. 1911, ad II; 9 febr. 1912, ad III; 22 martii 1912, ad VI).

C. Praefationes festis Sanctorum propriae:

1) *De Beata Maria V.* dicitur in festis et missis votivis B. Mariae V. excepto festo Purificationis.

In hac praefatione nomen mysterii vitae B. M. V. quod celebratur exprimendum est eo modo quo in Missalis rubrica tum in Ordine Missae tum in singulis missis de Beata exprimitur.

2) *De Apostolis* dicenda in festis Apostolorum et Evangelistarum (praeterquam in die S. Ioannis Apostoli) necnon S. Barnabae, qui in liturgia apostolis aequiparatur et apostolus nominatur.

Nota, has praefationes etiam dici in diebus hebdomadae (non in Dominicis) infra respectivas octavas, nisi *a*) occurrat festum propria gaudens praefatione, aut *b*) dicatur missa de feria maiori, cui propria est aliqua praefatio de tempore v. g. quadragesimalis (1).

D. Praefatio Communis dicitur:

a) per annum (h. e. extra tempora sub A designata) in omnibus festis et feriis quae propriam non habent;

b) in omnibus missis defunctorum.

II. Praecedentes rubricae obviae sunt pro casu quo vel nulla vel unica est ratio ut eligatur quaedam praefatio

(1) S. R. C. 19 April. 1912, ad XII.

propria seu specialis. Sed quid faciendum quando in una die vel missa, ratione temporis vel Dominicae, vel festi aut octavae, vel commemorationis, plures simul occurrunt rationes quae suam quisque diversam praefationem postulant (1)?

A. Principium est ut praefatio seligatur secundum sequentem praelationis ordinem ex novis Rubricis collectum:

a) ea quae est vel habetur propria missae celebrandae;

b) propria missae officii quod ceteris praevalet et prius commemoratur (S. R. C. 22 mart. 1912, ad VI, 19 aprilis 1912, ad XIII);

c) propria de tempore;

d) communis.

B. Ad huius principii applicationem nota:

a) pro die Dominica *propriam* haberi praefationem de tempore vel de festo aut octava festi Domini, secus de SS. Trinitate (30 dec. 1910, ad II);

b) pro missa feriali, ut *propriam* haberi praefationem de tempore, si adsit, v. g. de quadragesima, Passione aut Paschate (19 apr. 1912, ad XII).

C. **Unde practice:**

1° *In Dominica: a*) si celebretur missa de Dominica: praefatio de tempore — vel de aliqua octava festi Domini — vel de SS. Trinitate (30 dec. 1911, ad II);

b) si vero celebretur missa de festo: praefatio propria festi (v. g. Apostolorum) — secus ea praefatio quae dicenda esset in missa de Dominica occurrente (S. R. C. 22 mart. 1912, ad VI; 9 feb. 1912, ad III),

2° *In feriis: a*) si missa dicatur de feria: praefatio de tempore, si adsit, etiamsi commemoretur festum propria praefatione gaudens (19 april. 1912, ad XII), — secus propria festi vel octavae prius commemorati (24 maii 1912, ad VI, 1°). — Si non adsit, communis;

(2) Disciplinam recentioribus decretis stabilitam vide summatim expositam apud *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 776.

b) si dicatur missa de festo vel octava: praefatio propria festi vel octavae — secus de tempore — secus communis.

3° *In missis votivis:* praefatio propria missae (v. g. de Cruce, de Apostolis) — qua deficiente, ea quae pertinet ad officium prius commemoratum, v. g. de octava, vel de B. Maria Virgine in Sabbato (19 apr. 1912, XI) — secus de tempore — secus communis.

4° *In missis de Requiem* semper communis.

C. CALLEWAERT.

Q. *In Dominica in Albis, quinam primus sit psalmus ad Primam dicendus.*

R. Licet ad huius dubii solutionem satis decretoria videatur Psalteri rubrica, quae praeponitur tam psalmo *Confitemini* quam alteri *Deus, in nomine tuo* in Dominica ad Primam, non tamen semper in eamdem sententiam scriptores devenerunt *Ephemerid. Liturg.*, et ideo, si placet, meam exponam.

Ni fallor, prior rubrica dividit Dominicas in tres partes, scilicet: 1° Dominicas quae non sibi vindicant psalmum *Confitemini,* seu occurrentes infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi; 2° Dominicas quae gaudent hoc psalmo, seu omnes Dominicas minores et maiorem Dominicam in Albis; 3° Dominicas maiores a Septuagesima ad Dominicam Palmarum, quae loco huius psalmi habent Ps. *Dominus regnavit* et *Iubilate.*

En ceterum textualiter ipsius rubricae verba: « Antiphona *cum Psalmis* per annum ac tempore paschali, ad horas minores assignata, adhibetur semper, extra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et SS.mi Corporis Christi, quando fit de qualibet Dominica minori, ac *de maiori Dominica in Albis.* A Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum inclusive... ad Primam, loco sequentis Ps. 117 *Confitemini,* dicuntur Ps. 92 *Dominus regnavit* et 99 *Iubilate...* ».

Ergo in dubium revocari nequit assignatio Ps. *Confitemini* uti primi *in Dominica in Albis* recitandi ad Primam.

Addas eamdem colligi veritatem ex altera rubrica ante Ps. *Deus, in nomine tuo* inserta; nam infra Octavas, si de eis fiat officium (quod verificatur in Dominicis solis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, quarum officium est de Octava) dicitur ad Primam *Deus, in nomine tuo* loco Psalmi 117 *Confitemini.*

Ephemerid. Scriptor quidem (p. 348) obiicit secundariam inscriptionem « in Octava Paschae » quae in Missali praeponitur Dominicae in Albis, et item in Breviario; sed Gatterer S. I. cui subscribimus, in suo doctissimo libro « Annus Liturgicus » opportune respondet: Sive historiam, sive textus sacros consideres, haec inscriptio non diem octavum festi resurrectionis Domini denotat, sed diem octavum paschae regenerationis neophytorum. Mos enim antiquus erat festive celebrandi baptismum collatum in Paschate *per integrum octiduum,* et expresse ad rem venit sacramentarii gelasiani sequens collecta, in Dominica in Albis habita: « Concede, quaesumus, ut quorum nunc regenerationis sacrae diem celebramus octavum etc. ». Addas praelaudatam Dominicam minime indolem octavae resurrectionis Domini prae se ferre; etenim in Missa nec Graduale nec Prosa *Victimae paschali,* nec ad *Ite, missa est* « alleluia » reperiuntur, et in officio iam tres nocturni apparent cum antiphonis et hymnis de Tempore. Denique rubrica generalis, Tit. VII, n. 2, declarat: « In Pascha resurrectionis et Pentecoste officium octavae terminatur *in sabbato* ad Nonam ». Quapropter expressio « in Octava Paschae », vel intelligenda est in sensu antiquitatis tantum, vel eliminanda et uti Rubricae repugnans et textibus huius Dominicae non consentanea.

Hinc in vanum abeunt omnes auctorum considerationes in contrarium expositae p. 348, et in quadam nova Breviarii editione haud iure indicatur Ps. *Deus, in nomine tuo* ad Primam Dominicae in Albis.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Roman. Censor.

BREVIORA RESPONSA

Pro Odvorco in Hungaria. — I. Nullum extat decretum pro Praenotandis in Calendariis, sed ea pro opportunitate sunt iuxta liturgicas regulas conficienda.

II. Communio populi, sensu decreti S. R. C. n. 4177, III, etiam in superpelliceo et stola coloris Officii, ante vel post Missam conventualem prohibita est. Namque prohibitionis ratio in eo posita est, quod nequit interrumpi actio choralis, per functionem choro extraneam. Unde, si Missa conventualis est post Nonam celebrata, et desinit choralis Officiatura, bene poterit S. Communio in stola, recedente eo qui Missam conventualem celebravit, distribui. Poterit etiam id fieri ante vel post Missam cum cantu, etiam solemnem, quam non praecedit aut sequitur Hora canonica, ab alio Sacerdote cum superpelliceo et stola, vel etiam ab ipso celebrante, antequam sumat, vel postquam dimiserit ss. paramenta.

III. Bene poterit in sensu decreti diei 24 Maii 1912, IV, Missa vocari propria in Calendario, cuius partes de Communi quod non pertinet ipsi Sancto, de quo agendum est, accipiuntur; quia reipsa non est communis, scilicet non pertinet ad alios Sanctos eiusdem ordinis, v. g. ad Martyres, dum Sanctus de quo agitur est Confessor.

IV. Rev.mo Ordinario pertinet decernere, utrum conveniat expositionem fieri SS.mi Sacramenti a mane usque ad vesperum in duabus parochiis eodem die.

V. Infra octavam SS. Cyrilli et Methodii, non est legendum in secundo nocturno *De Sermone S. Ioannis Chrysostomi,* nisi aliquo ex diebus praecedentibus, forsan 9, lectum sit: *Sermo,* ipsius Sancti Ioannis, qui in Octavario invenitur quarta die.

VI. Patronus Provinciae ecclesiasticae habet *Credo* in Missis, si reipsa tamquam Patronus in sensu liturgico ex

indulto datus est. Quia, de iure communi, Symbolum datur Patronis principalibus loci, dioecesis, regni seu nationis et provinciae civilis. M.

Pro Anglia. — I. Feria sexta post octavam Ascensionis D. ad Vesperas debet prius fieri commemoratio de sequenti Sabbato, et postea de S. Antonino simplificato, quia id praecipitur a regulis concurrentiae. Sumenda vero est commemoratio e primis Vesperis Dominicae praecedentis, quia indicatur in propria rubrica quod Officium eorum dierum requirit antiphonam illius Dominicae, et quia non concurrente feria cum feria, sed Officio Sancti cum feria, debet rursus incipi Officium feriae quae sequitur, iam a primis suis Vesperis.

II. Si in dioecesi X Episcopus totaliter suppressit festa Maternitatis, Puritatis et Patrocinii B. M. V., nihilominus Indulgentiae pro iis festis concessae remanent, dummodo festum exterius iis diebus, nempe Dominicis II, III, et IV Octobris, celebretur. Indulgentia enim sequitur festum exterius, et non liturgicum.

III. Occurrente Vigilia die aliqua infra octavam, potest ad libitum dici Missa de Vigilia cum commemoratione octavae, quia octava etiam venit sub nomine festi, in casu. M.

E Galicia. — Si Nativitas B. M. V. est Titulus ecclesiae cathedralis, in ecclesia ipsa dies octavus recolendus est sub ritu duplici maiori, est enim reipsa festum duplex primae classis primarium; quod requiritur, ut octava fiat sub duplici maiori. Id valet non modo si agitur de ecclesia regulari, quae Calendarium sequitur dioecesanum, sed etiam de ecclesia cuius Regulares Calendario proprio utantur; ratio autem est, quod nequit concipi distinctio inter festum duplex primae classis, et eius octavam secundae classis. M.

Pro Eggenburg in Austria. — I. Color rosaceus in Dominicis *Gaudete* et *Laetare* est facultativus, et quia in rubricis Missalis de eo nulla fit mentio, non minus est legitimus. Post declarationem a S. R. C. factam circa eius usum in Officiis, et etiam in Missis lectis eorum dierum, putamus

quod, occasione revisionis rubricarum Missalis, in hoc de eo futura sit mentio. M.

II. Ratio, ob quam *Ephemerides Liturgicae,* n. 7, pag. 432, IX, h. a., dixerunt, non esse repetendas lectiones festi in die octava Immaculatae Conceptionis Deiparae, est Ecclesiae voluntas, praesertim in recentioribus documentis, saltem de facto manifestata, ut de Scriptura occurrente, quantum fieri potest, legatur; nunc vero, cur brevissimo temporis spatio eadem lectiones essent repetendae? Hodie vero opinio nostra penitus approbata est in *Mutationibus* a S. R. C. vulgatis die 11 Iunii currentis anni, pag. 73.

III. Si in festo ritus duplicis commemoratur octava Ascensionis D., et octava Titularis Ecclesiae, B. M. V. Auxilium Christianorum, prius facienda est commemoratio de Ascensione, utpote de festo duplici primae classis Ecclesiae universalis.

IV. Iam a Vesperis et Completorio Sabbati ante Dominicam III Adventus est dimittenda doxologia de B. M. V., si Officium fit de ea, uti disponunt rubricae ultimo reformatae (Vide *Mutationes* etc., superius citatas, pag. 8, tit. 7, n. 1.

VI. Pro diebus infra oct. S. Ioseph, lectiones sumendae sunt prout iacent iuxta siugulos dies, videlicet, feria secunda, illae quae primae vice post festum assignantur; Sabbato, quae ultimo loco assignantur, etiamsi infra ipsam hebdomadam alii dies liberi remaneant. M.

Ex archidioecesi Olomucensi. — I. Calendarista noster pro Ecclesiis Metropolitana Olomucensi et Collegiata Cremsiriensi, ubi viget obligatio chori, ad diem 20 Septembris, Sabbatum Quatuor Temporum autumnalium, anni currentis, sequentem posuit adnotationem: In fine Missae de feria legitur Evangelium S. Ioannis ordinarium. Quaeritur: Estne potius in fine huius Missae de feria legendum evangelium Vigiliae S. Mathaei Apostoli et Evangelistae iuxta novissimas Rubricas Tituli X, ad 3: « Quoties extra Ordinem Officii cantetur vel legatur Missa..... etc. » ?

II. Iuxta decretum S. R. C. n. 2378 ad 2 potest festum Ss. Cyrilli et Methodii, Patronorum Moraviae (5 Iul.) ratione feriationis habere primas Vesperas integras cum commemoratione praecedentis, S. Procopii Abbatis, Ecclesiae Titularis (4 Iul.). Quaeritur: Potestne iuxta citatum decretum etiam dies Octava Ss. Cyrilli et Methodii habere primas Vesperas integras vel habet eas a capitulo tantum?

III. De nova Calendarii Gregoriani reformatione. — Si adoptando Calendarii Gregoriani reformationem, de qua recensent Ephemerides liturgicae in duobus ultimis fasciculis anni currentis, festum Nativitatis Domini quolibet anno iuxta opinionem clarissimi P. V. ab A. per duplicem diem sub dato 25 Decembris sub praecepto celebraretur, dubium exoritur sequens: Qua die celebrandum est festum Circumsionis Domini et Octava Nativitatis, utrum die 31 Decembris, an 1 Ianuarii, si attendatur, duplicem diem sub dato 25 Decembris, liturgice quidem unicam diem constituere, revera esse dies duas?

IV. Occurrit festum Patroni provinciae cum feriatione eadem die Dominica, die 15 Octobris, cum festo Anniversarii Dedicationis Ecclesiae. Quaeritur: Quale officium agendum est sequenti die Dominica, 22 Octobris in hocce casu? Rectène agitur de die Octava Anniversarii Dedicationis cum commemoratione Dominicae et diei Octavae Patroni, etsi de Patrono fit die Dom. 15 Octobris et de Anniversario fer. II, 16 Octobris iuxta decretum S. R. C. 3881, ad 2.

Resp. Ad I. Uti alias dictum est in hisce *Ephemeridibus*, ultimum evangelium erit de Vigilia S. Matthaei, quia, uti probavimus, illud comma intelligendum est cum verbo *etiam* extra ordinem; et sane si est in ordine, iam Rubricae provident: v. gr. Missa de Ss. Eustachio etc., de quibus fit officium, cum com. et evangelio in fine de Vigilia.

Ad II. Negative, quia in octavam feriatio nullum habet influxum. Neque dicendum est, octavam participem esse qualitatum diei festi; quia etiam si hoc in omnibus verum esset, haberemus tamen, Dominicam per se semper

feriatam, quae praevaleret alteri duplici maiori de Patrono cum feriatione.

Ad III. Si dies addititius esset *alter 25* Decembris, ab hoc et non a *primo 25* decurreret octava, quae sic incideret, uti nunc, in diem 1 Ianuarii. Si vero dies addititius esset *Primus dies anni* et non *1 Ianuarii*, non in hunc, sed in illum incideret octava.

Ad IV. Affirmative, quia in casu Anniversarium Dedicationis Ecclesiae non censetur reliquisse, tamquam festum, diem suam, etiamsi officium ipsius transferendum sit ad feriam II sequentem. Nunc vero Officium octavae festi Domini subrogatur Officio Dominicae, quod ratione sui praevalet Officio octavae S. Patroni. M.

Ex Abbatia S. Bernardi in Bornhem. — Abbatia nostra duas habet parochias incorporatas et a monachis Abbatiae administratas: sitae sunt in Dioecesi Bredana in Hollandia. Ab hinc paucis annis in utraque parochia aedificatae fuerunt novae ecclesiae parochiales. Episcopus, cum illas consecraret ecclesias, in ipso actu consecrationis, anniversarium Dedicationis earum affixit Dominicae IV Iulii, quia, iuxta Kalendarium Dioecesanum, illâ Dominicâ tunc temporis celebrabatur Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum Dioecesis globatim, praeter Cathedralem. Iam vero anno praeterito dictum Kalendarium Dioecesanum, approbante S. Rituum Congregatione, revisum fuit, et, expuncto Anniversario Dedicationis Cathedralis Dominicae III Iulii olim affixo, Anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum Dioecesis ex Dominica IV Iulii affixum fuit Dominicae III eiusdem mensis. Nunc quaeritur, utrum in duabus supradictis parochiis regularibus, quae sequuntur Kalendarium Cisterciense a Kalendario Dioecesano prorsus differens, Anniversarium Dedicationis ecclesiae parochialis regularis affixum maneat Dominicae IV Iulii, prout indixerat Episcopus consecrans, an potius in posterum celebrandum sit Dominica III Iulii.

Resp. Anniversarium Dedicationis praedictarum ecclesiarum recolendum est Dominica III Iulii; quia ad hunc

effectum, cum Cistercienses (uti apparet ex casus expositione) non celebrent Dedicationem Omnium Ecclesiarum Ordinis, ecclesiae parochiales potius Ordinario dioecesano subiciiuntur, quam Superiori Regulari. Hinc, considerato quod si fieret de Dedicatione Ecclesiarum istarum diebus a Consecratore assignatis, hae et recederent ab uniformitate hodie praescripta in Kalendario diocesano, et nullimode Kalendario Ordinis suffragarentur, rectus sensus docet, esse novae Sacr. Rituum Congregationis dispositioni obtemperandum. M.

Pro dioecesi Bambergen. in Bavaria. — I. « Notanda » in Tabellis occurrentiae et concurrentiae novissimae, sub 2, dicunt (*Ephem.* 1912, pag. 151): « Festa dupl. I cl. primaria universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet festo... Item festa Dedicationis et Tit. propriae Ecclesiae cedunt tantummodo praedictis Duplicibus I cl. primariis Universalis Ecclesiae ». Hic non invenitur clausula: « ceteris paribus », quae v. gr. legitur in Tit. II novarum Rubricarum Psalterii 2, e) *de Proprietate Festorum.* Ergo festum Dedicationis Ecclesiae propriae, quod est festum Domini primarium I cl., cedit etiam *minoribus* Universalis Ecclesiae festis, *ratione dignitatis personae*, scil. Immaculatae Conceptionis B. M. V., *Annuntiationis*, Assumptionis B. M. V., Nativ. S. Ioannis, festis *S. Ioseph*, Ss. Petri et Pauli, ac Omnium Sanctorum. Rectene?

II. Si forte Dies Octava Solemnitatis Sancti Ioseph, simul cum die Octava Dedicationis Ecclesiae propriae venerit in Dominica IV post Pascha, Officium erit de Die Octava Dedicationis Ecclesiae cum Commemoratione Dominicae et Octavae Solemnitatis S. Ioseph. Rectene?

Resp. Ad I. Affirmative; quia festa primaria I cl. universalis Ecclesiae sunt paris iuris, quamvis disparia inter se, quando occurrunt vel concurrunt cum aliis festis vel Officiis.

Ad II. Affirmative, non ratione dignitatis Officii octavae Dedicationis, sed quia etiam haec octava est festum

Domini, quod officio Dominicae subrogatur. Octava autem S. Ioseph non praevalet, quia non secumfert ritum duplicem I cl., sed tantum dupl. mai. M.

Pro Salutiis. — I. Occurrente Semiduplici, in Quadragesima, absque ulla exceptione, nequit cantari Missa votiva ex causa privata; quia lex de servandis antiquis regulis circa Missas cum cantu, in novis Rubricis, lata est tantummodo pro Missis defunctorum. Decretum diei 8 Februarii 1913 id confirmat.

II. Die infra hebdomadam, quo reponenda est Missa Dominicae, quae fuit impedita a festo duplici I vel II classis, prohibentur Missae lectae quotidianae pro defunctis, et insuper Missae quaecumque votivae, lectae vel cum cantu privatae, iuxta dispositionem tituli X novarum Rubricarum, n. 2, et Decreti S. R. C. diei 6 Dec. 1912, ad I. M.

Pro dioecesi. N. — I. Altaria e *cemento armato*, uti vocant, nequeunt consecrari, quia mensa, sive tabula altarium esse necessario debet ex naturali petra vel lapide.

Neque admittuntur ex *schisto*, quia haec materia, quamvis massa naturalis, non est vera petra aut lapis, est nimirum massa terrea ex argilla seu creta, non ergo petra vel lapis.

II. In oratione *A cunctis* nequit nominari Sanctus Patronus minus principalis. Ubi tamen existeret vetus consuetudo, haec poterit servari, eo vel magis quod non agitur de re gravioris momenti, prout esset si in Missa adderetur oratio specialis illius Sancti.

III. Si die secunda Novembris, in Commemoratione scilicet solemni Omnium fidelium defunctorum, habeatur expositum SS.mum Sacramentum pro Oratione quadraginta horarum, nequit cantari Missa de requie; sed si extet obligatio Missae conventualis cum cantu, vel suspendatur expositio tempore Missae: quod non putamus nocere Indulgentiis orationi adnexis, vel Missa conventualis legatur, in colore violaceo, prout aliae: ratio enim huius derogationis videtur sufficiens in casu. M.

Pro regione Canadensi. — Si prima feria sexta alicuius

mensis incidit festum aliquod primae classis, aut festum Domini, videretur debere tribui praedictae Missae privilegia Missae votivae SS. Cordis Iesu, sed usque dum per S. R. C. res positive non declaretur, putamus id fieri proprio marte non posse. M.

Pro Alma Urbe. — De commemoratione Dominicae infra hebdomadam suam, quando officium fit de feria. Infra hebdomadam occurrit officium de feria, in qua celebro Missam votivam, debeone in Missa addere orationem de Dominica?

Resp. Distinguendum est inter Missam Dominicae anticipatae, et Missam Dominicae praecedentis reponendam. Si agatur de Dominica anticipandá, uti fit de Dominicis quae supersunt post Epiphaniam, et de Dominica XXIII post Pentecosten, tunc Missa est revera Missa de die, ideoque de ea fieri debet commemoratio si celebretur alia Missa, non vero votiva, quae iuxta novas Rubricas nunc est prohibita. Idem dicendum est de Missa Dominicae posticipatae infra Octavam Nativitatis et Epiphaniae. Item quando agitur de Missa Dominicae resumenda infra suam hebdomadam, tam in casu quo in sua die celebrari non potuit, ob occurrentiam Duplicis I vel II classis, quam in casu quo Missa Dominicae dicatur in aliqua feria libera, cum feriae per annum et Adventus Missam propriam non habeant, sed eam sumant ex praecedenti Dominica, de huiusmodi Missa Dominicae agenda est commemoratio, si dicatur alia missa agitur enim de de Missa quae concordat cum officio diei, quae ex Rubricis commemorari debet. P.

E Placentia. — Congregatio N. habet calendarium Cleri Romani, exceptis octavis Tituli et Dedicationis basilicae Lateranensis, adiectis nonnullis festis propriis ipsius Congregationis. Quaeritur ergo, num alumni Congregationis qui extra Romam habent domicilium, teneantur agere festum S. Bartholomaei apostoli die 25, vel 24 Augusti?

Resp. Si huiusmodi quaestio agitata fuisset antequam s. Sedes abstulisset feriationem in festis Apostolorum, procul dubio, respondi debuisset, quod extra Romam festum S. Bar-

tholomaei etiam ab utentibus calendario Cleri Romani, agenda foret die 24, ratione feriationis. Siquidem, Regulares tenentur ad celebrationem festorum, quae cum feriatione recoluntur in locis ubi degunt, ratione celebrationis Missae quae a plebe Christiana audiri debet de eodem festo, ita ut inducant in proprio calendario festa ipsa, si alio titulo iam non habent, ergo et festa illa, quae in proprio calendario diversa die inscribuntur, celebrari debent ea die qua in populo revera cum feriatione recoluntur.

Attamen, post reductionem festorum a Pio vii peractam, initio saeculi xix, festum s. Bartholomaei, amisit feriationem per totum orbem; cum autem extentio calendarii Cleri Romani facta fuerit post hanc amissionem, Regulares, eodem calendario utententes, in praxi coeperunt celebrare festum huius apostoli, die 25 ut fit in Urbe.

Notandum tamen est, quod idem Pius vii et S. R. C. per et plurima decreta posteriora, declararunt, quod soppressio festorum, acta fuerat tantummodo in solatium fidelium, ne a nimia multitudine festorum impedirentur ab operibus necessariis pro sua sustentatione, non vero ut aliquid detraheretur circa iura liturgica quae iisdem festis adnectuntur.

Adde, quod in novissimis Rubricis novi Breviarii a SS. D. N. Pio Papa x adprobatis (tit. II, n. 1, lit. b.) declaratur, quod magis solemne reputatur festum quod celebretur *cum feriatione etiam reducta, vel sublata*. Ergo, licet sublata sit feriatio festi s. Bartholomaei, nihilominus manet cum suis antiquis iuribus liturgicis, ideoque consideratur quasi adhuc honorem haberet feriationis.

Itaque, hisce omnibus attentis, respondere censemus, quod Regulares utentes calendario Cleri Romani, si extra Urbem domicilium habent, celebrare debent festum s. Bartholomaei die 24 augusti, prout celebratur in loco, non vero die sequenti 25.

Neque aliquis dicat, quod regulares, accipientes usum calendarii pro Clero Romano, illud accipere debent prout

iacet, ulla sine mutatione, quia, sicut ipsi aliud officium celebrant diebus 13 augusti et 16 novembris, in quibus Clerus Romanus respective agit diem octavum Transfigurationis, et Dedicationis Basilicae Lateranensis, ita bene possunt officium diversum agere diebus 24 et 25 augusti, neque non diebus, quibus occúrrunt Patronus loci, Titulus et Dedicatio Cathedralis, et festa propria Ordinis. P.

Pro Bavaria. — I. Utrum in feriis privilegiatis, in quibus commemoratur aliquod officium duplex, dicendum sit suffragium, et III oratio in Missa.

Resp. Procul dubio in feriis quibuscumque, nisi sint IV Cinerum, vel II, III, vel IV maiori hebdomadae, vel illa in quam anticipanda est Dominica II post Epiphaniam, impossibile est quod habeatur aliquod duplex commemoratum, nam in casu fit officium de duplici (imo et de semiduplici) cum commemoratione feriae. Itaque quaestio proposita, valet tantummodo pro dictis feriis IV Cinerum, maioris hebdomadae et alia. Attamen, cum tempore passionis, cesset suffragium, et non habeatur III oratio in Missa, quaestio nostra restringitur tantummodo ad feriam IV Cinerum et de Dominica praedicta, in qua habetur suffragium, et III oratio in Missa, et si occurrat in ea aliquod duplex maius vel minus, de eo fit commemoratio.

Qui legit novas rubricas tit. VII, n. 4, supponit quod suffragium, et III oratio in Missa, omittenda sunt, quando occurrit commemoratio duplicis, tantummodo in Dominica; ideoque, nos ipsi in nostro commentario in Constitutionem « Divino afflatu » (in fine n. V) docuimus quod in feria IV Cinerum, non esset omittendum suffragium in officio, etiamsi occurreret alicuius duplicis commemoratio, eo quod nec III oratio in Missa sit omittenda. Attamen S. R. C. suis decretis 22 martii, et 19 aprilis 1912 statuit, quod in Missa de feria Quadragesimae, celebrata ad normam novae rubricae (tit. X, n. 2), post commemorationem duplicis occurrentis, addi non debet oratio *A cunctis;* ergo, dicta rubrica, non est tantummodo applicanda ad Dominicas, in quibus occurrere potest

duplex simplificatum, sed etiam ad Missas feriales. Ergo iuxta S. Rituum Congregationem, III oratio in Missa, non est nota Missae ferialis, tam propria, quae numquam omitti possit. Igitur ex hoc principio descendit corollarium, quod etiam in feria IV Cinerum et feria in quam anticipatae Dominica II post Epiphaniam, si commemoratur aliquod duplex, omitti debeat suffragium ad Laudes, et III oratio in Missa. Nil ergo mirum, si in nova rubrica novissime emendata (tit. VII, n. 3) res ista apprime declarata fuerit.

II. De Herdt (S. Lit. Prax. II, n. 362) docet quod *Pater noster* infra Horas semper dicendum sit absque *Amen* in fine; quid ergo faciendum in Matutino Tridui mortis Domini, et Defunctorum, dum recitatur *Pater noster* ante lectiones?

Resp. Procul dubio, quando dicitur *Pater noster* infra Horas secreto, vel etiam elata voce ut in precibus Laudum ferialium, ita tamen, quod duae ultimae petitiones dicantur alternatim ab hebdomadario, et a choro, numquam post *Sed libera nos a malo,* additur *Amen.* Quando vero dicitur secreto per totum, ut in fine Horarum, *Amen* non omittitur.

Porro etiam in Matutino, tam in Triduo mortis Domini, quam Defunctorum, cum dicatur totum secreto, nemo omittit *Amen* in fine, iuxta solitum.

Ad III. Calendarista dioecesis R., applicavit principium in decreto 19 Aprilis 1912 expositum. Quoad enim fieri potest, de Scriptura legendae sunt lectiones in I Nocturno; etiam iuxta mentem Pontificis in sua bulla *Divino afflatu,* ideoque, potius quam in die 6 februarii legere de communi, lectiones omissas die 3 indicavit. Attamen in casu, lectiones fer. 2 in feria 3, et feriae 3 in feria 5 legendae erunt.

Ad IV. Si infra hebdomadam post Dominicam III Adventus alicubi agantur festa Sanctorum, procul dubio, die 16 Decembris, in festo s. Eusebii, legendae erunt lectiones de feria II praecedenti, ita ut lectiones de feria III, legi possint alia die in officio de Sancto (fer. IV, vel V.), et sic lectiones feriae V, in feria VI (vel in sabbato); si vero ut patet, sequentibus diebus post s. Eusebium, fiat de feria,

tunc lectiones feriae II praecedentis, hoc anno, sunt omittendae, non enim ulla adest ratio aliter faciendi.

Ad V. Negative, scilicet cum Vesperae diei 13 decembris sint de seq. Dominica, ad Completorium adhiberi nequit doxologia de octava, quia non quadrant cum *Expectatione* ciuus mysterium recolitur toto tempore Adventus. Erravit toto ergo coelo, calendarista qui posuit: *Qui natus*, ad Primam in Dominica III adventus; nam rubrica nona (Tit. VII, n. 1) et decretum 30 dec. 1911 clarissime aliter disponunt. Idem dic de II vesp. eiusdem Dominicae III, eamdem ob rationem. P.

ADNOTATIONES

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis, iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912.

(Continuatio, V. n. 8 curr. anni, pagg. 502-505)

Lex ista applicari potest tantummodo festis universalis ecclesiae, quae ritu duplici ij classis cum octava recoluntur, nam festa universae ecclesiae, quae ritu j classis cum octava celebrantur, numquam locum cedere possunt aliis festis particularibus, ut explicite declaratur in 2° ex his notandis; vide quae ad rem diximus supra in nota 2. Itaque lex ista non valet nisi pro festis kalendarii universalis, Nativitatis b. Mariae, s. Stephani, s. Ioannis evangelistae, ss. Innocentium et s. Laurentii.

(10) Quae hic diximus de die octava festi universalis ecclesiae, dicendum est etiam de festo alicuius dioecesis, vel Ordinis, duplicis ij classis, quod cum octava celebretur, quando eodem die occurrat aliquo in loco ipsius dioecesis (vel in aliqua ecclesia eiusdem Ordinis) festum j classis cum octava. Oportet enim, ut tota dioecesis, ob rationem supra allatam, eodem die celebret octavam.

In dioecesi mea placentina datur casus. Die 17 ianuarii per totam dioecesim agitur festum s. Sabini episcopi placentini, cui s. Ambrosius scripta sua corrigenda mittebat (Op. omn. s. Ambrosii ed. mediol. 1883, vol. 5, p. 511 et seq.), ritu duplici ij classis cum octava. Quia vero nonnullae habentur in eadem dioecesi ecclesiae s. Antonio ab. dicatae; iis in ecclesiis agi debet de s. Sabino die sequenti 18, et die 24, in die octava s. Antonii titularis, agenda est commemoratio diei octavae s. Sabini.

Attamen alicubi casus dari potest, quod etiam in aliquo festo duplici j classis, eadem lex servari debeat. Ex gr. patres Franciscani agunt festum s. Dominici ritu j classis cum octava; si autem in aliqua ecclesia ipsius Ordinis, die 4 augusti, occurrat festum Titularis, fit de eodem Titulari, et officium s. Dominici recitatur die sequenti 5, manente octava in die 11. Ratio est, quia festum s. Dominici, in casu, minus proprium est, quam festum Titularis, ideoque istud illi praevalet.

(11) Dies octava transferri nequit a sua die, etiam quando quodcumque festum habens octavam, accidentaliter impediatur. Vide quae in praecedenti nota 9 docuimus, et apprime cohaeret cum antiqua rubrica breviarii, ibi citata.

8. Quando dies Octava, quae ad Festum Domini non pertineat, incidit in Dominicam, fit de Dominica cum Commemoratione diei Octavae (12); attamen, si in Sabbato praecedenti celebratum fuerit aliquod Festum Duplex maius vel minus, aut Semiduplex, in Vesperis fit Commemoratio ipsius Festi, et postea diei Octavae, per Antiphonam et Versum e I Vesperis Festi; quod si in eodem Sabbato actum fuerit Officium de die VII infra Octavam, tunc in Vesperis fit Commemoratio ipsius diei VII per Antiphonam et Versum e II Vesperis Festi, nil vero de die Octava (13).

(12) De die octava, quae ad Domini festum non pertineat, si in aliqua dominica occurrat, iam supra dictum est, fieri debere officium de ipsa dominica, cum commemoratione octavae; si vero agatur de die octavo alicuius festi Domini, etiamsi fuerit secundarium, fit de die octavo, cum commemoratione dominicae. In casu enim officium octavae Domini, officio dominicae subrogatur.

(13) Hoc autem loco tandem aliquando rubricae aperte disponunt, quid sit agendum in vesperis sabbati praecedentis. Antiquitus enim accepta fuerat doctrina Gavanti, qui, retinens quod dies infra octavas non haberent primas vesperas, et ideo neque dies septimus habere posset secundas, ob concurrentiam cum die octavo, docebat, quod occurrente die octavo aliquo in dominica maiori, vesperae sabbati praecedentis celebrandae erant de feria, a capitulo de dominica, cum commemoratione diei octavi.

Hoc aperte decernabatur in rubrica, quae in breviario habebatur die 14 decembris, in casu quo dies octavus Immaculatae conceptionis occurreret in dominicam iij Adventus. Attamen hodie res aliter est accipienda; cum enim, post S. R. C. decretum in Atrebaten. 5 iun. 1908 n. 4219 recognita fuerit doctrina contraria, quam nos revocantes doctrinam Guyeti, pluries docuimus in Ephemeridibus Liturgicis (vide Commentarium in Constit. *Divino afflatu* in nota 54) dies infra octavas habent ius tum ad 1, tum ad 2 vesperas; ideoque etiam dies vii, quando dies viii ita impediatur, ut integrum officium suum habere nequeat, suas vesperas secundas habet; remoto enim obice diei viii, reviviscit ius diei vii, ideoque res hodie summopere declarata est, ad mentem S. R. C. quae clarissime demonstratur in citato suo decreto.

Hoc sensu ergo decretum suum dedit S. R. C. die 13 dec. 1895 ad 4, n. 3876, hisce verbis: « Quum die 8 septembris faciendum sit de s. Hadriano M. ecclesiae Titulo, die 9 eiusdem mensis fiat de Nativitate b. Mariae, absque integra octava, prout fit Romae in diaconia s. Hadriani, translato festo duplici illa die occurrente in primam diem liberam, iuxta rubricas »; quod profecto cohaeret cum antiquis principiis liturgicis. Licet autem in indice decretorum (pag. 320), ubi reassumitur praedictum decretum, in fine dicatur: *hoc est speciale indultum,* nihilominus huiusmodi additio sententiam privatam auctoris ipsius indicis manifestat, non vero mentem S. R. C. Dato enim quod consuetudinem diaconiae s. Hadriani, in exemplum prolatam, uti

privilegium ipsius diaconiae acceperit auctor indicis, proculdubio non constat, voluisse S. R. C. huiusmodi privilegium (si esset privilegium et non lex) extendere ad omnes ecclesias s. Hadriano dicatas. Ratio est; quia cum S. R. C. aliquod privilegium contra leges liturgicas concedit, audire debet mentem Summi Pontificis: quoniam vero in citato decreto, nulla prorsus mentio fit de *facto verbo cum SS.mo,* dicendum est, quod S. R. C. explicare voluit legem, per exemplum diaconiae romanae prolatum, non vero, aliquod concedere *privilegium.*

Attamen quae hucusque disseruimus, videntur obstare legi, quae habetur in nota 7, quam hic exponendam suscipimus: in ea enim legimus: *Quando festa universalis ecclesiae, quae cum octava celebrantur, ob impedimentum perpetuum, in die proxime sequenti sint reponenda, non ideo reponitur eorum dies octava, quae in universa ecclesia sua die recoli debet.* Quia expresse agitur de impedimento *perpetuo,* et tamen dicitur *non esse transferendam diem octavam* in casu; nova lex ista contradicere videtur nostrae doctrinae supra expositae.

Nihilominus si res bene attendatur, nullam exhibet oppositionem nova lex ista, nostrae sententiae, imo, ut videbimus, apprime eam confirmat.

Siquidem, hic agitur de festo universalis ecclesiae, quod aliquo in loco impediatur a festo locali nobiliori; vult ergo ecclesia ut per totum orbem dies octava concelebretur ab omnibus, quia, ait lex nova: *in universa ecclesia sua die recoli debet.* Exemplum praedictum ecclesiae s. Hadriani rem magnifice explicabit.

In ecclesia enim s. Hadriani M., agitur eius festum sua die 8 septembris, et officium Nativitatis b. Mariae recitatur sequenti die 9. Si bene attendatur festivitas Nativitatis, scilicet praeceptum audiendi sacrum, et abstinendi ab operibus servilibus, in sua die fixa manet, etiam in ecclesia s. Hadriani; ergo ibi, die 9, non festum Nativitatis, sed tantummodo eius officium reponitur. Itaque, si Nativitatis

octava agenda esset in praedicta ecclesia, non die sua 15 septembris, sed die 16, non amplius esset octava diei festi, sed nona, ut patet, quia festivitas Nativitatis celebrata est, licet sine officio, die 8.

Hac de causa, ita restringere debemus, ea quae ad rem scripsimus in nostra Expositione rubricarum *(loco citato)*, ut sententia, quam ibi sustinuimus, valeat quidem quando perpetuo reponitur *officium et festum*, non vero quando reponitur tantum *officium*.

Ut autem dignoscatur quando *festum et officium* reponatur, et quando solummodo officium, novae rubricae, quas hic exponimus, implicite exhibent; agunt enim de festo, vel ecclesiae universalis, vel totius dioecesis vel Ordinis, quod revera in sua die manet, quoad festum, sed die sequenti officium eius celebratur. Exemplum rem melius explicabit: in pago, quem vocant Lugagnano placentinae meae dioecesis, ecclesia parochialis dicata est s. Zenoni episcopo, et quando festum Immaculatae Conceptionis agebatur sub ritu ij classis, in loco fiebat de sancto Titulari die sua 8 decembris, et officium Immaculatae agebatur die 9, cum octava sua commemorata die 15 octava ipsius Titularis, prout nova lex praescribit.

Postquam vero Leo xiij (an. 1883) solemnitatem Immaculatae elevavit ad ritum j classis, in pago Lugagnani coeptum est celebrari festum s. Zenonis Titularis die 9. Cum autem, non tantum *officium*, sed etiam *festum* eo in loco recolatur ea die, necessario dies eius octavus pariter sequenti die repositus fuit, nempe die 16; in casu enim non agebatur de simplici translatione, seu repositione, sed de vera *mutatione*.

Exemplum hocce rem apprime illustrat, ita ut quotiescumque ego in mea ecclesia repono tantummodo *officium* alicuius festi, quod pertinet ad totam Ecclesiam, vel ad totam meam dioecesim, tunc eius diem octavam non repono in sequenti die, sed, simul *cum tota ecclesia*, vel *cum tota dioecesi* octavam, sua die servatam, concelebro per sim-

plicem commemorationem, ut patet, in officio diei octavi sancti mei Titularis: quod si e converso festum universalis ecclesiae, vel dioecesis, in sua die maneat affixum, et ego in mea ecclesia alia die repono seu muto festum meum particulare, tunc procul dubio, cum die mutata festi, mutatur etiam dies octavus.

Duo tamen casus opportune hic proponuntur, vel enim in sabbato praecedenti actum est de aliquo festo, vel de die septimo infra octavam. Si actum fuit officium alicuius festi, quod fuerit ritus j aut ij classis, tunc de ipso die septimo nulla facta est commemoratio, ut patet; ideoque in secundis vesperis eius, dies septimus plane non concurrit, et de eo controversia nulla in casu esse potest. Si autem actum fuerit aliquod festum duplex maius vel minus, aut etiam semiduplex, tunc in praedicto festo facta esset commemoratio ipsius diei septimi in secundis vesperis, nisi concurreret dies octavus. Concurrente ergo huiusmodi die octavo, in vesperis sabbati (quae sunt primae vesperae sequentis dominicae) agenda erit commemoratio diei octavi, ritum duplicem habentis, et nihil de die septimo, ut patet: et tunc pro commemoratione diei octavi, sumenda erit antiphona et versus e primis vesperis festi.

Quod si in sabbato actum fuerit officium de die septimo, tunc res aliter se habet: etenim, in vesperis dominicae sequentis, agenda erit commemoratio diei septimi, quia vere concurrit, et tunc, semper ad mentem citati decreti in Atrebaten., sumenda erit pro commemoratione antiphona et versus e secundis vesperis festi, agitur enim de secundis vesperis ipsius diei septimi; nil vero agendum erit de die octavo, ne bis fiat de eodem obiecto, ut patet.

9. Quando occurrunt accidentaliter duo Festa, vel duae Octavae, in honorem eiusdem Personae, fit Officium de Festo, vel de Octava nobiliori, sine Commemoratione alterius, nisi agatur de mysteriis Domini

diversis. Similiter si infra Octavam aliquam non privilegiatam occurrat sive accidentaliter, sive perpetuo, Festum de eadem Persona, fit Officium de Festo sine Commemoratione Octavae, dummodo non agatur, ut supra dictum est, de diversis Domini mysteriis; uti si infra Octavam Dedicationis Ecclesiae occurrat aliquod Festum particulare D. N. I. C., duplex maius; hoc enim in casu fit de Festo cum Commemoratione Octavae (14).

(14) Hic agitur de occurrentia tantum accidentali, nam occurrentia perpetua dari nequit; et sane, si duo festa perpetuo occurrant una eademque die, de nobiliori fit in sua die, de alio vero, fit repositio. E contra, si agatur de occurrentia accidentali, tunc res aliter se habet. Etenim, si festa simul accidentaliter occurrentia, sint de diversa persona, tunc iam omnes sciunt quit sit agendum; tabula enim aperte dicit, quid fieri debeat; si vero agatur de occurrentia accidentali duorum festorum, quae ad eamdem personam pertineant, tabella nihil dicit specialiter, ideoque regula hoc loco ponenda erat. Igitur de duobus festis, ex. gr. de B. M. V. simul occurrentibus, fieri debet officium de festo *nobiliori,* sensu quo supra declaravimus, de alio vero, nihil fieri debet, neque sola commemoratio, Ratio est, ut omnibus patet, quia de eadem persona bis fieri nequit. Aliter vero dicendum est, si agatur de duobus festis Domini, vel enim festa Domini pertinent ad idem mysterium, et tunc fit de nobiliori festo, nil vero de alio: quod si agatur quidem de duobus festis Domini, non vero de eodem mysterio, tunc recte fit officium de nobiliori festo, cum commemoratione alterius. Ex. gr. Dedicatio ecclesiae occurrit eadem die cum festo Ss. Redemptoris, ambo sunt quidem festa Domini, non autem ad idem pertinent mysterium, ut patet: Dedicatio obiectum habet Deum Unum et Trinum, aliud festum solam secundam Personam Ss. Trinitatis; ergo in casu, officium fit de Dedicatione, cum commemoratione Ss. Redemptoris.

Quod hic dicitur de duobus festis, dicendum est quoque de festo occurrente, infra aliquam octavam quae pertineat ad eamdem personam. Ex. gr. infra octavam Nativitatis b. Mariae, occurrit festum eius Nominis, et ideo fit de festo; sine commemoratione octavae. E contra, quando infra octavam Epiphaniae occurrit Anniversarium Dedicationis ecclesiae, fit de dedicatione, cum commemoratione octavae, agitur enim, ut diximus, de duobus festis Domini quidem, sed de diversis mysteriis.

10. E contra si in die Octava non privilegiata occurrat Festum eiusdem Personae, et eiusdem ritus, diversi tamen mysterii ut supra, in occurrentia accidentali fit de Festo cum commemoratione Octavae, in occurrentia vero perpetua, fit de die Octava, et Festum alia die iuxta Rubricas reponitur (15).

(15) Huius Rubricae dispositio pendet ex regula quam pluries dederat S. R. C. suis decretis; 22 iul. 1818 n. 5135 ant. coll. ad 2, et 17 sept. 1853, n. 5194 ant. coll. ad 4. Licet enim huiusmodi decreta expuncta fuerint ex novissima collectione, nihilominus vim legis habere adhuc videntur, quia adfuit semper exemplum festi Nominis Mariae, quando incidebat cum die octava Nativitatis; quod exemplum proponitur tamquam regula ab eadem S. R. C. in alio suo decreto 12 sept. 1840, n. 4900 ant. coll. ad 2.

Cl. A Carpo in nota (pag. 251 *Bibliot. lit.*) hanc defendit doctrinam, quam hauserat ex Cavalerio (T. 2. c. 18, decr. 8), qui citat aliud decretum antiquum d. d. 15 novemb. 1685 editum a Merato.

Cavalerius enim haec habet: « Hinc generalis exurgit regula, non transferendi festum duplex maius occurrens in die octava, quoties utrumque officium ad eundem attinet sanctum ». Nunc autem in novis rubricis huiusmodi doctrina, quae implicite saltem, post novam decretorum collectionem non admittenda esse videbatur, tamquam lex est observanda.

Opportune autem renovata fuit lex ista, eo quod, in casu, officium festi locum tenet officii diei octavae, quae ad eamdem personam pertinet, uti fit in diebus octavis nobilioribus, Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, ita ut officium festi, subrogetur officio diei octavae.

Iuxta tamen locutionem huiusce rubricae, lex ista valet tantummodo, quando tam festum occurrens, quam dies octava, sint eiusdem ritus. Clausula ista pendet ex novissima dispositione circa ritum dierum octavarum: nam, cum hodie dies octavus duplicis primae classis, celebretur sub ritu duplici maiori, et dies octavus duplicium secundae classis, sub ritu duplici minoris, agitur officium de festo, dummodo sit saltem eiusdem ritus. Si enim dies octava sit duplex maius, et festum sit duplex minus, fit de die octavo, cum commemoratione festi. Ceterum, cum casus, de quo loquitur rubrica ista, dari possit tantummodo inter festum et diem octavum, quae pertinent ad Dominum et B. Mariam, ritum habere nequeant duplicem minorem, semper in casu agendum erit de festo cum commemoratione diei octavi.

Haec omnia, ut patet, accipienda sunt si agatur de occurrentia accidentali, nam si agatur de occurrentia perpetua, procul dubio fieri debet de die octavo, et de festo fieri repositio iuxta rubricas.

11. Si autem duo Officia eiusdem Personae simul concurrant (nisi agatur de mysteriis Domini diversis, ut supra), si sint diversi ritus aut nobilitatis, fit totum de nobiliori, sine Commemoratione alterius; in paritate autem ritus et nobilitatis fit totum de praecedenti, sine Commemoratione sequentis. Attamen in die Octava Corporis Christi II Vesperae sunt de ipsa Octava, sine Commemoratione sequentis Festi Ss. Cordis Iesu (16).

(16) In concurrentia lex alio principio regitur. Si enim duo festa eiusdem ritus et nobilitatis pertinent ad eamdem personam, et ad idem mysterium, tunc vesperae integrae

sunt de praecedenti, sine commemoratione sequentis. Hoc iam definitum fuerat a S. R. C. decreto n. 2514. Quae regula est prorsus singularis, quia, si inspiciatur nobilitas vesperarum, ceteris paribus, primae vesperae nobiliores sunt quam secundae; ideo sub hoc respectu, fieri deberet de sequenti festo, iuxta solitum, sine commemoratione praecedentis. Attamen aliter res se habet ex speciali ista dispositione, quae continetur in citato decreto legislatoris, forsan quia officium festi praecedentis, est in sua die, pleniore iure.

Regula tamen ista observari debet si agatur de duobus festis eiusdem personae, et etiam eiusdem mysterii; si enim de diverso mysterio agatur, tunc vesperae fiunt de praecedenti cum commemoratione sequentis, eadem ex ratione.

Rubrica hoc loco ponit tamen exceptionem dicens: *in die octava Corporis Christi secundae vesperae sunt de ipsa octava sine Commemorations sequentis festis Ss. Cordis Iesu.* Huiusmodi exceptio pendet ex mera voluntate S. R. C. quando sub ritu duplicis I classis clebrari mandavit festum s. Cordis, tunc enim explicite iussit, ut nihil detrahendum esset de officio diei Octavi Ss. Corporis Christi, de quo erunt agendae, ut antea, integrae vesperae; ideoque nihil de sequenti festo, cum idem mysterium respiciat.

12. Si Patronus loci praecipuus vel secundarius, aut Titularis Ecclesiae, vel etiam Sanctus, cuius in Ecclesia habeatur insignis Reliquia, descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a Sociis separandus. Si vero illis coniunctus est ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a Sociis separatur, et de eo agitur Festum sub ritu competenti.

Si agatur Festum de Patrono praecipuo vel de Titulari, et Socii sint cum eo descripti in Kalendario sub

ritu Simplici, de Sociis nihil penitus fit; si vero agatur Festum de Patrono secundario vel de Sancto, cuius Reliquia insignis habetur, tunc de Sociis fit Commemoratio. Quod si inscripti sint in Kalendario sub ritu duplici vel semiduplici, tunc Socii alia die celebrantur, iuxta Rubricas, sub ritu, quo in Kalendario inscribuntur (17).

(17) Notandum 12 ad tabellas, vera est et particularis rubrica, quae in generalibus non invenitur, eiusque dispositio in aliis minime continetur. Agitur in ea, de sanctis, qui separandi sunt a sociis, eadem die in calendario inscriptis. Notandum huiusmodi, inductum est in breviarium, sub Clemente viij, mutatum fuit anno 1884, post breve Leonis xiij *Nullo umquam*, et denuo in rubricarum recognitione anni 1897; hodie vero iterum reformatum fuit, iuxta novas rubricas, et iuxta S. R. C. decreta 3431, et 4037 infra citanda. Pretium est operis, quatuor diversas huiusce rubricae versiones, hic prae oculis lectorum subiicere, ut invicem eas conferre possimus.

Antiqua

QUAE VIGUIT AB ANNO 1631 USQUE AD 1884.

Si occurrat ut patronus vel titulus ecclesiae, descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis, in ea ecclesia fit tantum de patrono vel titulari absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici vel semiduplici, transferuntur in primam diem simili officio non impeditam, et de eis fiat officium semi-

Prima Nova

QUAE VIGUIT AB ANNO 1884 USQUE AD 1898.

Si occurrat ut patronus vel titulus ecclesiae, descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis, in ea ecclesia fit tantum de patrono vel titulari. Alii si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici minori, non tamen alicuius ecclesiae doctoris, vel semiduplici de eis nihil fit (1). Si autem sint de maioribus festis aut docto-

(1) In prima rubricarum emendatione anno 1883 facta, hoc loco legebatur: *de eis fit commemoratio in utrisque vesperis et laudibus iuxta rubricas*. Quae commemoratio, cum in duplicibus 1 classis sit prohibita, anno sequenti denuo emendata fuit.

duplex, nisi tamen sint de maioribus festis, quia tunc de translato quoque fiet officium duplex ac si proprio die celebraretur. Si vero in calendario omnes sint tamquam festum simplex, de illis nihil fit.

Secunda Nova

QUAE VIGUIT AB ANNO 1898 USQUE AD 1912.

Si accidat ut patronus loci, vel titulus ecclesiae, descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis, qui separari queant, in ea ecclesia, vel in loco fit tantum de titulari vel patrono. Alii si in dicto calendario descripti sint sub ritu duplici minori, vel maiori, aut semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat officium semiduplex. Si vero sint ex duplicibus I aut II classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat officium sub eodem ritu ac si propria die celebrarentur. Si autem in calendario omnes sint tamquam festum simplex, de eis nihil fit.

rum, transferuntur, ita ut de translato fiat officium ac si proprio die celebraretur. Si vero in calendario omnes sint tamquam festum simplex etiam de illis nihil fit.

Novissima

QUAE NUNC HABETUR IN NOVIS BREV. RUBRICIS.

Si Patronus loci praecipuus vel secundarius, aut Titularis ecclesiae, vel etiam Sanctus cuius in ecclesia habeatur insignis Reliquia, descriptus sit in calendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a sociis separandus. Si vero illis coniunctus est ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a sociis separatur, et de eo agitur festum sub ritu competenti.

Si agatur festum de Patrono praecipuo vel de Titulari, et socii sint cum eo descripti in calendario sub ritu simplici, de sociis nihil penitus fit; si vero agatur festum de Patrono secundario, vel de Sancto cuius Reliquia insignis habetur, tunc de sociis fit commemoratio. Quod si inscripti sint in calendario sub ritu duplici vel semiduplici, tunc socii alia die celebrantur, iuxta rubricas, sub ritu, quo in calendario inscribuntur.

Ex collatione harum lectionum, istius rubricae, sequentia profluunt consectaria:

I. In *antiqua*, et *nova prima* lectione, satis obscure exponebatur distinctio inter patronum et titulum, sicut passim invenitur in generalibus rubricis; in *nova secunda* melius distinctio et clarius proponitur; in novissima vero, perfecte, et prout res exigit, omnia dicuntur quae in diversis casibus sunt facienda.

II. In *secunda nova*, haec verba adiecta fuere: *qui separari queunt;* quia, aliqui sancti, inter se copulati in eodem festo, separari possunt, aliqui vero non; in *novissima* vero explicite casus separationis indicantur.

III. In *antiqua* legebatur: « qui si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici vel semiduplici transferuntur », in *nova prima* negabatur translatio duplicibus minoribus, *non tamen, doctoris Ecclesiae,* et semiduplicibus, quod erat applicatio errata dispositionis in brevi *Nullo unquam* contentae; quia in hoc brevi ablata fuit translatio *accidentalis,* non autem *perpetua* huiusmodi officiorum. In *nova secunda* vero et in *novissima,* restituta fuit repositio perpetua tam duplici minori quam semiduplici.

IV. In *antiqua* et in *nova secunda* de sanctis sociis, licet eorum festum si duplex, vel duplex maius, praescribitur ut officium eorum perpetuo translatum fiat semiduplex; in *nova prima* autem et in *novissima* eorum ritus retinetur.

V. In *novissima* tantum, et non in aliis, disponitur etiam de patrono secundario, ac de sancto cuius habentur reliquiae insignes, uti decrevit S. R. C.

Rubricae docent, dari posse patronos locorum primarios et secundarios; illi sub ritu duplici I classis, hi autem sub ritu duplici maiore recolendi sunt. *Novissima* vero rubrica de utroque agit patrono principali et secundario. Quod si ecclesia duos aut plures sanctos habeat titulares, qui distincta die occurrant, omnes aeque sunt principales ac proinde omnes ritu duplici I classis recoluntur, et in casu a sociis sunt separandi.

Quod attinet ad inscriptionem in calendario, Gavantus (sect. 3, c. 10, n. 11) ait: « Aliqui putarunt, hanc rubricam loqui de occurrentia duorum festorum, quorum alterum est in calendario romano, alterum in calendario loci proprio, sed falluntur ex iis verbis: *descriptus sit eodem die in calendariis,* et loquitur de calendario romano, me teste, in recognitione clementina ». Adde tamen, hanc legem de separatione valere, non tantum pro calendario romano, ut ait hic Gavantus, scilicet universalis ecclesiae, sed quoque pro calendario dioecesis, aut religionis, aut ecclesiae etiam particularis. Cf. Guyetum (I, v, q. 14) et Cavalerium (T. 1, c. 5, n, 4).

S. R. C. in suo decreto 11 aug. 1877, n. 3431 id retinet, clarissime agens de ecclesiis dicatis ss. Iusto et Pastori, ss. Acischi et Victoriae in Hispania.

Nota autem hic dici: *descriptus sit in calendario,* non in *Martyrologio,* quia bene Cavalerius (T. 1, c. 5 n. 1) ait: « Non autem de iis qui solum in Martyrologio simul descripti sunt, quia socii eius, de quo iuxta rubricas officium faciendum est, nullum officium habent, nec ius ad officium ». Res per se patet; nam de iis solummodo agitur officium qui in calendario proprio inscribuntur (1).

In *nova secunda,* adiecta fuerat clausula: *cum aliis sanctis, qui separari queant;* sed quia explicite non dicebatur, quando possibilis erat separatio, in *novissima* res penitius declaratur. Aliquando enim habentur socii, qui a patrono vel titulo separari possunt, aliquando non. Et revera Guyetus (l. 1, c. 5, 14) scribit; « Dupliciter contigit ut sancti aliqui sic

(1) Ex. gr.: ecclesia tua dicata est s. Claudio M., cuius memoria agitur in Martyrologio die 3 decembris; tu de illo festum j classis celebrabis profecto, quia titularis est tuae ecclesiae, de eius autem uxore Hilaria et filiis Iasone et Maro, licet cum eo commemorentur in Martyrologio, nullum officium aut commemorationem facies. In ecclesia autem dicata s. Eustachio M., de uxore eius et filiis, quia non tantum in Martyrologio, sed et in calendario descripti sunt, procul dubio agendum erit officium.

in calendario simul inscribantur. Primo quidem *ex occasione* tantum, quia scilicet eadem die passi fuerint, vel obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de causa, cuiusmodi sunt plerique inter martyres, ut ss. Fabianus et Sebastianus, Vincentius et Anastasius, Soter et Caius, Cletus et Marcellinus, Cornelius et Cyprianus et alii; inter confessores item multi ut ss. Vedastus et Amandus, Lupus et Aegidius etc. (1) Secundo associantur sancti quasi *ex natura rei*, quod videlicet eodem simul die ac loco, eamdemque ob causam, cursum vitae huius feliciter consummarunt; cuiusmodi exempla in confessoribus pauca admodum suppetunt, ac vix nisi unum ss. Antonii, Meruli et Ioannis ex Martyrologio licet allegare ».

« Inter martyres frequentissime id occurrit, ut patet exemplis ss. Innocentium, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Gervasii et Protasii, Mauritii et sociorum, Ursulae et sociarum, et aliis innumeris ».

« Primo itaque modo coniuncti, nullo negotio dissociantur, occurritque plurimum unum absque alio alicuius ecclesiae esse patronum, ut constat de s. Sebastiano, Vincentio, Cypriano, Aegidio et reliquis. De aliis vero, secundo modo simul iunctis, non idem usus est ac par ratio. Quae enim ecclesiae s. Gervasium v. g. s. Cosmam patronum colunt nequaquam ab hoc s. Damianum, nec ab illo s. Protasium solent divellere. Quae item ss. Innocentes, aut s. Mauritium aut s. Ursulam, aliosve eiusmodi omnes ex aequo socios perinde recognoscunt; nisi forte alicubi unius nominatim corpus, aut insignis reliquia, ab aliis certo discreta, quae occasioni sit, ut is cuius est, singillatim patronus adhibeatur; sicut de ss. Exuperio, Candido, Victore, Innocentio et aliis ex legione Thebaea posset accidere, item de s. Cordula, una ex sociabus s. Ursulae, aliisque similibus ».

Huc usque Guyetus. Iisdem fere verbis loquitur Ca valerius (t. I, c. 5), qui de sanctis ex *natura rei* invicem

(1) Hodie in calendario universali habentur festa VII Fundatorum ordinis B. M. V., et ss. Cyrilli et Methodii Confessorum.

coniunctis non tantum dicit: « debent eodem die, eodem anno, eodem in loco, et eadem de causa ex hac lacrymarum valle esse sublati »; sed addit quoque: « et insuper (debent) inter sese aliquam affinitatem, vel consanguinitatem habere; cuius rationis sunt ss. Gervasius et Protasius, Cosma et Damianus, qui fratres erant; Symphorosa et Filii aliique similes ». Quod idem docet Meratus (sect. III, c. 10, n. 8).

E contra S. R. C. suo decreto 16 ianuarii 1677, in nova collectione servato sub n. 1589, ad 2 quaesitum: « an duae lectiones ut ss. Gervasii et Protasii legendae sint in officio duplici illius, cuius reliquia habetur, et de socio facienda tantum sit commemoratio » respondit: « Si hoc casu lectiones disiungi commode possunt, legenda est illa de sancto cuius fit officium duplex propter reliquiam insignem... si vero non possunt commode disiungi lectiones, utraque ponenda est in ij nocturno... et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est, fieri tamen debet de eo commemoratio ». Ex quo sequitur: dari posse separationem sanctorum, quorum unus sit patronus vel titulus, vel de eo habeatur reliquia insignis, licet agatur de sanctis ex *natura rei* simul coniunctis, uti sunt ss. Gervasius et Protasius.

Moderni vero rubricistae, cum Cavalerio (loc. cit. decr. 4, n, 4), et de Herdt (p. 4, n. 293) docuerunt separationem fieri, cum patronus recolatur ritu duplici i classis; cum autem agatur de patrono minus principali, aut de sancto cuius habetur reliquia insignis, separationem non esse faciendam,

Nihilominus S. R. C. in aliam sententiam devenit: quod probatur ex eius decretis n. 3477 et 4037 (20 iunii 1899) nec non *secunda* ex rubricis, quas hic conferimus. In decreto 3431 ad 1 quaest. circa officia titularium edixit: « Praedictos (ss. Iustum et Pastorem vel Cosmam et Damianum) per se et ex natura rei coniunctos et eodem die in calendario descriptos, quorum vel alter est titularis ecclesiae (adde, ob eamdem rationem, patronus loci) vel alterius insignis reliquia asservatur in ecclesia, non esse separandos ».

In secundo decreto, n. 4037 ad 3, praecepit: « Quando patronus (adde titularis) aut sanctus cuius insignis reliquia habetur, describitur in calendario cum aliis sanctis, quum tamen nulla inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis intercesserit ratio, agenda est separatio ».

Hisce de causis, in nostris *Praelectionibus s. Liturgiae* (Romae, Forzani 1909, pag. 372) emendationem proposuimus huius rubricae, quae ad literam inducta fuit in hoc 12 Notando (1).

Quando ergo separatio agitur, de sociis patroni vel titularis, vel illius sancti cuius habentur reliquiae, persolvendum erit officium alia die, sub ritu quo in calendario inscribuntur. Novissima est huiusmodi dispositio, quae in-

(1) Hinc resolve: patronus tuae civitatis ex. gr. est s. Gervasius martyr, patronus secundarius s. Cosma; titularis tuae ecclesiae s. Eustachius habesque caput unius ex ss. septem Fratribus martyribus. Quia s. Gervasius descriptus est in calendario cum fratre suo Protasio, item Cosma cum fratre suo Damiano, Eustachius cum uxore et filiis suis, et omnes septem Fratres simul, patronum sive principalem, sive secundarium, titularem ac sanctum, cuius habes reliquiam insignem, a sanciis sociis non separabis, sed de omnibus simul respective festum celebrabis sub ritu duplici j classis, pro patrono praecipuo ac pro titulari; duplici maiore pro patrono minus principali, et duplici minore pro sancto, cuius reliquiam habes insignem. Sed e contrario, patronus praecipuus tuae civitatis est s. Ianuarius, minus principalis s. Erasmus, titularis tuae ecclesiae s. Iustina, habesque insignem reliquiam s. Soteris, de his omnibus officium separabis a sociis respectivis. Hinc de s. Ianuario festum ages j classis, et de sociis, quia in calendario officium babent duplex, in die opportuna ritu duplici persolves. De s. Erasmo festum celebrabis duplex maius, et de Marcellino et Petro commemorationem, quia in calendario omnes sunt tamquam simplex. De s. Iustina, quia titularis, item festum duplex j classis persolves, nihil autem de s. Cypriano eius socio unquam facies. Denique de s. Sotere p. m. cuius habes reliquiam, festum institues duplex minus, seorsum a s. Caio, de quo officium semiduplex ages die opportuna.

ducta fuerat in *prima nova;* et bene. Siquidem, antiquitus de sancto socio patroni, licet in calendario gauderet ritu duplici, alia die celebrandum erat eius officium, sub ritu semiduplici.

Quid vero dicendum de ecclesiis quarum titulares sunt Nazarius et Celsus, in quibus alia die celebrandum erit officium sociorum ss. Victoris papae et martyris, et Innocentii papae confessoris?

Gavantus (sect. 7. c. 9, d. 28) docet quod transfertur in primam diem non impeditam, ritu semiduplici, de communi plurimorum martyrum, cum evangelio et oratione festi eorumdem, omissis nominibus ss. Nazarii et Celsi; et ait: « Neque mirum videatur, quod s. Innocentius colatur ut martyr una cum martyre, tum 1. quia colitur in tota Ecclesia cum officio martyrum ut patet; tum 2. quia martyr, ut nobilior, ad se trahit non martyrem: tum 3. quia aliis non martyribus, seu non viris, dantur psalmi martyrum et virorum, ut videre est in festo s. Martini episcopi, ss. Agnetis et Agathae, ex speciali privilegio; quod in translatione s. Innocentii non fuit illi detrahendum. Antiphonae autem et responsoria de effusione sanguinis, et nunnulla cum demonstratione: *Istorum est enim* etc.; *Isti sunt qui venerunt* etc., ne sumes pro iis rigorose, quorum festum colitur, sed ea intellige: 1. vel de praeparatione animi ad martyrium respectu s. Innocentii; 2. vel quia plurale ponitur in breviario pro singulari, et e contra, ut in festo plurium apostolorum dicimus in 2 vesp. *Collocet eum Dominus* etc. et saepius in festo unius apostoli *Isti sunt* etc.; 3. vel accipe encomiastice in laudem totius ordinis martyrum ». Haec hodie legentes, non possumus retinere quod sentimus; aliquando bonus dormitat Homerus, dicendum est; rationes enim, quas refert praeclarissimus vir, ut comprobetur usus recitandi officium plurimorum martyrum in casu, nihil valent omnino.

Guyetus, alter rubricarum magister non minus insignis, has Gavanti rationes singillatim reiicit (l. 4, c. 18, q. 35) scribens: « Gavantus inquit: " Innocentius colitur ut martyr

una cum martyre „; dubia haec ratio est; etsi enim colatur cum martyre, non tamen ut martyr, cum vere talis non sit; " tum quia colitur in tota Ecclesia cum officio martyrum „; ita quidem, sed iunctus cum pluribus martyribus, non autem cum uno tantum " tum quia martyr ut nobilior trahit ad se non martyrem „. Tolerabilis haec ratio, sed quam subdit de psalmis martyris tributis s. Martino confessori, itidem ss. Agneti et Agathae, ut probet a pari posse confessori tribui officium martyrum, *frigida est minusque valens* ».

Nos ergo putamus, et hoc tuto tenemus: de ss. Victore et Innocentio, utroque pontifice, fiat officium confessorum pontificum, recolendo duos sanctos sub communi qualitate, quam habent; eo magis, quia id omne, quod dicitur in communi confessorum pontificum, bene convenit et martyri in casu, non viceversa. Sicut ergo pro ss. VII. Fundatoribus ord. serv. B. M. V. et pro ss. Cyrillo et Methodio, ac aliis pluribus confessoribus, sumi debet officium de communi, iuxta rubricam post commune ipsum positam, ita bene de ss. Victore et Innocentio in casu, faciendum est, ut revera *officium sit utrique commune*. Ceterum in breviario non desunt exempla, quae id suadent. Die 16 septembris festum recolitur ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani; unius viri, et duarum mulierum, quarum prima est virgo, alia est vidua. Quia vero omnes conveniunt in qualitate martyrum, officium eorum rectissime sumitur ex communi plurimorum martyrum.

Adde quod et de s. Petro apostolo agitur memoria utriusque eius Cathedrae, cum officio conf. pont., quia in illis festivitatibus colitur ut pontifex, in colore albo, ita in casu pro s. Victore. Confer quae fusius hac de re, disseruimus in nostra Expositione Rubricarum breviarii, Vol. 2, pagg. 144-160.

13. De Octavis, quae non sunt in Breviario Romano, nihil fit amplius a Feria IV. Cinerum, usque ad Dominicam in Albis a Vigilia Pentecostes usque ad

Festum SS. Trinitatis; et a die 17 Decembris usque ad Epiphaniam, semper inclusive (18).

18. *De octavis, quae non sunt in breviario romano nihil fit amplius etc.*; haec rubrica iam erat in Notandis ad duas tabellas antiquas, nec non in rubricis generalibus. Ex qua antiqua et hic renovata rubrica, clare patet quod adveniente festo Epiphaniae cessare non debent octavae. Sed hac de re, vide quae disseruimus supra in nota 57.

14. Quando Nativitas S. Ioannis Baptistae die 28 iunii obveniat, in Sabbato praecedenti simul occurrunt Vigiliae tum eiusdem S. Praecursoris, tum Ss. Apostolorum Petri et Pauli; in casu fit Officium de prima, sine Commemoratione de alia (19).

(19) In toto breviario nunquam occurrere possunt duae vigiliae eadem die: casus novus nunc datur, postquam festum s. Ioannis Baptistae celebrandum est die dominica proximiori festo ss. Petri et Pauli, hinc si festum ss. Apostolorum Petri et Pauli occurrit feria ij, tunc sabbato praecedenti, ut patet, occurrunt duae vigiliae, s. Ioannis et Apostolorum. Cum autem tabella tam accidentalis quam perpetua nil ad rem declaret in suis regulis, necessario hoc loco dicendum erat quid in casu agendum esset; nempe officium de vigilia s. Ioannis, sine commemoratione de alia. Hoc intelligendum est de omittenda commemoratione in officio, non vero in missa. Non fit autem in officio, quia agitur de officio feriali, et numquam fieri potest officium de una feria, cum commemoratione alterius feriae. Neque dicatur quod unaquaequae vigilia habet suam propriam orationem et lectionem, cum vero antiphona ad *Benedictus* et versus, tam in una quam alia sit eadem, ipsa nequit bis recitari, et ideo fit de una vigilia, sine commemoratione alterius. Hoc congruit cum alia rubrica, in feriis maioribus propriam homiliam habentibus, nihil fit de vigilia in officio, sed tantum in missa.

15. De feriis Adventus et Quadragesimae, si de eis non fiat Officium, fit semper Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cuiuscumque Festi: de Feriis Quatuor Temporum et II Rogationum, ac de Vigiliis in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, vel in Duplici I classis, de ea non fit Commemoratio neque in Laudibus (20).

(20) Tempus Adventus, nec non Quadragesimae, sacratissimum est in Ecclesia, ideoque, nisi agatur officium de Tempore, saltem commemoratio de eo fieri debet; et ideo habentur antiphonae propriae ad Vesperas, et ad Laudes pro singulis feriis, imo, in Quadragesima etiam missa propria habetur, sicut et in feriis Quatuor Temporum et II Rogationum. Huiusmodi autem feriae, quae dicuntur maiores, praevalent festis simplicibus, ita ut in officio de feria maiori, agatur commemoratio simplicis occurrentis.

Idem dicendum est de vigiliis communibus, quia excipiendae sunt vigiliae nobiliores, nempe Nativitatis, Epiphaniae et Pentecostes; de vigiliis enim, nisi fiat officium, fit semper commemoratio saltem, et festa simplicia pariter cedunt officio vigiliae.

Nihilominus de vigiliis obvenientibus in Adventu et Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, aut in II Rogationum, in officio nihil fit, sed tantum in missa.

Rationem reddere volens huius rubricarum dispositionis, Gavantus scribit (sect. III, c. 7, n. 4): « quia feriae maiores sunt feriae Domini, et vigiliae sunt feriae servorum Dei, quae uti minores cedere debent, cum de utrisque non possit officium fieri, neque pro commemoratione alterius legi homilia ». Quid valeat huiusmodi ratio, videant lectores nostri, eo vel magis, quia adnotator Gavanti, cl. Meratus (ibid. iv), ad rem ait: « Verum haec ratio solum probat, quod evangelium et tertia lectio de vigilia dici non debeat, non

autem evincit, quod saltem commemoratio in laudibus de vigilia fieri non posset, sicut interdum de simplicibus festis, etiam si nona lectio de iisdem non legatur, tamen fit commemoratio in laudibus. Dicendum ergo erit (et citat Loner), hoc esse speciale privilegium, aut potius requisitum vigiliarum, ut, si de iis officium, aut nona lectio dici nequeat, etiam commemoratio de iisdem omitti debeat ». Sed nec ista ratio Lonerii a Merato accepta, videtur evincere: nobis potius, uti scripsimus in nostra Rubricarum Expositione (Vol. 1, pag. 196) videtur non posse fieri commemorationem vigiliae in feriis maioribus, quia vigiliae sunt feriae poenitentiales, ideo institutae, ut oratione et ieiunio mentes fidelium ad festa in crastino celebranda pie praeparentur; cum autem feriae Adventus, Qundragesimae et Quatuor temporum, iam sint per se poenitentiales, superfluum esset in eis de alia feria poenitentiali commemorationem agere, bis enim de eodem obiecto numquam fit in officio. Haec, non alia, est vera huiusce dispositionis ratio.

Nihilominus, licet in officio non fiat commemoratio vigiliae in feriis maioribus, fit tamen in missa. Cur autem in missa et non in officio? Meratus, cum Gavanto (ibid.) docet: « Cum vigilia habeat orationem propriam, et non confundatur cum oratione feriae, hinc nulla est ratio omittendi eiusdem commemorationem in missa, quae in sola oratione consistit: at in laudibus commemoratio involvit etiam antiphonam feriae ad *Benedictus*, et versum, qui aliquando deberet repeti, cum semper in tali commemoratione desumantur versus et antiphona ex feria tunc occurrenti ». Huiusmodi ratio in omnibus non placet Cavalerio, qui (T. 2, c. 15, decr. 2, n. 18) concludit: « commemoratio vigiliae in missa de feria maiori, in pura oratione consistens, quae propria est, non censetur commemoratio de feria, sed magis de sancto, cuius festum vigilia praevenitur ».

Sed in festis duplicibus 1 classis nihil fit de occurrenti vigilia, in officio et missa.

Hunc locum exponit Gavantus (sect. 3, c. 7, n. 3) do-

cens: « Vigilia occurrens in festo primae classis in officio nullum habet locum neque etiam commemorationem, ne solemnitas imminuatur; imo expediret, auctoritate maiorum, eo casu anticipari ieiunium ante illud festum primae classis, eo modo quo testatur Navarrus (in Man. c. 21, n. 21), Leonem x statuisse, ut eo anno, quo vigilia s. Ioannis Baptistae in festum Corporis Christi, pridie eiusdem festi ieiunetur, quarta scilicet feria ».

Quod hic dicitur a Gavanto Leonereux statuisse, opportune postea decrevit Urbanus viij in suo brevi 15 Octobris 1638, *Cum evenire,* in quo legimus: *Quoties vigiliam* (s. Ioannis baptistae) *praedictam in diem festivam solemnitatis Ss. Corporis D. N. Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe feria iv, prout ieiunatur in ipsa vigilia, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus* (S. R. C. decret. n. 657).

Attamen, cum in hac Urbani constitutione nil dicatur de officio vigiliae anticipando simul cum ieiunio, ortum est dubium, an revera huiusmodi officium anticipandum sit, nec ne. Quod dubium, relatum ad S. R. C. hisce verbis resolutum est: *Nihil de vigilia in officio et missa esse peragendum (18 Septembris 1706 N. 2173)*; quod decretum adprobavit et ratum habuit Clemens xi die 2 octobris eiusdem anni. « Mirabitur forsan quis, ait Meratus (sect. 3, c. 7, n. 2), et quaeret cur S. R. C. in hoc casu, cum anticipatione ieiunii non coniunxerit commemorationem vigiliae, vel potius eiusdem vigiliae officium, si nullum occurrat festum novem lectionum, eo modo quo fieri solet quando vigilia aliqua occurrens in dominica transfertur in sabbatum praecedens.... Huic quaesito satis fieri posse crediderim, summos Pontifices, sacramque Congregationem laudabiliter statuisse in dicto casu anticipationem ieiunii.... nullam vero statuere voluisse mutationem rubricae generalis circa officium vel commemorationem vigiliae, de qua ibi praescribitur, quod si occurrat in festo j classis, nullum in officio habeat locum. Hanc igitur

rubricae dispositionem S. R. C. immutatam reliquit in praedicto casu, et solummodo anticipationem ieiunii optime praescripsit, quia, ut etiam notat Gavantus supra n. 3, expedit in similibus casibus transferri ieiunium in pridianam diem, absque eo quod anticipetur et connectatur cum ieiunio officium vigiliae, separari namque possunt unum ab alio ».

Haec ratio, quae facit satis Merato, parum arridet Cavalerio (T. 2, c. 15, decr. 2, n. 2, 3 et 4); licet enim Gavantus (hoc loco) et Guyetus (lib. 4, c. 5, q. 1) doceant bene posse separari ieiunium ab officio, id tamen non facit ad rem nostram. Audiamus Cavalerium (loco cit.). « In rationem producit Gavantus, quod officium vigiliae Nativitatis, quando incidit in dominicam, separatur a ieiunio; at ratio ista futilis est, non est quippe ista vigilia ferialis et communis, nec ritu ordinario peragitur, sed a laudibus festivum sortitur officium, quare ex eadem invalidum desumitur argumentum, pro simili attentando in casu vigiliarum communium et ferialium, quarum officium, uti illius, eadem de causa non retinetur cum incidit in dominicam ».

Volens ergo Cavalerius rationem adaequatam adducere, prosequitur dicens: « Magis itaque id probatum iri credimus ex rubrica vi, n. 2, quae in proposito casu diserte statuit: *Si autem in vigilia occurrat festum solemne* (j classis)... *nihil tunc prorsus nec commemoratio fit de vigilia.* Potestne clarior esse rubricae dispositio? Si vigilia incidente in festo Corporis Christi *nihil prorsus nec commemoratio fit de ea,* utique nec in ipso festo Corporis Christi, nec in die praecedenti, in qua anticipatur ieiunium; dictio enim *prorsus* est dictio praecisa, nullam limitationem admittens; quinimo si una cum ieiunio officium anticipari voluisset, id indubie praescripsisset, uti praecedenter fecit de vigilia occurrente in die dominico. Quoniam itaque in occursu vigiliae in proposito similive casu, nihil de vigiliis faciendum esse disponunt rubricae, et occurrenti solemnitati Corporis Christi obstare videbatur ieiunium, anticipatione ieiunii et omissione officii apprime bene et laetitiae festi et rubricae indemnitati

consulendum esse censuit Congregatio ». Nihilo secius, si nostram licet totam exprimere mentem, nobis videtur ratio quoque Cavalerii omnem inquisitionis et admirationis locum e medio non auferre. Revera, ideo quia rubrica, *nihil prorsus* fieri praescribat de vigilia, quae incidit in festum j classis, videretur neque ieiunium anticipari posse; verba enim *nihil prorsus* malignae naturae sunt, et in casu omnia fieri prohibent, quae pertinent ad vigiliam, officium nempe et ieiunium.

Quod ita verum est, ut ad inducendam anticipationem ieiunii vigiliae s. Ioannis baptistae in casu, constitutione pontificia opus fuerit; nisi enim id statuisset Urbanus viij, ex locutione rubricae numquam id fieri concludi potuisset.

Videtur ergo, quod sicut Urbanus viij non mutavit, saltem directe, rubricam ordinando ieiunii anticipationem, ita et S. R. C. bene potuisset et anticipationem officii vigiliae in casu praescribere, quin directe haec rubrica mutata maneret.

Siquidem, rigorose loquendo, rubrica nihil fieri de vigilia praescribit in ipso festo j classis, tacens de pridiana die; igitur via aperta manet ad anticipationem pridie agendam tam ieiunii, quam officii. Ergo bene potuisset S. R. C. et hanc anticipationem decernere, uti fit quando vigilia anticipatur in sabbato, ob rationem, quam ad rem profert Gavantus (hoc loco n. 2), ut nempe cum ieiunio anticipato, bona sit oratio, scilicet officium, ad preparationem festi.

Quam ob rem, admiratio quam Meratus expertus est, adhuc superest in nobis; ac proinde voluntatem S. R. C. in casu reverenter accipientes, rationem eius decreti ultra non inquirimus, expectantes ut sapientiores nobis illam exhibeant; cum pacto tamen, quod rationes a Merato et Cavalerio adductae, sicuti inanes et inadaequatae deserantur.

Quae de vigilia anticipanda hic disseruimus, non amplius valent pro vigilia s. Ioannis baptistae incidentis in festo Corporis Christi, quia hodie, cum festum s. Praecursoris in dominica sit celebrandum, impossibile est quod in

dicta solemnitate obveniat. Attamen, casus impossibilis non est, quod aliqua vigilia in duplici j classis occurrat, quia ex. gr. ubi s. Miniatus est patronus, in festo eius nihil fit de vigilia Omnium Sanctorum, in officio et missa, sed tantum ieiunium; postulandum esset porro apud S. R. C. ut quaestionem huiusmodi resumeret, et opportune declararet, ut, quando vigilia aliqua occurrit in festo duplici j classis, anticipari debeat in praecedenti die, sicut fit quando occurrit in dominica, tam pro commemoratione in officio et missa, quam pro ieiunio.

Decretum S. R. C. iam editam circa novas Rubricas, commentariis illustratum.

9 Februarii 1912.

I. Festum commemorationis Omnium Ss. Pontificum, in locis, quibus idem festum sub ritu duplici minori vel maiori, pro dominica prima libera post octavam Ss. apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis Iulii fixe adsignata (1).

(1) Commemoratio Oo. Ss. Pontificum concessa erat pro dominica prima libera post octavam Ss. Petri et Pauli; hodie autem, cum in dominica nullum festum admittatur, quod non sit Domini, opportune hoc decreto statuitur, quod celebretur die 1 iulii, quae vacua manet, postquam cctava s. Ioannis baptistae in dominica mobiliter celebratur per simplicem commemorationem. Itaque opportunissime commemoratio Oo. Ss. Pontificum nunc recoli potest prima die libera, non post octavam, bene vero infra octavam s. Petri, quasi appendix eius solemnitatis, qui fuit primus romanus pontifex.

Quaeri hic potest, cur huiusmodi festum Oo. Ss. Pontificum celebretur in colore rubro? interrogatus quidam, qu

omnia adprobare contendit, respondit, quod sit adhibendus color rubeus, primo quia maxima pars pontificum romanorum, qui uti sancti honorantur, martyres sunt: secundo autem quia matutinum huius festi est totum de Apostolis, quibus aequiparantur romani pontifices, et ideo et color apostolorum adhiberi oportet.

Sed nihil valent huiusmodi rationes; etenim, die 1 augusti celebratur festum s. Petri ad vincula, cum officio apostolorum, et tamen colore utimur albo; ita, in festo s. Ioannis evangelistae die 27 decembris. Ceterum, licet maior pars romanorum pontificum, qui uti sancti honorantur, martyres sint, in ista festivitate ecclesia recolit sanctos pontifices uti tales, nempe eorum sanctum supremum sacerdotium, seu *pontificium*, ut habetur in Oratione Cathedrae s. Petri, et ideo, sicut in utroque festo Cathedrae, quia honoratur sacrum Petri sacerdotium, non martyrium, colore albo utimur, eadem ex causa color albus adhibendus esset in festo Oo. Ss. Pontificum.

Insuper est notandum, quod festum istud non est institutum ad celebrandos tantummodo pontifices illos, qui uti sancti, vel beati honorantur ab ecclesia, bene vero ad recolendos cunctos pontifices romanos, qui visione beatifica fruuntur in coelis. Et sane, singuli pontifices sancti vel beati, in propria die celebrantur per annum, et ideo superfluum esset, festum pro omnibus celebrare; quia vero ecclesia retinet, quod multi alii romani pontifices ob virtutes, quibus in terra fulserunt, et ob labores ac certamina pro tuendis iuribus ecclesiae, in gloria caelesti laetantur, quorum nomina solus Deus scit, in ista omnium summorum pontificum commemoratione, et illos honorare intendit, prout in festo Oo. Ss. die 1 novembris concelebrat omnes electos, qui in caelesti gloria cum angelis Deum collaudant. Vide quae ad rem supra disseruimus in nota 20.

Quod autem haec nostra sententia fundamento satis solido fulciatur, probatur argumento a pari.

Per decretum Congregationis de Prop. Fide, 7 dec. 1886

(*Collectan.*, Congr. Prop. Fide, editio 1894, pag. 57, sub n. 116) concessum fuit, ut Antistites omnes, quidam piae societati adscripti, in *fine horarum*, commemorationem agere possint de *omnibus Episcopis in Coelo cum Christo regnantibus*. En itaque quae loco citato leguntur: « Inter tot quibus Episcopus quotidie detinetur labores, interque curas, quas secum affert pastorale ministerium, haud exiguum certe levamen erit, si omnes Episcopi catholici sibi mutuo auxilio praebere studeant et assiduis orationibus invicem omnipotentem Deum exorent. Hinc aliqui Episcopi, praesertim Ditionis Ecclesiasticae, operae pretium esse existimarunt, si plurimi Episcopi in Spiritu Domini congregati, tria pietatis officia vellent exercere. Primum erga Episcopos recens defunctos, secundum erga seipsos, *tertium erga Episcopos in coelis cum Christo regnantes*. Hinc inter alia proponebat:

« Tertium denique pietatis officium postulat, ut *speciali cultu prosequantur Omnes Episcopos*, qui in terra degentes pastorali munere sanctissime perfuncti, *nunc in coelis semper prompti et parati sunt ad interveniendum apud Deum*, pro iis qui missi ad excolendam vineam Domini in labores eorum introierunt ».

« Quapropter *in fine horarum, commemorationem* hoc modo facient Episcoporum, quorum illa die festum agitur, *et omnium Sanctorum Episcoporum* » (1).

Et haec omnia non tantum probavit Leo xiij, sed, ad petitionem praesertim Episcoporum Americae Septentrionalis, indulgentiis ditavit die 19 septembris 1886, atque prae-

(1) Prima antiphona cum sua oratione est pro sanctis, vel beatis episcopis quorum festum ea die ubicumque agitur, et postea haec alia, quae est notatu digna, commemoratio indulta episcopis piae societati adscriptis, *pro omnibus episcopis qui in gloria coelesti triumphant*: Ant. *Omnes sancti Pontifices estote memores nostri, deprecamini pro nobis Filium Dei, sacerdotem magnum*. ℣. *Benedicite Dominum omnes electi eius*. ℟. *Agite dies laetitiae et confitemini illi. Oremus. Fiat Domine, quaesumus super nos misericordia tua et, Omnium Sanctorum Antistitum intercessione concede, ut in pastorali officio obeundo eorum experiamur suffragia et vestigia prosequamur Per Christum Dominum nostrum.*

dictum decretum a S. Congregatione de Prop. Fide expediri iussit.

Ergo toto iure in festo Oo. Ss. Pontificum, bene recoli possunt, non tantum qui canonizati, vel beatificati sunt, sed ceteri quoque, quos scit Deus esse secum in coelesti gloria.

II. Item festum commemorationis Ss. Reliquiarum in locis quibus idem festum pro aliqua dominica, sub ritu duplici minori vel maiori, iam inductum est, in posterum celebrari potest die 5 Novembris (2).

(2) Eadem ex causa festum omnium Reliquiarum, ubi concessum est, celebrabitur deinceps die 5 novembris, prima die libera infra octavam Oo. Ss.; nam dies 3 vacua relinquenda est, pro celebratione Commemorationis Oo. Defunctorum, quando incidat in dominicam. Itaque, tam pro festo Oo. Ss. Pontificum, quam pro festo Reliquiarum, ordo psalterii hebdomadalis nullum detrimentum patitur, quia, ut constat, in utroque casu, nisi festis istis, ageretur officium de octava. Summopere decet ergo, ut festa, si fieri potest, infra octavas communes reponantur, ad hoc, ut psalterium hebdomadale minus impediatur.

III. Si aliquod festum ecclesiae universalis, sive b. Mariae, sive Sanctorum, sub ritu duplici minori vel maiori alicubi die dominica celebrari concessum fuerit, amodo in die sua omnino est reponendum (3).

(3) Pluribus in locis concessum est, ut aliquod festum sive b. Mariae, sive Sanctorum, e sua natalitia, vel quasi-natalitia die exularent, ut in aliqua dominica celebrarentur. Hodie vero, si huiusmodi festa ritu gaudeant duplici minori vel maiori, ad diem proprium redire debent.

Quod hic dicitur de festis universalis ecclesiae, dici etiam debet de festis alicuius Dioecesis, vel religionis, ut patet.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

cum parochus, speciali occasione, copiam sacrorum ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redactas) aliquando peragere cupit.

(Continuatio, v. num. 7 currentis anni, pagg. 445-447).

22. Celebrans pergit versus cornu epistolae, ministri autem et clerici, ad nutum caeremoniarii ante altare genuflectunt, et praecedentibus duobus acolythis, ad locum, ubi evangelium cantari solet, accedunt.

23. Cum subdiaconus eo advenerit, vertit se per suam dexteram, et facie ad diaconum conversa; ab ipso librum apertum ambabus manibus ad inferiorem partem accipit, quem elevatum ita tenet ut faciem et oculos suos a libro tegantur, et diaconus commode legere possit.

24. Diaconus, ibidem consistens, iunctis manibus canit *Dominus vobiscum*; et cum a choro responsum erit, laevam manum in libro ponit, et pollice dextero signum crucis ad initium evangelii efficit, canens *Sequentia;* tum ponens sinistram infra pectus, pollice dexterae manus signat se in fronte, canens *sancti evangelii;* deinde in ore, nil dicens; tertio in pectore, dicens *secundum Matthaeum* vel *Lucam* etc.

25. Responso a choro, thuribulum a thuriferario accipit, caput libro profunde inclinat, et capite erecto ter ipsum duplicibus ductibus incensat, nempe, in medio, sinistrorsum et dextrorsum sui: thuribulum deinde tenens demissum ad latus dexterum, caput libro rursus inclinat, antequam thuribulum thuriferario reddat, et evangelium iunctis manibus cantat. Evangelio expleto, dextera indicat subdiacono principium evangelii, et paululum recedens, subdiacono ante se transeunti dat locum, qui cum libro aperto, via recta, absque ulla reverentia altari, exposito etiam Sacra-

mento, accedit ad celebrantem, ipsique dextera ostendit initium evangelii, et ipsum illi osculandum praebet.

26. Omnes similiter, evangelio cantato, processionaliter in medium accedunt; subdiaconus, uti diximus, ad celebrantem, diaconus ante infimum gradum, caeremoniarius et thuriferarius post diaconum, ultimo loco post eos acolythi, tres series componentes. Postquam celebrans initium sacri textus osculatus erit, dicens *Per evangelica dicta* etc., subdiaconus librum claudit, et facta ei capitis inclinatione, vertit se ad altare et genuflectit super predellam eodem tempore quo diaconus et inservientes ministri genuflectunt. Subdiaconus dein per gradus anteriores lateris epistolae, ne impediat diaconum incensantem, descendit in planum, et tradit librum caeremoniario: acolythi deferunt candelabra suo loco, thuriferarius thuribulum diacono praebet, ad sius dextetram stans: incensabitur de more celebrans: dein thuriferario accepto thuribulo a diacono, se sistit aliquantulum in medio.

27. Dum celebrans ad medium altaris accedit, etiam ministri, ad locum suum retro post illum accedunt, et dum ipse intonat *Credo*, ministri inclinant caput ad vocem *Deum* (quo tempore thuriferarius genuflectit et in sacrarium redit), et iuxta celebrantem ascendunt, ubi submissa voce symbolum recitant, una cum eo caput inclinando, et genuflectendo.

28. Si sit sedendum, celebrans et ministri se gerunt ut supra dictum est (nn. 20, 21). Ad versiculum tamen *Et incarnatus* etc., caeremoniarius invitat ut celebrans et ministri caput discooperiant et se inclinent, quod et ipse praestat, nisi ab omnibus, ut in tribus missis nativitatis Domini et in missa Annuntiationis B. M. V., sit genuflectendum.

29. Cantato *et homo factus est,* ministri surgunt: diaconus, facta reverentia celebranti, comite primo acolytho, per viam breviorem accedit ad credentiam, ubi per acolythum vel per seipsum bursam accipit, eamque ambabus manibus elatam et iacentem fert usque ad oculos, apertura ad seipsum conversa, et per planum tendit ad medium ante altare, faciens cum acolytho reverentiam ad celebrantem quando ante ipsum transibit, quo tempore subdiaconus sedet et cooperit caput.

30. Diaconus genuflectit ad crucem, suppedaneum conscendit, expandit corporale super altare, et cum ipso acolytho comite, iterat genufiectionem in suppedaneo (quo tempore subdiaconus

surgit), descendit a latere, et redit ad scamnum, ubi biretum sumit, et praemissa cum subdiacono reverentia celebranti, sedent ambo et cooperiunt caput.

31. Ad nutum caeremoniarii, sub fine symboli, nudato capite, assurgunt, ad altare procedunt, et disponuntur uti in fine *Gloria* diximus. Thuriferarius et acolythi similiter observant omnia quae supra ad *Gloria* dicta sunt. Cum diaconus bursam ad altare fert, ipsi pariter assurgunt et persistunt usque dum ad scamnum reversus fuerit.

1. Cum celebrans cantat *Oremus,* thuriferarius tempestive genuflectit et in sacrarium pergit; et, reversus, oblatione calicis facta, ad altare, ut ante introitum, ascendit. Ministri autem caput inclinant: diaconus suppedaneum ad dexteram celebrantis conscendit; subdiaconus vero, genuflexione facta, ad abacum pergit, velum humerale per acolythum alterum induit, et velum calicis deponit; calicem sinistra sumit, parte dextera veli humeralis contegit, manudextera insuper posita, et ad altare defert (simul cum bursa, si non dicatur *Credo*), comitatus a primo acolytho ampullas cum pulvicula et manutergio portante.

2. Suo tempore celebrans e manibus diaconi patenam cum hostia accipit, quam more solito offert. Subdiaconus interim calicem abstergit, et diacono tradit, qui sinistra eum ad nodum tenens, e cuius pollice purificatorium pendet, sumpta a subdiacono ampulla vini, ex ea vinum in calicem infundit: deinde subdiaconus, ab acolytho ampulla aquae accepta, eam aliquantulum elevans ostendit celebranti; dicens, parum inclinatus, *Benedicite, Pater reverende*. Celebrans interim iungit manus, et sinistra super pectus vel altare posita, dextera signo crucis ampullam signat dicendo: *Deus, qui humanae substantiae* etc., et subdiaconus paucas aquae guttulas infundit. Postea e manibus diaconi celebrans cum osculis calicem accipit, quem una cum ipso offert. Deinde calix a celebrante in medio corporali deponitur, et ab ipso ministro palla cooperitur.

3. Oblatione calicis facta, acolythus ampullas ad abacum refert, et subdiaconus dextera nuda accipit patenam a diacono abstersam, qui tum manum tum patenam veli extremitate dextera cooperit. Subdiaconus patenam pectori appropinquat, et se convertens sinistrorsum, descendit in planum retro post celebrantem, ubi genuflectit, et consistit sustinens elevatam ad altitudinem vultus sui patenam (quam dimittit ad pectus quando

incedit, vel genuflectit, vel incensatur, vel inclinatur, aut inclinationi respondet); et ibidem immobilis persistit usque ad finem orationis dominicae, numquam cum celebrante genuflectendo, nequidem dum expositum ss. Sacramentum thurificatur.

4. Diaconus ad incensationem post offertorium assistit celebranti ut ad introitum, cum his tamen differentiis, scilicet dum celebrans oblata incensat, tenet ad pedem calicis manum dexteram, et sinistram non lateraliter, sed in medio subter postremam partem planetae; et dum ille crucem incensat, ipse calicem de medio altaris versus cornu epistolae, non tamen extra corporale, amovet; statimque incensata cruce, in locum pristinum restituit. Peracta incensatione, sumit thuribulum, incensat celebrantem ut supra, deinde chorum.

5. Si chorus adsit, a diacono haec observanda sunt: Post incensationem celebrantis, diaconus genuflectit in eodem loco, si chorus sit post altare, vel in medio, si chorus sit in fronte altaris, et procedit per latus epistolae (si chorus sit post altare) thuriferario concomitante ad chorum incensandum. Stans a parte evangelii, ubi sedet dignior, salutat chorales per modum unius, et incensat singulos unico duplici ductu, ad quos post incensationem reverentiam communem iterabit. Transiens ante medium chori genuflectit altari, thurificat chorales stantes a parte epistolae, quibus similiter communem ante et post iterabit reverentiam, redit ad altare, et subsistens ante infimum gradum, versus latus epistolae se convertit ad subdiaconum, quem incensat binis thuribuli ductibus duplicibus cum reverentia ante et post thurificationem. Thuribulo deinde thuriferario reddito, post celebrantem redit, ibique facta ad crucem genuflexione, se convertit ad thuriferarium, a quo duobus ductibus duplicibus incensatur cum inclinationibus ante et post, et permanet loco eodem, nisi caeremoniario deficiente, folia missalis volvere debeat.

6. Thuriferarius deinde unico simplici ductu caeremoniarium et acolythos incensat, ante et post inclinatione capitis facta; tum genuflectit in medio, vadit ad ostium cancellorum, et tribus ductibus simplicibus populum thurificat, i. e. in medio, a sinistris et a dexteris sui, inclinans ante et post incensationem, et revertitur ad sacrarium. Si clerus deest, post incensationem acolythorum statim ad incensandum populum progreditur: et si inter incensationes celebrans iam cantet *Gratias agamus*, thuriferarius illas sistit, iam inceptas finit.

7. Incensatione altaris finita, primus acolythus urceolum aquae cum pelvicula de credentia sumit, alter vero manutergium; deinde ascendunt altare per gradus laterales, et cum consuetis reverentiis lavant manus celebranti; indeque omnia ad credentiam reportant. Cum a thuriferario incensantur, ad eumdem se vertunt, et ante et post se inclinant. Ibi sistunt, et simul cum thuriferario in sacrarium recedunt.

8. Celebrans, lotis ac tersis manibus, redit ad medium, et prosequitur ut in missa privata. Dicto *Orate, fratres*, subdiaconus patenam ante pectus demittit et respondet *Suscipiat* etc., absque inclinatione.

9. Ad verba praefationis *supplici confessione dicentes*, ministri ad nutum caeremoniarii (qui suo tempore descendit per gradus laterales et transit per planum ad cornu epistolae), suppedaneum ascendunt, diaconus ad dexteram celebrantis, subdiaconus vero, ubi ista consuetudo adest ut ad altare ascendat, quae servari potest (D. 2682), ad sinistram, ubi cum eodem celebrante mediocriter inclinati iunctis manibus ante pectus, *Sanctus* dicunt, et ad *Benedictus qui venit* etc., se erigunt, subdiaconus in planum descendit ad locum pristinum, et diaconus se signat, et accedit ad librum, genuflectens in medio, ad sinistram celebrantis, indicat legenda ac folia vertit.

10. *Sanctus* a ministris recitato, clerici funalia accensa deferentes sequuntur thuriferarium et progrediuntur in medium presbyterii retro post subdiaconum; in linea recta se consistunt, et facta genuflexione, clerum in choro, si adest, salutant, sibi invicem inclinationem faciunt, et aequali distantia inter se genuflectunt.

11. Cum celebrans dicit *quam oblationem*, diaconus descendit, genuflectit post celebrantem, et se sistit in gradu superiori ad dexteram celebrantis (quo tempore caeremoniarius imponit incensum in thuribulum). Dum celebrans se inclinat ad proferenda verba consecrationis, diaconus in ora suppedanei, subdiaconus in infimo gradu, caeremoniarius ad sinistram thuriferarii in infimo gradu in cornu epistolae eodem tempora genuflectunt.

1. Celebrans omnia peragit ut in missa privata. Post consecrationem hostiae cum genuflectit, omnes caput inclinant, deinde corpore erecto, hostiam elevatam intuentur, secreto dicentes *Dominus meus et Deus meus*, quod similiter faciunt in elevationem calicis.

2. Diaconus interim sinistra partem posteriorem planetae elevat,

et dum celebrans iterum genuflectit planetam statim deponit, et cum omnibus caput inclinat; deinde surgit cum celebrante, calicem discooperit et iterum flectit utroque genu ut prius. Dum celebrans calicem post elevationem dimittit, iterum diaconus surgit, calicem cooperit, et facta cum celebrante genuflexione, statim ad sinistram eius transit, ubi genuflectit, dum in plano ad nutum caereremoniarii ad medium ante altare genuflectunt ceroferarii, et absque ulla alia reverentia, bini in sacrarium recedunt. Diebus autem ieiuniorum, et in missis pro defunctis, et in quibus communio populi fit, genuflexi manent usque ad communionem distributam, exceptis missis solemnibus in vigilia nativitatis Domini, in coena Domini, sabbato sancto et quatuor temporibus pentecostes, quia hae missae sunt festivae.

3. Cum celebrans dicit *Per quem haec omnia,* caeremoniarius genuflectit et ad librum accedit, ibique remanet usque ad *Agnus Dei,* diaconus autem genuflectit, et ad dexteram celebrantis transit, calicem discooperit, et deposita palla iterum una cum celebrante genuflectit. Hostia super corporale deposita, calicem iterum cooperit, et iterata una cum celebrante genuflexione, ad eius dexteram persistit, usque dum incipitur *Pater noster*, quo tempore iterum genuflectit et descendit retro post celebrantem, ubi non genuflectit.

4. Ad verba *et dimitte nobis* genuflectunt ministri et accedunt cum primo acolytho ad cornu epistolae, ubi, absque genuflexione, subdiaconus patenam offert diacono, velum humerale in manibus acolythi deponit, cum quo genuflectit, et descendit in planum post celebrantem. Diaconus purificatorio patenam extergit, et verticaliter per inferiorem partem elevatam cum ipso purificatorio super altari prope corporale tenens, tradit celebranti, osculando prius superiorem patenae partem dein manum celebrantis, et purificatorium prope corporale deponit.

5. Cum celebrans submittit hostiae patenam, diaconus calicem detegit, et cum eodem genuflectit. Dum cantatur *Pax Domini,* subdiaconus ad nutum caeremoniarii in loco suo genuflectit, et ad sinistram celebrantis ascendit, una cum illo et diacono genuflexionem iterat, et omnes simul, capite profunde inclinato, ter recitant *Agnus Dei*, pectus percutientes.

6. Dicto *dona nobis pacem*, ministri sacri simul, iuxta celebrantem, genuflectunt cum caeremoniario qui redit ad librum; subdiaconus vero in locum suum descendit, et diaconus a dexteris

celebrantis in suppedaneo conversus ad altare, utrumque genu flectit, et sic manet dum celebrans dicit primam orationem, qua expleta, surgit, et una cum celebrante, ipse extra corporale, et manibus iunctis, osculatur altare, dein vertit se ad celebrantem, et facta reverentia pacem recipit. Accepta pace, genuflectit, et descendit ad gradum infimum, ubi dat pacem subdiacono (1).

7. Data et accepta pace, diaconus ad altare conversus genuflectit cum subdiacono, ille ascendit suppedaneum ad sinistram celebrantis, cui sine nova genuflessione assistit ad librum, iste, acolytho comitante, pergit ad chorum, quem non salutat, et dat pacem primo cuiusque ordinis, dignoribus prius, deinde minus dignis; et reversus ad altare, facta genuflexione in medio, dat pacem acolytho, qui ipsum comitatus erat: tum ascendit ad dexteram celebrantis cum quo iterum genuflectit, si una simul genuflectendum est, secus non. Si autem non adsit chorus, subdiaconus, accepta pace, non genuflectit cum diacono, sed data pace acolytho, genuflectit cum ipso, et ascendit ad dexteram celebrantis. Ministri, dictis a celebrante orationibus ante communionem, iterum discooperto calice, genuflectunt, et sub *Domine, non sum dignus* mediocriter se inclinant, nihil dicentes nec pectus percutientes (D. 3535[3]): similiter infra utramque communionem celebrantis stant profunde versus altare inclinati, pariterque clerici inservientes.

8. Post sumptionem s. Hostiae, subdiaconus, stans a dexteris celebrantis, ad eius nutum calicem discooperit, et post sumptionem pretiosi Sanguinis, accepta ab acolytho ampulla, vinum pro purificatione, deinde, ibidem, inter postremos digitos sinistrae manus purificatorio et altera ampulla acceptis, vinum et aquam super digitos celebrantis pro ablutione fundit, porrigitque postea purificatorium, digitos sinistrae aperiendo.

---

(1) Dans *pacem* imponit manus suas super humeros eius, qui recipit pacem. Recipiens supponit manus suas cubitis eius qui dat pacem, et eorum sinistrae genae paululum invicem appropinquant: quo in actu qui dat pacem dicit *Pax tecum,* qui autem accipit respondet *Et cum spiritu tuo.* Deferens pacem chorum non salutat, nec cuiquam ullam reverentiam facere debet antequam pacem det, sed tantum post pacem datam, excepto celebrante. Accipiens inclinat ante et post pacem datam. Dans pacem praelatis maioribus manus cubitis eorum supponit. Primus cuiusque ordinis dat pacem secundo, secundus tertio etc. Si chorus situs sit post altare, subdiaconus accedit per latus epistolae, revertitur per latus evangelii.

9. Post ablutionem, diaconus missale accipit, et eodem tempore cum subdiacono per breviorem descendit, unus post alium, facta simul in medio genuflexione. Diaconus missale in cornu epistolae collocat, retrahit se in angulo ipsius cornu epistolae, ubi stans celebranti antiphonam *communio* suo tempore ostendit; statimque post celebrantem redit. Subdiaconus vero, stans in cornu evangelii, calicem purificatorio abstergit, ipsum purificatorium super calicem extendit, et desuper patenam et pallam imponit; tum corporale plicat et in bursam immittit; deinde velo, ab acolytho delato, calicem cooperit, et bursam desuper ponit: accipit calicem, eumque (per gradus anteriores, facta in medio super infimum gradum genuflexione) ad credentiam defert; redit inde post diaconum absque genuflexione, si adhuc sit in cornu epistolae.

10. Orationibus completis, ministri simul cum celebrante per planum accedunt ad medium, et postquam celebrans ultimum *D.nus vobiscum* cantavit, subdiacono immobili in loco suo persistente, diaconus, quin recedat a medio, aut genuflectat, per suam dexteram se totaliter ad populum vertit, ita ut tergum habeat versus celebrantem, et erectus cantat *Ite, missa est;* vel, si non dictum fuit *Gloria,* in suo loco remanet, conversus ad altare, et cantat *Benedicamus Domino.*

11. Post *Ite, missa est,* dum celebrans recitat *Placeat,* ministri sacri iuxta se invicem, diaconus ad dexteram, subdiaconus ad sinistram ante medium altaris sistunt, et dicto *Benedicat vos* etc., in ora suppedanei genua flectunt, et capite profunde inclinato, benedictionem recipiunt, se signantes (similiter caeremoniarius in infimo gradu ad latus epistolae, thuriferarius et acolythi suis locis faciunt); dein erecti, diaconus cum celebrante ad cornu evangelii ad dexteram eius transit, subdiaconus vero in gradu supremo laterali ad sinistram assistit, ministrans tabellam vel librum evangelii, si opus est (1), et uterque cum celebrante se signat et genuflectit, praeterquam subdiaconus si et tabellam sustinet.

12. Clerici inservientes ad *Initium* vel *Sequentia* similiter se signant, accipiunt deinde candelabra, et cum thuriferario ante altare ac-

(1) Si aliud evangelium quam S. Ioannis in fine legendum est, diaconus post cantum *Ite, missa est,* sine genuflexione, via recta ad cornu epistolae ascendit, librum cum legili accipit, et per gradus anteriores in medio genuflectens, ad cornu evangelii transfert: quo facto, simul cum diacono, ut supra, in ora suppedanei genuflexus, benedictionem recipit, et in fine, lecto evangelio, missale claudit.

cedunt, ibique se collocant in linea recta, ut initio missae. Cum celebrans recitat *Et verbum caro factum est*, genuflectunt cum aliis.

13. Lecto evangelio, omnes in medio suppedanei accedunt, et, iuxta consuetudinem passim introductam, simul cruci caput inclinant, per gradus anteriores in planum descendunt, ubi caeremoniarius biretum celebrantis diacono porrigit, postea biretum diacono ipsi, demum subdiacono. Suo tempore, debita reverentia altari facta, ut initio missae, recedunt eo ordine quo processerant ad altare.

14. In sacrario versi omnes capite detecto ante imaginem crucifixi stantes, caput profunde inclinant, dein ministri se inclinant celebranti, qui parva inclinatione respondet.

15. Demum acolythi, depositis candelabris, manipulum ministris exnunt, isti autem celebrantem adiuvant in exuendis missalibus indumentis; dein, adiuvantibus acolythis, paramenta sua deponunt.

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM

De vigiliis ad reliquias martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiae.

Sacrorum Rituum Congregationi sequens quaestio, pro opportuna solutione, proposita fuit; nimirum:

Iuxta Pontificale Romanum tit. *de ecclesiae dedicatione seu consecratione,* celebrandae sunt vigiliae ante Reliquias sanctorum Martyrum quae in altari consecrando includentur; et canendi Nocturni et Matutinae Laudes in honorem eorundem sanctorum; quaeritur:

Nocturni et Laudes in casu sumendine sunt e novo Psalterio Breviarii Romani per dies hebdomadae disposito, an e Communi plurimorum martyrum; et quo ritu canendi?

Et sacra Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni ita respondendum censuit: « In casu vigiliae persolvantur « cum Matutino trium nocturnorum et Laudibus de « communi plurimorum martyrum, sub ritu duplici, « cum Oratione de III loco *Deus qui nos,* omisso

« verbo *annua*, et nominibus reticitis, iusta decretum « n. 2886, *Cenomanen.*, 14 iunii 1845 ».

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Commentarium.

Per Decretum n. 2886 14 iunii 1845, S. R. C. declaraverat, quod Matutinum cum Laudibus in Vigiliis agendis ante Sanctorum Reliquias, quae in consecrando Altari sunt includendae, cum dedicatur aliqua Ecclesia, recitari vel cantari debet sub ritu duplici; hodie vero opportune dubium e medio tollitur, circa Antiphonas psalmosque dicendos.

Cum enim ex novi Psaltarii dispositione, etiamsi duplex occurrat, psalmi et antiphonae sumuntur ex ipso Psaltario, non vero de Communi, dubium exurgere poterat (et de facto propositum fuit) quonam ex loco sumi deberent Antiphonae et Psalmi in casu.

Igitur, dubium istud omnino resolutum habemus; dicit enim Decretum, quod vigiliae praedictae agendae sunt, per Matutinum et Laudes de Communi Plurimorum Martyrum. Et sane; si enim Pontificale Romanum praescribit, ut Nocturni et Laudes sint canendi in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae in altari sunt includendae; et si vigiliae ipsae, ad instar sint illarum, quae aniquitus agebantur in nocte praecedenti solemniorum Festivitatum, procul dubio Antiphonae, ideoque et psalmi, dicendae erunt de Communi SS. Martyrum, ut revera sint in honorem Sanctorum; et quidem sub ritu duplici, explicite notat S. Congregatio. Siquidem, officium Dedicationis Ecclesiae non incipit, nisi expletis coeremoniis ipsius Dedicationis, ideoque incipit ad horam Tertiam, quae canenda est dum Episcopus Consecrator se parat ad Missam pontificalem celebrandam. Cum ergo Matutinum, Laudes et Primam habere nequeat huiusmodi Officium de Die Consecrationis, Vigiliae quodammodo locum tenent officii eiusdem, et ideo convenientissime sub ritu duplici persolvendum est. Et quia nulla agitur commemoratio ad Laudes, aequiparatur ad ritum I classis, qui est ritus Dedicationis.

Decretum autem dicit, quod oratio dicenda ad Laudes, est illa quae III loco invenitur in Communi Martyrum, nempe: *Deus, qui nos Sanctorum tuorum solemnitate laetificas etc.* omissa vace *annua,* nam, non agitur in casu de festivitate, quae annuatim celebratur, sicuti in natalitiis sanctorum, sed de solemnitate Dedicationis Ecclesiae, quae, ut bene notat Magani (*La Liturgia Romana* III, pag. 97) non est, nisi solemnissimum funus, quo exaltantur corpora Sanctorum, qui sub altare Dei sunt recondenda.

Quaeri hic potest, an Clerici, qui ad horas canonicas persolvendas tenentur, adimplere possint onus diei, recitando Matutinum cum Laudibus de Communi SS. Martyrum in Vigiliis, da quibus agit Decretum, loco matutini de die occurrenti. Meo iudicio, respondendum esse affirmative censerem, propter duo: I° quia Doctores, cum S. Ligorio, docent, quod semel vel bis in anno, pro devotione propria, potest quis relinquere officium proprii calendarii, ut recitet aliud officium; ergo a fortiori in casu nostro; II° autem, quia, uti iam notavi, agitur de officio, quod maximam relationem habet cum ipsa Dedicatione, et quodammodo iuxta antiqum morem, non est nisi ipsius Dedicationis officium. Scio quod communiter liturgistae docent, Matutinum in Vigiliis, quae aguntur in nocte praecedenti solemnitatem Dedicationis Ecclesiarum, nullatenus locum tenere possit Matutini de officio illius diei; nihilominus, usquedum Suprema Auctoritas aliud non praecipiat, sententia nostra damnari non potest, ob allatas rationes, quae parvi fieri nequeunt.

Doct. P. Piacenza.

NECROLOGIUM

Iosephus D'Isengard, Procurator Generalis Congregationis Missionis apud S. Sedem, SS. Rit. Congreg. Consultor, Academiae Liturgicae Rom. Moderator, die 9 augusti extremum vitae spiritum edidit. Quem sodales, docti viri nostrates et exteri, Episcopi ac Praelati quamplurimi et Romanae Ecclesiae Cardinales, imo et ipse Summus Pontifex, viventem sunt admirati, et nunc demortuum lugent ex animo, « *Ephemerides Liturgicae* » consociatorum memoriae et suffragiis commendant.

Is natus in urbe Spedia Sarzanensis dioecesis die 25 Septembris 1844, ex nobili viro Barone Theodoro D' Isengard et marchionissa Ioanna Francisca Federici, usque a tenella aetate amorem erga Religionem ostendit, quo mirum in modum pii parentes aestuabant. Multo praeditus ingenio adhuc puer non modicam propensionem ad studia litterarum praeseferre visus est. In convictu Imperiali-Lercari apud Sarzanam, sub magisterio Presbyterorum Missionis, studiorum curriculum usque ad S. Theologiam laudabiliter absolvit.

Quum ad ecclesiasticum statum se vocari praesentiret, petiit, ut ad praefatae Congregationis novitiatum admitteretur, quem Augustae Taurinorum explevit. Verum, post consilium illi datum, ut suam definitivam professionem differret, apud suos rediit. Anno 1867 sacerdotio auctus, a proprio Sarzanensi Episcopo destinatus fuit ut in dioecesano Seminario magisterium exerceret; deinde apud civicum patriae suae Lycaeum literas docuit, donec Augustam Taurinorum reversus, magno cum gaudio, tandem voti compos, inter filios S. Vincentii a Paulo fuit adscitus. Paulo post ad urbem Sarzanam iterum vocatus, ibi per quasi triginta annorum

spatium ludi-magister fuit, et etiam Praeses praedicti convictus: ad quae munia exercenda iuxta civiles leges, lauream in litteris et philosophicis disciplinis apud regiam Academiam Florentinam plenis suffragiis assecutus est.

Quamvis in hisce studiis occupatus, numquam tamen cessavit sedulam operam suam praestare propriae Congregationi, et etiam dioecesi Sarzanensi, cuius cleri Examinator fuerat adlectus, sive pueros elementa Christianae doctrinae summa cum patientia et assiduitate edocendo, sive populis verbum Dei explanando, sive in temporanea vicinae paroeciae *(Cerri)* administratione. Pluribus in dioecesibus italicum clerum spiritualibus exercitiis vacantem, ad rectam disciplinam et sanctioris vitae normam saepissime revocavit.

In domum Taurinensem iterum vocatus, ut alumnis suae Congregationis theologicam scientiam doceret, illustri huic dioecesi simul fuit adiumento. Quum enim Cardinalis Richelmy Archiepiscopus singulares eius animi dotes agnovisset, non modo illi munus demandavit, ut clericos Seminarii Catechetica scientia imbueret, verum etiam eum inter pro synodales Examinatores adlegit.

Vacante munere Procuratoris generalis apud Apostolicam Sedem in alma Urbe, pro sua Congregatione, Moderator supremus R.mus D.nus Antonius Fiat, ad tale munus Iosephum nostrum elegit; quod causa fuit cur ipse ingenii sui ac doctrinae, et praesertim in rebus gerendis singularis prudentiae, tum apud Summum Pontificem, tum apud Romanas sacras Congregationes non modica argumenta praebuerit.

Inter multiplices disciplinas autem, quibus animum intenderat, in deliciis habuit Doctrinae Christianae studium, ad quod promovendum, maxime apud Clerum, plures ac perutiles lucubrationes librosque in lucem edidit. Novum etiam quasi vigorem addidit commentario « Il Catechista Cattolico » nuncupato, quod anno 1876, Placentiae, voluntate clarissimi Episcopi Scalabrini in lucem prodire coeperat, quod post triginta vitae annos in eo erat, ut interiret; imo praefati commentarii directionem in urbe Taurinorum su-

scepit, quam usque ad praesentem diem sedulo servavit.

In variis Catechisticis Congressibus, zelo et opera Episcoporum habitis apud illustriores Italiae civitates, uti Bergomum, Mediolanum, Pistorium, Pisas, aliasque, laudabiliter opem suam exhibuit, graves doctosque sermones ibi habuit, hunc praecipuum sibi finem imponens, ut scholarum Catechismi, etiam in ruralibus paraeciis, idonei magistri efformari possent.

Liturgiae cultor eximius quoque fuit, et ideo Pontificiae Accademia liturgicae, quae in domo Congregationis suae Romae est constituta, moderator designatus fuit, loco cl. Calcedonii Mancini, qui mense augusto 1910 supremum diem obierat; ac paulo post etiam S. Rituum Congregationis Consultor renunciatus.

Anno 1911, cum Ss. D. N. Pius Papa X, commisionem constituisset pro reformatione Psalterii Breviarii Romani, et aliam pro novi Catechismi puerorum constructione, eum in utraque adscitum voluit, quibus laboribus diligenter perfunctis, duobus aureis numismatibus decoratus est.

Sed ehu! iamdiu artheriosclerosi nostrum d'Isengard laborantem usque a praeterito anno amici et sodales quasi deflebant, nisi enim ex supernaturali prodigio, deperditam salutem recuperare non posse medici conclamabant.

Attamen, mense iunio elapso, cum morbus aliquantulum imminutus videretur, sodales suos Florentiae, Placentiae, Taurini et Ianuae, nec non familiam suam Spetiae adhuc invisere potuit; imo et congressui Catechistico Placentino ab Episcopo Pelizzari coacto, interesse.

Statim vero spes renata evanuit amicorum, nam Romam reversus, sacrum Missae Sacrificium, nonnisi per paucos dies celebrare valuit, sedens tamen, prout eidem ex specialissimo indulto iam a sex mensibus concessum fuerat a Summo Pontifice. Quapropter, aucta vi morbi, viribusque in dies decrescentibus, finem suum praesentire coepit.

Sacramentis porro pie riteque muniri voluit, et die 9 augusti, hora vigesimasecunda cum dimidio, sexaginta novem annos agens, placidissime animam Deo suo, cui impense

semper servierat, adstantibus sodalibus suae Congregationis, nec non carissimo fratre suo Ioanne, qui Spedia, ubi Abbatis - parochi munuere fungitur, expresse fuerat vocatus.

Exequiae illi de more persolutae sunt in Ecclesia Ss. Trinitatis de Monte citatorio, a propria religiosa familia, praesentibus nonnullis Episcopis, Praelatis, S. Rituum Consultoribus, variisque Ordinum regularium Procuratoribus, nec non frequenti agmine Puellarum a Caritate.

Statim ac de obitu huius insignis Sacerdotis Christi nuntium pervagavit, innumeri Praelati, saeculares et regulares, plurimi Episcopi, ex Italis praesertim, nonnulli Patres purpurati, et praecipue E.mi De Lai, Gennari et Pompili Urbis Vicarius, epistolas consolatorias ad Visitatorem Missionis miserunt; eminet autem inter omnes, gratissima illa, quam R. P. D. Ioannes Bressan nomine Summi Pontificis scripsit, in qua aperte dicitur, quod beatissimus Pater, luget in carissimo Iosepho nostro, quem plurimi diligebat et existimabat, presbyterum benemeritum, non tantum de Missionis Congregatione, sed et de tota Ecclesia.

Merito ergo hic pius et doctissimus vir, hisce in Ephemeridibus erat commemorandus, non tantum ut eius praeclarum nomen Consociatis commendaretur, sed etiam ut mihi, qui eius amicus ex corde fui, daretur, debitum grati et amantissimi animi erga eum persolvere, ac moerenti hunc amicitiae flosculum super sepulcrum eius deponere.

Ave et vivas in Christo sacerdos pientissime, esto memor confratrum tuorum et amicorum, mei autem praesertim, qui cum lacrimis hoc parvulum tuum elogium conscripsi.

Romae, die XVI Augusti MCMXIII.

Dr. PETRUS PIACENZA.

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor*.

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor*.
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

S. CONGREGATIO RITUUM

I.

DECRETUM

Adprobationis novae editionis typicae Ritualis romani.

De mandato sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, praesens Rituale Romanum novissime recognitum, auctum et diligenter revisum a sacra Rituum Congregatione, Sanctitas Sua, referente infrascripto Cardinali ipsius sacri Consilii Praefecto, ratum habere ac probare dignatus est, atque huic editioni, tamquam typicae, futuras eiusdem Ritualis Romani editiones conformes esse debere edixit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 iunii 1913.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Archaeologia Liturgica.

De Statione ad Sanctum Petrum

in secunda Dominica post Pascha

(Continuatio, V. num. 6 currentis anni, pagg. 331-338).

§ V. — De huius stationis obiecto.

Tria potissimum in festis celebrandis, veluti *obiectum quod* assequendum, intendit Ecclesia. Intendit nempe: 1° Deo cultum exhibere sub aliqua peculiari ratione; 2° quasdam fidei veritates revocare et profiteri; 3° ad quaedam peculiaria officia vel salutis opera exequenda excitare.

Duo posteriora per se manifesta sunt ex generali sacrae Liturgiae scopo, et ex peculiari uniuscuiusque festi natura et fine (1).

Quoad cultum *sub aliqua peculiari ratione* animadvertendum est quod in festis, sicut et in cultu generatim sumpto, duo termini semper distinguendi sunt (2). Terminus

---

(1) Conc. Trident. docet: « Mentes fidelium per... visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum... contemplationem excitari ». Sess. XXII, cap. V. Cfr. etiam cap. VIII. — Videsis hac de re quae optime disserit Cl. Grégoire in *Cours et Conférences de la Semaine Liturgique* de Maredsous, 19-24 août 1912, pag. 144 et ss. Sed in sacra Liturgia interpretanda prout, praeter divinum cultum, fidei quoque veritatum et officiorum nostrorum summam et memoriale continet, nostris hisce temporibus claruit Prosper Guéranger in suo praeclarissimo opere: *L'Année Liturgique* in quindecim tomos distributo.

(2) Cl. Pesch. *De Verbo Incarn.*, Ed. III, n. 192, pag. 111, de adoratione disputans, scribit: « Distinguendus *terminus materialis* adorationis, id quod adoratur; et *terminus formalis* adorationis, ratio ob quam adoratur ».

materialis festi, et est is qui colitur: terminus *formalis* festi, et est ratio ob quam colitur. Prior semper idem est, alter variat pro festorum diversitate. In festis D. N. I. C. terminus *materialis* est semper divina Christi persona, terminus *formalis* variat pro diversitate rationum, ob quas, vel sub quibus in singulis festis Christus colitur (1). In festo Nativitatis, ex. gr., Christus colitur, quatenus *natus est nobis;* in Epiphania, quatenus *apparuit nobis;* in Resurrectione, quatenus *surrexit vere;* in Ascensione, quatenus *ascendit in coelum;* et ita porro.

Ratio, ob *quam*, vel sub *qua,* Christus in singulis festivitatibus colitur, est quoque fons a quo fidei veritates, officia vel salutis opera derivant, quae in festivitate peculiariter sunt revocanda, vel profitenda, aut inculcanda.

Nunc igitur praefata omnia in ordine ad nostram stationem consideranda sunt; quae, cum stationis partem formalem et vivificantem constituant, eius scilicet animam et spiritum efforment, digna sunt quae attentius perpendantur.

Huius itaque stationis obiectum hisce verbis exprimendum putamus:

« Ecclesia, stationis celebratione in secunda Dominica post Pascha intendit: 1° Christum peculiariter et solemniter colere, quatenus sub ratione Boni Pastoris animam suam pro nobis posuit, et immensum humanae reparationis beneficium nobis contulit et continuo confert. 2° Fidei veritates revocare et profiteri, quae sunt vel de ipsius Christi pastorali officio, vel de pastorali ministerio Ecclesiae tradito ad humanae reparationis beneficium continuandum, ac veluti continuo in homines effundendum. 3° Officia cognitionis,

(1) Monet Franzelin, *De Verbo Incarn.,* th. 45, quod « praeter excellentiam (divinam), quae est ratio proxima cultus (in Deum), est ratio, adoranti propinquior, per quam et in qua adorandus ei se manifestat ». Hanc *rationem*, quae ordinarie eadem est ac *terminus formalis* festorum, vocat *obiectum manifestationis.* Quod et in cultu Boni Pastoris praestantissime habemus. Christus enim excellentissimo modo, qua Pastor Bonus, se nobis manifestat, beneficia pastoralia impendit, et ad sui cognitionem, amorem et adorationem expresse provocat.

amoris et adorationis eidem Pastori primario formaliter exhibere, nec non ad officia obedientiae, amoris et reverentiae Pastoribus secundariis praestanda efficaciter excitare ».

Ad clariorem huius enunciationis intelligentiam animadvertimus quod: 1° Tum Sacrae Scripturae, tum Patres misericordissimum humanae reparationis opus a Christo sub Boni Pastoris ratione repetunt: 2° Tota christiana antiquitas ad immensum humanae reparationis beneficium exprimendum Boni Pastoris imagine usa est: 3° Hanc propterea imaginem innumera exhibent vetera monumenta, uti picturae, sculpturae, opera vermiculata, etc., etc.: 4° Inde sponte sua factum est, ut qui tanti beneficii fuit Auctor et signum, fuerit quoque solemnis cultus peculiare obiectum: 5° Cum autem istud magnum reparationis nostrae mysterium in die solemni Paschae una cum Resurrectione Domini et gratia Baptismatis celebretur, et eo die, ut congruum est, primum et praecipuum locum teneat Resurrectio Domini, et Dominica in Albis gratiae Baptismatis primi concedantur honores: aequum erat, ut Dominica sequenti illud magnum reparationis nostrae mysterium singulariter, primario ac solemni ritu recoleretur: quod Ecclesia praestitit Christum colendum exhibens, sub ratione Boni Pastoris animam suam pro ovibus suis ponentis.

His itaque positis, si paululum huius Dominicae denominationem, Liturgiam, Summorum Pontificum homilias in hac ipsa celebranda statione habitas, Sanctorum et catholicorum Doctorum conciones et liturgicas expositiones consideramus; facile intelligimus nostrae stationis obiectum proprie illud esse, quod nos descripsimus, et aliud statui non posse.

1. — Terminus *formalis* festivitatis, seu ratio, ob quam festum celebratur, colligitur imprimis ex denominatione ab Ecclesia adhibita in eo designando: at Ecclesia hanc Dominicam saltem per plura saecula a *Bono Pastore* cognominavit. Talis enim cognominationis plurima huc usque tum ex libris liturgicis, tum ex Romanorum Pontificum documentis, adduximus exempla, quin necesse sit ea denuo

repetere. Ea profecto nobis aperte ostendunt, a saeculo saltem IX usque ad totum saeculum XIII non aliter hanc Dominicam cognominatam fuisse quam a *Bono Pastore* (1).

Ea autem appellatio, quam tot monumenta testantur, adeo altas etiam in vulgari usu egit radices, ut eius vestigia ad nostra usque tempora pervenerint. In *Ordine* enim *divini Officii ad usum Basilicae Vaticanae* ab eo tempore quo indicari coeperunt stationes in ea celebrari solitae, scilicet ab anno 1610 usque ad annum 1841, haec nostra Dominica explicite a *Bono Pastore* appellatur: sequenti autem anno 1842 vetus illa denominatio omittitur, et sic illud veteris liturgiae fragmentum decidit, remanente usque ad currentem annum statione, sed signata per simplicem indicationem, uti superius diximus, *Dominica II post Pascha* (2).

Vetus denominatio e contra adhuc perseverat in *Diario Romano*, quod etiam hoc anno, uti superius etiam retulimus, habet: « Dom. II dopo Pasqua, detta *Pastor Bonus*. Stazione a S. Pietro in Vaticano » (3).

Si apud nos in Italia vetus illa denominatio iam obsolevit, in Gallia adhuc servatur, uti nobis plures testati sunt, et Guèranger quoque innuit: « Ce Dimanche, scribit ille de Dominica II post Pascha, est désigné sous l'appellation po-

---

(1) Quandoque denominatio cuidam solemnitatis notae sociatur. Non simpliciter Dominica: *Ego sum Pastor Bonus*, aut: *de Pastor Bonus*, appellatur; sed: « *Dominica qua cantatur:* Ego sum Pastor Bonus ». Ita plura exempla superius allata. Illud *cantatur* quid singularis solemnitatis indicare videtur.

(2) Cfr. *Ordo officii divini in usum Basilicae Vaticanae* ad calcem uniuscuiusque exemplaris ab anno 1610, in tabula inscripta: « Dies in quibus stationes celebrantur in Basilica S. Petri ». — Ut quisque intelligit, magnum pondus et magna auctoritas ex integra vel fere integra serie *Ordinum officii divini ad usum Basilicae Vaticanae* procedit. Est trium saeculorum testimonium in publicum prolatum, cui assensisse praesumitur universus Clerus eidem Basilicae per praefatum temporis spatium inserviens. Quod testimonium invocavimus quoque ad probandam nostrae stationis celebrationem usque ad praesentem diem.

(3) *Diario Romano*, 1913, pag. 42.

pulaire de Dimanche du *Bon Pasteur*, parce qu'on y lit à la Messe le passage de l'Evangile de Saint Jean où Notre-Seigneur se donne à lui-même ce titre » (1).

Denominatio autem, quam adeo longa et veneranda Ecclesiae consuetudo sacravit, apprime festivitatis naturae congruens et ad eius obiectum exprimendum propria haberi debet. Ea enim ex Evangelio diei desumpta est; sed « Sanctum Evangelium principale est omnium, quae dicuntur ad Missae officium », uti tradunt Rupertus Abb. Tuitiensis et Innocentius III. « Sicut enim caput, prosequuntur iidem, praeminet corpori, et illi cetera membra subserviunt, sic Evangelium toti officio praeeminet, et omnia quae ibi leguntur vel canuntur intellectuali ratione illi consentiunt » (2). Fuit igitur illa denominatio adaequata, et ad festivitatis rationem exprimendam maxime apta, quod et dicenda apertissime probabunt.

2. — Ratio ob quam festum celebratur maxime ex eo quod in sacra Liturgia est eo die proprium, dignoscitur. At omnia, quae in Dominica propria habentur, infinitam Christi pastoralem excellentiam et bonitatem apprime exprimunt: seu Christum recolunt, quatenus et *Pastor Bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis.* Re quidem vera:

a) Quisquis huius Dominicae Missam percurerit, statim deprehendet omnia, quae in ea leguntur ad Bonum Pastorem recolendum maxime ordinari. Exorditur in *Introitu a Misericordia Domini,* quae est prima Boni Pastoris, qua talis, perfectio, et prima reparationis nostrae causa. In *Oratione*, illa Christi pastoralis miseratio revocatur, qua *misertus est turbis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem* (3); Christus enim in sua *humilitate,* qua *factus est*

---

(1) GUÉRANGER, *L'Année Liturgique: Le Temps Pascal*, t. II, 5me édit., Paris, 1908, pag. 106.

(2) RUPERTUS, Abb. Tuitien., *De divinis officiis*, l. I. cap. XXXVII. MIGNE, CLXX, 32. INNOCENTIUS III, *De Sacro Altaris Mysterio*, l. II, cap. 47. MIGNE, l. c., CCXVII, 826.

(3) MATTH., IX, 36. Quanta sit huius loci necessitudo cum pa-

pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (1), *iacentem mundum* velut *iacentem* ovem *erexit*, humeris suis imponens *perpetuae mortis eripuit casibus, fidelibus perpetuam* concedit *laetitiam*, ac *gaudiis* facit *perfrui sempiternis* (2). In Epistola (3) quanta passus sit pro nobis revocatur: *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: nos eramus, sicut oves errantes;* sed nunc *conversi ad Pastorem et Episcopum animarum nostrarum.* In *Versibus* qui sequuntur, enunciatur discipulos Pastorem agnovisse in *fractione panis*, quibus respondere videtur Christus testificans, se revera esse Pastorem Bonum, ovesque suas cognoscere, et ab eis cognosci. *Evangelium* totum est de Bono Pastore: hoc profecto est verbum Verbi, sermo Sermonis, sapientia Sapientiae (4). Tales laudes de sua infinita pastorali excellentia et bonitate

---

storaii Christi officio videsis apud SS. Patres, potissimum Hilarium et Hieronymum, et apud Catholicos Interpretes, imprimis A Lapide et Knabenbauer in h. l.

(1) Ad Philipp. II, 8. — Cfr. S. Leo Magnus, Serm. II *De Resurrectione* cap. IV. MIGNE, P. L. LIV, 392.

(2) Tria circa hanc Orationem sunt animadvertenda: Primo, quod in sua secunda parte, sensum perorationis seu conclusionis homiliae S. Gregorii hac die recitatae refert, ac veluti sub precis formulam exhibet; secundo, quod haec Oratio maximam affinitatem praesefert cum illis funebribus orationibus, in quibus Deus exoratur, ut animae *perenni gaudio et Sanctorum consortio* perfrui ooncedat, quia fuit « *Boni Pastoris humeris reportata in comitata aeterni regis* ». MURATORI, *Liturgia Romana Vetus*, T. I, col. 781. Cfr. etiam SIXTUS, *Notiones Archeologiae Christianae*, Vol II, parte II, pag. 218. Tertio, hac nostra aetate praefata Oratio et duae sequentes (Secreta et Postcommunio) non sine aliquo labore de Bono Pastore explicantur, dum e contra tempore quo compositae sunt, erant intellectu facillimae, cum tunc sacra Liturgia, plura quam modo de Bono Pastore haberet, et de eo christiana monumenta, uti picturae, sculpturae, musiva, luculentius loquerentur.

(3) Est Pastor Petrus, qui loquitur ad Pastores. Christi exempla et bona memorans. Cfr. DURANDUS, *Rationale divinorum officiorum*, l. VI, cap. 98.

(4) INNOCENTIUS III, *de Sacro Altaris Mysterio*, l. II, cap. 47. MIGNE, *P. L.*, CCXVII, 826.

ipse solus, *qui est in sinu Patris* enarrare poterat. Post divina Pastoris verba, anima fidelis in *Offertorio*, verba Psalmi usurpans, ad eum clamat: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, et in nomine tuo levabo manus meas* (1). In *Secreta* benedictio salutaris (2) invocatur. In *Communione* iterum Christus ad Ecclesiam et ad animas: *Ego sum Pastor Bonus* etc. In *Postcommunione* vivificationis gratia expetitur, quam ut oves suae haberent et *abundantius* haberent, Pastor Bonus venit (3).

In primis Ecclesiae saeculis, saltem saeculis V et VI, Missae omnes concludi solebant orationibus in *Canone Benedictionis* contentis (4). Harum autem secunda ad *Bonum Pastorem* explicite dirigitur, quam hic repetere praestat: « *Gregem tuum, Pastor Bone, placatus intende; et oves, quas pretioso sanguine redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Per...* ».

b) Divini quoque officii Liturgia, in eo quod est huius Dominicae proprium, infinitam Christi pastoralem excellentiam et bonitatem praedicat. *Capitula* ex Epistola Missae excerpta sunt et opus Christi pastorale in genus humanum a peccatis redimendo enarrant. In *lectionibus* secundi nocturni (5)

(1) Psal. LXII, 1.

(2) Benedictio est maxime actus pastoralis officii, qui a Pastore impertiri in Ecclesia semper consuevit...

(3) Cfr. GUÉRANGER, *L'année Liturgique : Le temps Pascal* in hac Dominica, tom. II, Paris, 1908, pag. 120.

(4) Haec Oratio est antiquissima; eam habent: *a*) Sacramentarium Leonianum: MURATORI, *Liturg., Rom. Vet.*, Venetiis 1748, T. I, col. 364: *b*) Sacramentarium Gelasianum, et quidem tribus vicibus: MURATORI, l. c., T. I, coll. 531, 554, 669; *c*) Missale Gallicanum: TÓMMASI-VEZZOSI, *Opera Omnia*, T. VI, pag. 376. Erat frequentissimi usus: in Sacramentario Leoniano inter orationes *diurnas* recensetur; MURATORI, l. c., 349, et in Sacramentario Gelasiano in *Canone benedictionis*, qui *Canonem actionis* sequebatur, secundo loco ponitur. Cfr. TOMMASI-VEZZOSI, l. c. pag. 177, nota (1).

(5) Olim lectiones tam primi quam secundi nocturni desumptae fuisse videntur ex Epistola I S. Petri Apostoli, refert enim MARTÈNE, *De antiquis Monachorum ritibus*, l. III, cap. XVIII, Lugduni, 1690, pag. 468, hanc Monachorum Cassinensium consuetudinem: « In primo

opera Christi pastoralia inter Resurrectionem et Ascensionem peracta, Sancti Leonis Papae eloquentia illustrantur. Ea praecipue revocantur, quibus et Apostoli « per Spiritus Sancti infusionem » Pastores constituuntur « et Beato Apostolo Petro supra ceteros, post regni claves, ovilis Dominici cura mandatur » Quae omnia ad humanae reparationis beneficium continuandum usque ad consummationem saeculi manifeste ordinantur. Homilia S. Gregorii Papae tota est de Bono Pastore; *Responsorium* ad octavam lectionem opus Christi pastorale in sua resurrectione enunciat: *Surrexit Pastor Bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro grege suo mori dignatus est* (1); et Bonum Pastorem evangelicis verbis collaudant antiphonae propriae in utrisque Vesperis ad *Magnificat* et *ad Benedictus.* Itemque sunt de Bono Pastore et de pastorali missione Apostolis commissa antiphonae omnes per sequentem hebdomadam ad *Magnificat* et ad *Benedictus* recitandae, quasi per totam hebdomadam pastoralia Christi mysteria essent recolenda.

Tota huius Dominicae Liturgia penitus rimata, nos in hanc sententiam venire cogit: quod vix alia divina Christi perfectio ita manifeste celebratur et colitur, sicut in hac Dominica pastoralis Christi excellentia et pastoralia beneficia celebranda et recolenda exhibentur.

---

secundoque nocturno octo lectiones de Epistola prima S. Petri Apostoli, quatuor de Homilia, scilicet in Evangelium *Ego sum Pastor Bonus* desumebant Cassinenses nostri ». Quam consuetudinem forsan non ipsi Cassinenses, invexerunt, sed ab aliquo Romano monasterio detulerunt. Notum enim est anno 589 Monasterium Cassinense depopulatum et incensum fuisse, et Monachos in urbem Romam se recepisse. A Pelagio II ad Basilicam Lateranensem fuerunt addicti: Tantummodo tempore Gregorii II, proprium Monasterium repetere potuerunt. Verisimile est eodem tempore praefatam consuetudinem ab Urbe eo transtulisse, quae tamen brevi obsolevit, et eius memoria periit.

(1) Hoc responsorium, quod *quinquies* a feria secunda post Pascha ad feriam quintam post praesentem Dominicam occurrit, sensum complet et perficit, qui exprimitur in responsorio Sabbati Sancti ad sextam lectionem, quod extat quoque in officio SS. Cordis Iesu ad octavam lectionem, et cuius initium est: *Recessit Pastor noster, fons aquae vivae,* etc.

c) Ex hactenus expositis colligitur quarum fidei veritatum fiat revocatio et professio, et ad quae officiorum executionem excitentur fideles in huius festivitatis celebratione. Ex eo enim quod Ecclesiae Ministri divinas hodiernae Liturgiae sententias in sacris peragendis proferant, et fideles eas devota mente auscultent, necessario fit, ut veritates de Christo Pastore revocentur et profiteantur, ac insimul tam Ecclesiae Ministri quam fideles ad ea respective officia et bona opera exequenda excitentur, quae ex revocatis fidei veritatibus sponte sua profluunt. Sed et sacrae Liturgiae praedicatio ordinarie additur, quae quidem propriam sacrae Liturgiae virtutem iuvat, eiusdemque fructus certiores et copiosiores reddit (1).

3. — Sed nostrae huius stationis ratio a tutiori fonte hauriri nequit, quam ab homiliis, quas Summi Pontifices in ea celebranda habuerunt. Disciplina celebrandae stationis, ut supra quoque monuimus, ferebat ut Pontifices « exhortatorium facerent de celebritate sermonem » (2); at in huiusmodi sermonibus obiectum seu motivum et ratio stationis exhibetur, quale nos descripsimus.

Trium Pontificum homilias in hac celebranda statione recitatas habemus; et sunt homiliae S. Gregorii Magni, Innocentii III et Honorii III. Essent per integrum referendae, ut ex eis eluceret quanto zelo et pio devotionis affectu illi tres Pontifices de Christo Pastore, et de fidei veritatibus ac pastoralibus officiis loquantur. Res esset prolixa nimis vel ea adducere, quae tria praeposita puncta illustrant et probant. Pauca tamen delibabimus, quae propius nostram festivitatem respiciunt.

---

(1) Mos adiungendi liturgicae lectioni sacerdotis exhortationem a S. Leone M. ita rememoratur: « Sed adiiciendum est etiam nostri sermonis officium, ut sicut pia expectatione reposcere vos consuetudinis debitum sentio, ita solemnitati sacratissimae lectionis subiungatur exhortatio sacerdotis ». Serm. II, *De Resurrectione Domini*. MIGNE, *P. L.*, LIX, 390.

(2) Cfr. supra, § III, n. 4, pag. 336.

S. Gregorius M. in fine suae homiliae, a solemnitate in terris hodie celebrata, ad aeternam in coelis celebrandam mentes et animos erigit: « Oves ergo eius pascua inveniunt, quia quisquis illum corde simplici sequitur, aeternae veritatis pabulo nutritur. Quae autem sunt istarum ovium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi?... Quaeramus ergo, fratres carissimi, haec pascua, in quibus cum tantorum civium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos laetantium festivitas invitet... Accendamus ergo animum, fratres; recalescat fides in id quod credit; inardescant ad superna nostra desideria;... ab internae solemnitatis gaudio, nulla nos adversitas revocet... etc. » (1). Videtur haec tam frequens internae et coelestis solemnitatis mentio ab hodierna liturgica solemnitate provocari, ac, ea non supposita, Sancti Pontificis verba suo robore destitui.

Innocentii III verba, quibus suum sermonem absolvit, superius retulimus (2); sed paucis praemissis repetere iuvat, quia ex eis aperte stationis obiectum eruitur. Interpretatur Summus ille Pontifex illud: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili;* et dicit eas tum de populo iudaeorum, tum de populo gentium colligendas esse, ac in unum congregandas, ut sit « *unum ovile et unus Pastor,* id est una Ecclesia et unus Dominus... Quaecumque ovis extra hoc invenitur ovile, luporum morsibus patet, quoniam et omnes qui non fuerunt in arca, in diluvio perierunt ». Et distinctis ovibus in lentas, morbidas et vagas, et data monitione quomodo unaquaeque esset pascenda, prosequitur: « Oves suas pascendas Dominus Petro commisit, vocabulo tertio repetito, (3) quem Pastorem sibi substituit, et ob hoc hodierna statio in huius Basilica celebratur ad laudem et gloriam summi Pa-

(1) S. Gregorius M., *Homil. XIV* circa finem. Migne, *P. L.*, LXXVI, 1130.

(2) Cfr. § III, n. 4, pag. 335.

(3) Io., XXI, 15-17. Quod hic exprimit iste Pontifex apprime congruit cum iis, quae ex sermone S. Leonis Papae recitat Ecclesia in prima lectione secundi nocturni huius Dominicae.

storis Ecclesiae Iesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus etc. » (1). Hic profecto, quin singula declaremus, omnia continentur quae de stationis obiecto expressimus.

Ex Honorii III sermone referimus tantummodo verba, quibus cognitionem quam Bonus Pastor habet de ovibus suis, et oves de Bono Pastore interpretatur. Quam interpretationem eo libentius exhibemus, quod et Innocentius III in praecitato sermone eandem, iisdem verbis expressam, habet: « *Ego sum Pastor Bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.* Ego cognosco meas per approbationem, dilectionem et gubernationem. Meae vero cognoscunt me per *devotionem, obedientiam* et *imitationem*. Novit Dominus qui sunt eius » (2). Pastor Bonus, iuxta praefatorum Pontificum interpretationem, cognoscendus est per *devotionem, obedientiam* et *imitationem;* sed quomodo Christus qua Pastor a fidelibus cognosci poterit, si eis numquam proponitur? Quomodo fideles eum per *devotionem, obedientiam, imitationem* sequi possunt, si eis numquam colendus, audiendus, imitandus et amandus exhibetur? Utique ad salutem sufficit cognitio et cultus implicitus; sed quanto utilior et efficacior explicitus!...

(*Sequitur*).

(1) Innocentius III, Sermo XXI. Migne, CCXVII, 410.

(2) Honorius III, Serm. XXX, in *Bibliotheca Patristica Medii Aevi,* Paris, 1879, tom. I, pag. 925.

Varia de re liturgica.

De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum.

(Continuatio. Vide num. praeced., pagg. 534-547).

§ 6. — *Quid liceat in privato cultu Reliquiarum Servorum Dei.*

Permittitur cultus privatus reliquiarum eorumdem Servorum Dei. Hac de re scribit Ferraris: « Cultu privato possunt coli Reliquiae quaecumque, tam antiquae quam novae, non solum *Canonizatorum* et *Beatificatorum*, sed etiam cum fama sanctitatis defunctorum, quamvis a nemine recognitae et approbatae fuerint. *Communis*, arg. tit. cap. *Cum ex eo*, ubi solum prohibetur publicus cultus et veneratio, adeoque a sensu contrario concessus intelligitur cultus privatus, et veneratio Servorum Dei nondum canonizatorum nec beatificatorum » (1).

Quoad modos et actus quibus *private* coli possunt horum Dei Servorum Reliquiae, Reiffenstuel ex tradita doctrina infert, quod Reliquiae illorum, qui cum sanctitatis fama mortui sunt, iis modis et cultibus privatis coli possunt, quibus ipsi coli possunt. « Insuper, ipse adiungit, pium ac licitum est, easdem Reliquias, v. g. vestes, scripturas, mortificationis aut pietatis instrumenta, libros, imagines, etc., secum portare, ad collum suspendere, osculari, aliove simili *cultu privato* venerari » (2).

---

(1) Ferraris, *Bibliotheca*, v. Cultus Sanctorum, n. 60. — Reiffenstuel, l. III, tit. XLV, n. 29. — Lemkuhl, *Theol. Moral.*, vol. I, n. 487.

(2) Reiffenstuel, l. III, tit. XLV, n. 30.

Ex his sequitur:

a) Licet quoque aliquam corporis partem, ex. gr., cor, brachium, separare et in theca pretiosa extra sepulcrum reponere, dummodo in loco secreto remaneat, nec publice exponatur. « Sacra Rituum Congregatio semper sensit, scribit Benedictus XIV, id ipsum non cultum minime laedere, modo vel ipsum cor aliquo in conditorio repositum secreto custodiatur, nec in loco aliquo exponatur occasionem cultui praebente » (1). Id pluribus exemplis idem Pontifex roborat.

b) Possunt horum Dei Servorum Reliquiae ad aegrotos *private* deferri, ad fiducialius eorumdem intercessionem invocandam. Refert doctissimus Pontifex quod « cum de latione Reliquiarum horum Dei Servorum ad aegrotos disputaretur, an fieri id queat citra violationem iuris communis, aut decretorum Urbani VIII, ratione habita iuris communis affirmanter respondet P. Ceparius *in direct. part. 2, cap. 8, ad dub. 15,* et ego pariter, quatenus petitio, quod Reliquiae ipsae afferantur sine ulla industria, prodeat a spontanea pietate fidelis aegrotantis, qui ad intercessionem Servi Dei confugiat, nihil video, quod fines privati cultus praetereat. Enimvero etiam fidei Promotoris munere fungens saepenumero vidi et a sacrorum Rituum Congregatione et a Summis Pontificibus approbata, pro Beatificatione obtinenda, nonnulla miracula patrata intercessione Servorum Dei, quorum Reliquiae ad aegrotos delatae fuerant » (2).

c) Ob devotionis causam hae Reliquiae ad collum appensae deferri possunt. En quomodo de hac ad collum suspensione loquitur magister et dux noster: « De suspensione demum Reliquiarum eorumdem Dei Servorum ad collum cum quaestio fit, an id fieri licite possit; si adhaeren-

---

(1) BENEDICTUS XIV, l. c., c. XIII, n. 6. — Animadvertendum quod hae partes separatim asservatae, numquam exponantur in Ecclesia, nec etiam in altari privato, aut in aedicula item privata: haec enim omnia rationem illius cultus induunt qui Sanctis canonizatis exhiberi tantummodo solet. L. c., n. 10 et 11.

(2) L. c., c. XIII, n. 11.

dum foret opinioni S. Philippi Nerii, negatione esset respondendum: sensit enim is, in cubiculo potius reservandas, quam ferendas ad collum appensas Sanctorum Reliquias, veluti legitur in eius vita scripta a Iacobo Baccio, *lib, 2, cap. 2, n. 10 et 11.* Sed, quoniam Theologi docent, licitum esse ac merito dignum, ad collum alligatas deferre Sanctorum Reliquias, dummodo absit superstitio, et deferantur ex fiducia in Deum et Sanctos, ut habetur apud S. Thomam 2, 2, *quaest. 96, art. 4, ad tertium,* quem sequitur S. Antoninus *in summa Theolog., part. 3, tit. 12, cap. 8, tom. 2,* consequens est, suspensionem ad collum Reliquiarum etiam Servorum Dei nondum beatificatorum aut canonizatorum non posse, hoc fundamento posito, impugnari. Ita, si quaestio fuerit, utrum id ipsum importet cultum publicum an privatum, placet opinio, quod tantum privatum praeseferat » (1).

d) Licet Servorum Dei cellas, habitacula, aedes, in quibus nati, vel in Domino mortui sunt ab usu communi et profano subtrahere, sed minime licet in sacella, sacras aediculas aut Ecclesias converti; potissime cavendum ne in eis altare erigatur, quia id signum vel argumentum foret mutationis loci profani in sacrum. Benedictus XIV tradit tales conversiones seu mutationes olim factas fuisse; « verum prosequitur, idipsum hodie efficere nequaquam licet, cum quilibet publicus cultus per allegata decreta Urbani VIII vetitus sit, praesertim cum vel ante eadem decreta, qui exoptabant res debito ordine peragere, cellas praedictas non auderent in sacella vertere, nisi praevia Sedis Apostolicae auctoritate » (2).

e) Non explicite in Urbanianis Decretis continetur prohibitio de non convertendis aut mutandis talibus cellis, aediculis, domibus, etc. in Capellas aut Ecclesias; sed in eo generali mandato contenta videtur, quo in Oratoriis, Ecclesiis non tantum imagines apponi; sed « et quodcumque

---

(1) L. c. n. 11.

(2) BENEDICTUS XIV, l. c. cap. XIV, n. 6.

aliud venerationem et cultum (subintellige publicum) praeseferens et indicans » prohibetur. Cfr. Decretum « Sanctissimus Dominus noster ». Profecto, si loca in quibus Servi Dei vel nati sunt, vixerunt aut obierunt, in Ecclesias convertuntur et mutantur, ob eorumdem Dei Servorum respectum, fieri non potest quin in eis eorum honoretur memoria, et quidem honore publico; quod procul dubio est aliquid. *cultum praeseferens et indicans.*

f) Si Apostolica Sedes concedit praefatas cellas, aediculas, domus in sacella aut in Ecclesias convertere, non est putandum quod id faciat, quasi super Urbani VIII Decretis dispenset et cultum permittat antea prohibitum; sed apostolica concessio hoc in casu ordinatur ad accuratiorem ecclesiasticae disciplinae observantiam: Rescripto enim illae adiiciuntur praescriptiones et cautiones, quibus omnis prohibiti cultus praetextus vel occasio tollitur, ac proinde concessio ad hoc quoque ordinatur ut certam fidem habeatur et argumentum omnia rite peracta fuisse et vetitum cultum nunquam exhibitum.

g) Veluti corollarium ex modo dictis sequitur, quod illae locorum in sacros usus conversiones non proprie *per se et directe* prohiberi, quatenus necessario cultum includunt; tunc enim numquam, aut admodum difficiliter concederentur; sed prohiberi quatenus vetito cultui occasionem praebent et praetextum, quod Ecclesia semper cautum voluit, ut etiam probat novissimum Decretum « De Servis Dei » datum sub die 26 Augusti curr. anni 1913 (1).

§ 7. — *Quid liceat in cultu privato imaginum Servorum Dei.*

Ea ratione, qua Servorum Dei permittitur privatus cultus Reliquiarum, permittitur quoque ut eodem privato cultu eorumdem imagines coli possint, dummodo radiis, splendoribus aut aureola non decorentur, ut supra monuimus.

Huiusmodi privati cultus liceitatem arguit Reiffenstuel

(1) *Acta Apost. Sedis,* vol. V, pag. 436.

ex ipsis Urbani VIII decretis. Si enim ea quae publici cultus sunt, specifice prohibentur, sequitur ea quae ad privatum cultum pertinent, permitti. « A sensu contrario, infert ipse, licitum ac pium esse eorum imagines sine radiis, splendoribus aut laureolis depictas vel sculptas, domi suae habere, easque ibidem, etiam videntibus aliis, venerari. Non vero in Templis, Sacrariis et Oratoriis quibuscumque, praesertim in quibus Sacrificium Missae, vel alia Divina Officia peraguntur » (1).

Harum imaginum cultum revera pium esse et utilem, plura ostendunt prodigia, quae earum usu impetrata sunt: Sanctorum vitae gratiis et miraculis redundant hoc medio obtentis.

Ad quosdam autem casus particulares definiendos dicimus:

a) Licet Servorum Dei imagines pingere, sculpere, incidere, cudere et quocumque modo repraesentare, dummodo, ut pluries monuimus, tales imagines fiant sine radiis, splendoribus aut laureolis. Hoc servato, possunt etiam in numismatibus parvis vel magnis, aeneis, argenteis vel aureis cudi aut imprimi. Nec officit si in altero numismatis latere D. N. I. C., vel B. Virginis Mariae, aut alicuius Sancti vel Beati imago habetur: numismata enim nonnisi ad cultum privatum exercendum et fovendum adhibentur.

b) In horum Dei Servorum imagines cultu privato prosequendo, licet eas in propria domo habere, floribus exornare, coram eis preces, etiam flexis genibus, recitare, eas ad collum appensas deferre ac ea omnia licent, quae superius tradidimus in eorumdem Servorum Dei Reliquiarum privato cultu declarando.

---

(1) REIFFENSTUEL, l. c., n. 22. — Excipiendi sunt tamen casus, in quibus horum Dei Servorum imagines in Templis ponerentur tantum ad ornatum, vel ad eventus historicos repraesentandos, quorum ipsi aliqua pars fuerunt. Cfr. Decretum superius citatum. *Decreta Authentica*, n. 3835, et Suffragium super huius decreti declaratione, t. IV, pag. 402. — *Ephemerides Liturg.*, an. 1894, pag. 519, et an. 1909, pag. 212. — *Analecta Ord. Cap.*, vol. X, pag. 323.

c) Nihil prohibet quominus horum Dei Servorum imagines, sive pictas, sive sculptas, etiam in locis publicis extra tamen Ecclesiam collocentur et retineantur. Si enim id fit nemine improbante pro viris scentia, doctrina, beneficientia claris, eadem, imo potiori ratione id fieri posse dicendum est pro viris sanctitatis laude illustribus, dummodo nullum publici cultus signum adiiciatur.

d) In inscriptione seu elogio, quod imaginibus subiicitur, verba adhibere licet quae eorumdem Dei Servorum mores, opinionem et sanctitatis famam magnificant; sed omnino cavendum ne eorumdem personis titulus *Sancti* aut *Beati*, iuxta pluries Urbani VIII citata Decreta (1), tribuatur.

e) Licet horum Dei Servorum imagines distribuere inter fideles, ac eos excitare, ut in propriis necessitatibus se eorum orationibus commendent. Putamus tamen talium imaginum distributionem faciendam non esse in Ecclesia, nec publice in Ecclesia fieri posse a sacris Ministris incitatio ad eorumdem auxilium invocandum.

§ 8. — *Quid liceat in celebrandis anniversariis obitus Servorum Dei.*

A primis Ecclesiae saeculis usus invaluit, ut Sancti eo die solemni honore colerentur, quo hanc vitam caducam cum immortali moriendo commutarunt. Ad similitudinem autem solemnis festi pro die anniversaria obitus Sanctorum instituti, nonnulli, pietatis quidem spiritu ducti, quaedam festivitatis signa introduxerunt ad diem obitus Servorum Dei anniversarium commemorandum.

Per se haec annua commemoratio, dummodo intra debitos contineatur fines, nihil continet quod improbandum sit. Fines observandi ii sunt, quos iam saepius indicavimus, ne scilicet privata devotio et privatus cultus, ad actus excurrat publici cultus, qui semper vitari debent. Rem quibusdam exemplis explanamus, et quid *theoretice* et quid *practice* tenendum declarabimus.

---

(1) Cfr. BENEDICTUS XIV, l. c. cap. XII, n. n. 4 et 5.

a) « Nullo modo prohibitum videtur, ne privatae aliquae personae sponte sua in vigilia diei anniversariae ieiunent, neve anniversaria ipsa die a servilibus operibus abstineant » (1). Talia vero ieiunia et ab operibus servilibus abstinentia non debent a superiore ecclesiastico indici, ex ea quippe circumstantia actus illi publici cultus naturam induerent. Nec qui sponte sua eos observant alios ad eosdem observandos incitare licet, quia tali modo facile ad publici cultus via aperiretur, et plures abusus essent pertimescendi. Quapropter Urbanus VIII quosdam de hoc redarguit religiosos (2).

Si autem tale ieiunium et ab operibus abstinentia fierent publica, interveniente auctoritate nedum ecclesiastica, sed vel civili, ageretur absque dubio de actu publici cultus. « Hinc enimvero, non ad privatum, sed ad publicum cultum relatum est decretum Populi Romani de observanda in Foro Capitolino, tamquam feriata die obitus S. Franciscae Romanae ante ipsius Canonizationem. Item in Causa B. Gregorii X, cum de casu excepto quaereretur, publicum cultum sapere dictum est, quod in Statuto Aretino praescripta fuisset vacatio ab opere servili die eius festo: pariter in Causa Dalmatii Monerii, quando de eius cultu immemorabili disputabatur, tamquam publicus cultus habitus est Senatus Gerundensis actus... quo vovere annuam celebrationem festi Dalmatii decrevit » (3).

b) Inter publici cultus actus recensenda non videtur celebratio diei anniversariae obitus cum festo *pure* civili. « Festa civilia, et minime religiosa, ea sunt, quae in aliquo oppido vel civitate fiunt, recurrente die anniversaria Servi Dei cum sanctitatis laude defuncti, ex communi populi sensu, vel magistratus imperio; sicut in Hispania taurorum agitationes et his similia ». Quamvis id fieri videatur intuitu sanctitatis, quae nondum est authentico iudicio definita, « Verumtamen, scribit Dux et Magister noster, cum idem cultus

(1) BENEDICTUS XIV, l. c. cap. XIII n. 3.
(2) Id. ib., n. 3.
(3) Idem, ib., n. 3.

sit pure civilis, et non raro publice etiam impendatur in memoriam nativitatis Principis, aut liberationis civitatis ab obsidione vel aggressione hostili, aut pro aliqua insigni victoria reportata, crederem, eum nequaquam adversari iuri communi, aut Urbani VIII decretis » (1). Quum autem festa mere civilia nemini forsan prosint, et multoties noceant, ab iis peragendis, quoad prudenter fieri potest, consultius est fideles deterreri.

c) Quoad orationes panegyricas in die anniversaria obitus Servi Dei habendas, Benedictus XIV docebat eas per se, servatis servandis, licere. « Siquidem, scribebat, eam haberi quotannis licet in honorem virorum illustrium, ut revera media in Urbe quotannis habetur in Collegio Romano Patrum Societatis Iesu in honorem Gregorii XIII Summi Pontificis, potiori iure haberi posse videtur in honorem Dei Servi cum sanctitatis et miraculorum gloria defuncti » (2). Subdebat tamen: « Ego vero tutius fore censerem ab eisdem orationibus penitus abstinere, quandoquidem ut plurimum suspicio subest, quod originem ducant a personis lapidem omnem moventibus pro concilianda aut conservanda fama sanctitatis Dei Servi, propter quem instituuntur » (3).

Quod sapiens praefati Pontificis consilium Sanctissimus Dominus noster Pius Pp. X, per Decretum S. R. Congr. datum sub die 26 Augusti 1913, in praeceptum commutavit. Peropportunum hoc praeceptum his enunciatur verbis: « Inhaerens (SS.mus D. N.) sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censuit a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere » (4). Hac igitur de re omne dubium sublatum est.

d) An autem in praefatis diebus anniversariis liceat

(1) Idem, L. II, cap. XIII, n. 5.
(2) Idem, l. c. n. 4.
(3) Idem, ib., l. c., n. 4.
(4) *Acta Apost. Sedis,* vol. V, pag. 437. Decretum exorditur: « De Servis Dei ». Sed de hoc uberius in sequenti capite.

omittere suffragia mortuorum, et loco Missae Defunctorum, canere Missam Sanctorum, vel de SS. Trinitate, vel de Ae-terna sapientia, etc. Negantem sententiam tulit Benedictus XIV (1), et merito quidem. Nam, si minime licet, ut idem ipse Pontifex arguit, suffragia pro mortuis omittere in funere ipsorum Dei Servorum ; nec licita esse poterit eorumdem praetermissio in die anniversaria, atque adeo substitutio Missarum in honorem Sanctorum, aut de Aeterna Sapientia, vel de SS. Trinitate, quippe cum harum Missarum celebratio. ad publicum cultum referatur. Et id ex Causa Innocentii XI ita confirmat (2): « In Sacrorum Rituum Congregationem introducta fuit causa Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Innocentii XI, probataque in ea fuit obedientia decretis Urbani VIII super non cultu, necnon absolutum est iudicium super fama sanctitatis in genere: et per singulos nihilominus annos die anniversaria obitus ipsius coram sacro Cardinalium Collegio canitur Missa mortuorum pro suffragio animae eiusdem » (3).

e) Solemnior procul dubio Servi Dei fieri licet commemoratio recurrente ab eius nativitate vel obitu anno centesimo. Quamvis semper publici cultus actus vitandi sint, tamen in tali commemoratione peragenda, plus concedi potest quam in anniversaria die. Poterunt utique haberi orationes *commemorativa*, vita et gesta Servi Dei publici iuris fieri, publica monumenta erigi, civilia, sed mere civilia, festa peragi. Huc redit ratio centies repetita: si haec et similia fieri possunt, et aliquando laudabiliter fiunt, pro viris doctrina, beneficentia, aut aliis titulis claris, quanta potiori ratione id fieri licebit pro viris qui sanctitatis laude claruerunt?... Ipsi Pontifices aliquando talibus centenariis commemoratio-

(1) Benedictus XIV, l. c., cap. XIII, n. 4.

(2) Idem, Ib.

(3) Allata doctrina non destruitur per decretum S. R. C., die 2 Aprilis 1906, n. 4184, editum, cum quo pium Legatum Ven. Fr. Ios. Rudigier commutavit, « ut interim, loco funeris, quotannis, die obitus ipsius Ven. S. D. peragendi, Missa solemnis celebretur de SS. Trinitate, pro felici Causae exitu ». Nota Redactionis.

nibus peragendis hortatores fuerunt; ut, paucis abhinc annis in commemoratione centenaria Card. Bonae (1).

§ 9. — *Quid de orationibus ad Dei Famulos directis, quidque de orationibus pro eorum Beatificatione et Canonizatione fusis.*

An etiam liceat orationes ad hos Dei Servos directas typis edere, quibus a Deo bona animae vel corporis, eorum intercessione petuntur: id profecto non liceret sine Auctoritatis Ecclesiasticae (Ordinarii) licentia. An autem ipsa Ecclesiastica Auctoritas id permittere possit sine violatione Decretorum Urbani VIII; nobis distinguendum videtur: Si tales orationes diriguntur ad Deum, et Deus ipse directe invocatur, ut per merita Servi sui nobis aliquid concedat, non videtur, eas orationes cultum publicum praeseferre, ideoque prohiberi; secus esset, si orationes ad huiusmodi Dei Servos dirigerentur, et ipsi directe invocarentur. Hoc enim in casu actus revera haberentur, qui tum ex se, tum ex Ecclesiae institutione et approbatione ad cultum publicum pertinent, ideoque haberi non possent, ut actus privati. Orationes iuxta priorem sensum dispositae, plures cum Auctoritatis Ecclesiasticae Ordinariae approbatione pervulgatae inveniuntur; et, quod forsan nimium quibusdam videbitur, etiam Indulgentia, quae ab Ordinario solet concedi, ditatae. Orationum vero, iuxta posteriorem sensum, nullum nobis exemplum occurrit.

Nulla autem ratio dubitandi extat, an liceant illae orationes, quas fere omnes Dei Servorum vitae et imagines prae se ferunt, ad Deum nempe directae, ut benigne dignetur se in Servis suis glorificare. Hae orationes finem habent impetrandi Servorum Dei Beatificationem et Canonizationem. Res utique optima, ad quam obtinendam laudabile et pium

(3) *Acta Apost. Sedis*, Vol. II, pag. 324. — Cf. etiam Leonis XIII s. m. epistolam, qua Christophori Columbi laudes texuit et commemorationem indixit. *Acta Leonis XIII*, vol. XII, pag. 179.

est ad Deum ferventissimas fundere preces. Et mos est etiam apud nos Capuccinos, quod cum in S. Rituum Congregatione maiora dubia in Causis Servorum Dei Ordinis nostri pertractanda sunt, Superior Generalis publicas in toto Ordine praescribat orationes, ut res bene vertat ad maiorem Dei gloriam, et ad Servorum suorum exaltationem.

Pro novissimo maiori dubio coram Sanctissimo circa Ven. Floridam Cevoli, quod erat, die 23 novembris 1909, in Congr. Generali discutiendum, Reverendissimus P. Generalis ordinavit « ut illo die mane particulares coram SS. Sacramento exposito preces fierent ». Talium autem precum finis ita indicabatur: « Ad implorandum divinum favorem pro felici ipsius Causae exitu, qui ad gloriam Dei, ad exaltationem Venerabilis suae Servae atque ad decorem humilis Ordinis nostri vertatur » (1).

Huius tractatiunculae finem facimus, humanissimis lectoribus relinquentes, ex positis principiis alias atque alias legitimas deducere conclusiones, et ex similibus similia iudicare. Hoc unum monemus: ut et sapientissima hac de re Romanae Ecclesiae serventur Decreta, ac Dei gloria, in Servis suis se sedulo pandens, ferventi zelo iugiter promoveatur.

N. B. Mens nostra erat his verbis tractatiunculae finem imponere; sed cum nuperrime Decretum prodierit « De aliquorum locorum disciplina in initio Causarum Servorum Dei emendanda », opportunum existimamus *tertium* addere caput ad praescriptiones provide latas declarandas.

(*Sequitur*).

---

(1) *Analecta O. M. Capucc.*, vol. XXV, pag. 238.

Palaestra liturgica.

DISSERTATIO LITURGICO-PASTORALIS

De quibusdam in praxi liturgico-pastorali defectibus, supplendis et reformandis, cui sequuntur aliquae observationes Directionis.

(Continuatio. Vide nn. 9-10, pagg. 548-556)

IV.

De honore festis suppressis debito ecclesiis in parochialibus restituendo.

Sancta Sedes Apostolica, evulgando decreta de suppressione festorum, semper hanc conditionem restringere est solita, ea solummodo quoad obligationem audiendi sub peccato Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus suppressa esse, non autem quoad ordinem et solemnitatem divinorum officiorum et sacrosancti Missae sacrificii in ecclesiis. Novissima itaque declaratio Sacrae Congregationis Concilii de die 3 maii 1912 a. sic statuit: « Vult Sanctitas Sua, ut hi dies (i. e. festa suppressa) in sacris templis celebrentur non minori, quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia ». Quod vero festa antea suppressa attinet, Pius Papa IX in encyclica « Amantissimi Redemptoris », de die 3 maii 1858 a., sic declarat: « Praedecessores nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus (i. e. festis suppressis) nihil in ecclesiis unquam innovaretur, quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, atque omnia eo prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enun-

ciata Urbani VIII constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi, fuerant praescripti ». Ex quibus patet, voluntatem ac mentem esse Sedis Apostolicae, ut pristinus ordo devotionum nequaquam ullam subiret mutationem, sed festivus ac solemnis, ut antea, saltem intra muros templi, permaneat. Quod et Iurisprudentiae ecclesiasticae doctores et canonistae docent: « Suppressio festorum (legitur in op. dr. Aichner Ep. Brixinensis, cui tit. Compend. Iuris, § 101) nonnisi favore plebis christianae concessa est, quatenus nempe hisce diebus ablata est obligatio vacandi ab operibus servilibus et audiendi Sacrum, minime vero ullam innovationem inducit circa functiones divinorum officiorum. Quare in ecclesiastica ratione loquendi dies festi appellantur et sunt ». Sunt tamen in Ecclesia dioeceses et provinciae, in quibus contraria invaluit consuetudo, in festis enim suppressis nulla ecclesiis in parochialibus observatur solemnitas. Neque enim ulla officia celebrantur, sed ipsa quoque Missa parochialis sine quacumque externa absolvitur solemnitate, sine cantu, sine ullo festivo apparatu, duabus solum candelis accensis. Parochi enim persuadent sibi, superfluam solemnitatem externam esse, cum stipendium non acceptatur, et fideles ad audiendum Sacrum non obligantur. Quomodo ergo debita hac in re disciplina restitui ubique posset? Sane, efficacissimum medium esset, si obligatio strictiori modo in decretis et canonibus definita esset, ut v. g. sub poena non adimplendi obligationem. Praeterea, si in Iure Canonico vigeret lex, ut in diebus festorum suppressorum, etiamsi stipendium ex indulto pro Missa accipiatur, eadem Missa parochialis possibili cum solemnitate extensa, ad modum Dominicarum et festorum de praecepto, celebretur. nempe: *a*) accensis 6 candelis, *b*) adhibito sonitu organi et cantu chori, *c*) adhibito festivo apparatu altaris et celebrantis, *d*) praemisso sollemni pulsu campanarum. Speciali honore prosequenda essent illa ex festis suppressis, quae ritu primae classis sunt decorata, ut: Feria II et III Paschae et Pentecostes, Commemoratio s. Ioseph, Annuntiatio

B. M. V., Commem. Corporis Christi, tandem festa Tituli et Patroni Ecclesiae vel dioeceseos.

Ad augendam sollemnitatem et adhortationem populi ad participationem in Missa parochiali, diebus festis suppressis celebranda, sequentia conducerent media:

1) curandum esset apud S. Sedem de concedendis *Indulgentiis* et gratiis spiritualibus pro fidelibus, Missae parochiali vel Vesperis festorum suppressorum assistentibus;

2) servanda esset praxis, ante vel post eandem Missam, *legendi populo evangelium* festi, addita brevi eiusdem expositione, vel brevi de festo *sermone;*

3) Missa finita *benedictio cum Sanctissimo* impertienda esset;

4) tempestive i. e. Dominica praecedenti *populus praemonendus* esset, de futuro festo suppresso suaviterque adhortandus ad audiendam Missam parochialem.

Animadvertere licet, menti Ecclesiae, in decretis Sedis Apostolicae de suppressione festorum expressae, valde consonum esset, si saltem una de maioribus horis canonicis, praecipue primae Vesperae Missam parochialem praecedant.

His itaque mediis adhibitis ac in praxim pastoralem deductis, mens Ecclesiae eiusque Liturgiae honoraretur, tenor decretorum Sedis Apostolicae non amplius demortua littera putaretur, et festis suppressis debitus honor restitueretur, non cum modico augmento gloriae Dei et utilitatis spiritualis populi fidelis.

V.

De frequentia expositionum Sanctissimi Sacramenti moderanda et ordinanda.

Ignota prorsus antiquis erat expositio ss. Sacramenti in ostensorio, quae nonnisi exeunte saeculo XIV inducta est. Decursu tamen temporis, praecipue saeculo praecedenti, numerus expositionum valde crevit, ita, ut hodie praeter quotidianam adorationem vespertinam ss. Sacramenti, ubique

pene vigeant expositiones per octavam Corporis Christi (in Missa et Officio), expositiones per mensem Maium in devotionibus erga B. M. V.; per Iunium, in devotione erga ss. Cor Iesu; mense Octobri, in recitatione Rosarii, item in devotione 40 horarum, in menstruis adorationibus, in devotionibus novendialibus et triduanis ante quaedam festa etc.

Oritur non parvi quidem momenti quaestio: 1° *an tanta frequentia expositionum pietatem fidelium promoveat; 2° an sensui Ecclesiae sit conformis*, et 3° *quae hac in re reformationes desiderandae essent?*

Quoad primum, potius *negative* respondendum videtur, cum tanta frequentia expositionum nequaquam cultum eucharisticum promoveat, sed e contra illum potius magis consuetum minusque solemnem prae oculis fidelium reddat. Quod ipsa experientia probatur, his maxime in dioecesibus, in quibus expositiones valde sunt multiplicatae. Populus enim paulatim assuescit et in pietate vilescit ac tepescit.

Quod vero alteram quaestionem spectat, item *negative* est respondendum, cum tanta frequentia expositionum menti Ecclesiae et suae s. Liturgiae adversetur. Pro argumento habetur decretum de hac re a Congregatione Rituum latum, et in Collectione authentica decretorum sub n. 1329 citatum. Specialiter vero contraria menti Liturgiae. videtur consuetudo plurium regionum exponendi solemniter seu in throno ss. Sacramentum in devotionibus, quae nullum nexum cum cultu eucharistico habent, v. g. tempore devotionis maianae erga B. M. V. vel Sanctos. Qua in re peritus liturgista in Ephem. liturg. de die 2 martii 1913 a. (pag. 152) sic loquitur: « Quoad preces in honorem vel Sanctorum. vel B. M. V., notandum est, an ipsae preces ad divinitatem directe effundantur an non; in primo casu possunt et merito coram Eucharistia sive supra altari in ostensorio, sive ante ostium tabernaculi in pyxide exposita, recitari, secus ante expositionem; cum ita et debita reverentia, et sensus liturgicus, et pietas bene ordinata satis consulant; orto enim sole, necesse est, ut alia sidera evanescant ». Et sane, cui bono Sacramentum

in throno exponitur, si aliud obiectum devotionis et cultus proponitur, non autem cultus Eucharistiae? Probabile ob solemnitatem devotionis augendam. Sed medium non adaequatur et non respondet fini! Ergo et sanae rationi consuetudo, de qua sermo, adversatur.

His itaque perpensis, per se patet, valde desiderandam esse quandam reformationem in consuetudine fere communi frequentium expositionum ss. Sacramenti, nonnullis in provinciis et dioecesibus vigente.

Itaque 1° opportuna esset explicita et stricta determinatio in lege quoad numerum et frequentiam expositionum;

2° determinanda essent tempora et dies, quibus licita vel obligans esset expositio v. g. per octavam Corporis Christi, in festo ss. Cordis Iesu, in menstrua adoratione, tempore 40 horarum etc.

3° prohibendae essent expositiones in devotionibus, non habentibus pro obiecto directum cultum eucharisticum, et permittenda ad summum benedictio cum Sanctissimo, finita devotione;

4° valde congruum esset, ut expositiones Sanctissimi locum habere possint in principali solemni Missa et in Officio magnarum solemnitatum Salvatoris, praecipue in Nativitate et Epiphania Domini, in Paschate, Ascensione, Pentecoste, in festis Corporis et Cordis Christi, in Anniversario Dedicationis Ecclesiae;

5° desiderandum esset, ut in maioribus ecclesiis, praesertim in civitatibus et oppidis, benedictio cum Sanctissimo quotidie in adoratione verpertina impertiatur; in minoribus vero saltem diebus festivis vel pridie eorum, post Vesperas, habeat locum;

6° perutile esset, ut quacunque in dioecesi devotio 40 horarum, saltem « ad instar » introducatur, et ita per anni circulum disponatur, ut quotidie, sine intermissione, Christus Dominus in Eucharistia adorandus exponatur. Maxime autem commoda esset praxis expositionis, non quidem continuis 40 horis, sed per unum, duos vel tres dies, a Matutino, sci-

licet, usque ad Vesperas vel Completorium, inclusive, durantis.

VI.

De cultu sancti Ioannis Baptistae et sancti Ioseph, Sponsi B. M. V. in populo amplificando.

Multa hac in re, praecipue quod cultum s. Ioseph attinet, variis in ephemeridibus catholicis discussa et scripta iam fuere. Omnes tamen huiusmodi dissertatione quaestionem solummodo ex teoretica seu speculativi parte solvebant, cum Sanctorum cultui amplificando, praesertim ex parte populi fidelis, nil tam prodesset, quam executio eiusdem practica, externam per devotionem exhibita.

Decreto Sedis Apostolicae de die 2 iulii 1911 anni celebratio solemnitatum: s. Ioseph, Sponsi B. M. V. et s. Ioannis Baptistae in dies dominicos est translata, hunc, sane, ob finem, ut fidelibus universae Ecclesiae detur in posterum facultas publice et solemniter hos magnos in regno Dei principes recolendi. Ne autem in praxi supradictum decretum inefficax existat, atque finem desideratum obtineat, necessarium esset, ut animarum rectores populum fidelem ad activam participationem in dicto cultu adhortarentur et traherent, cum sola a clero recitatio Officii et celebratio Missae festi non videatur ad solemnitatem in populo exhibendam sufficiens. *Quae* autem *media ad finem conducentia snppeditari possent?*

Imprimis, valde desiderandum est, ut in duabus his festivitatibus officia divina, maxime autem principalis Missa solemnis, *maiori,* quantum fieri potest, externa cum *solemnitate* celebrentur, imo, si possibile esset, etiam *cum expositione Sanctissimi.* Valde congruum et aequum videtur, ut Christus Dominus publicae adorationi in throno exponatur, dum eius servos proximos et amicos, tanto cum vita Eiusdem nexu iunctos, recolimus et commemoramus;

2° desiderandum item esset, ut *populus* fidelis Dominica solemnitatem praecedenti de celebrando respectivo festo ex ambone *moneatur,* et ad participationem in cultus exhibendo *invitetur;*

3° opportunum quoque esset, ut una saltem *concio* in principali i. e. parochiali Missa de vita, exemplis et cultu Sanctorum horum praedicaretur;

4° iure merito aequum esset, ut in honorem duorum illorum principum coelestium quaedam *pia exercitia* vel *preces novendiales* aut *triduanae,* maxime autem per octavas festorum mane vel vespere instituerentur et peragerentur (1).

VII.

De verbo divino tempore Adventus et Quadragesimae fidelibus praedicando.

Concilium Tridentinum, sess. 24 cap. 4, obligationem hanc omnibus animarum rectoribus imposuit, ut tempore Adventus et Quadragesimae verbum Dei quotidie populo praedicarent. Notum tamen est, non ubique locorum hanc tam gravis momenti cousuetudinem vigere, quam ob rem lex ipsa de die in diem obsolescere videtur. Ipsa ratio magni fructus spiritualis fidelium, qui his sacris temporibus ad Sacramentum Poenitentiae accedere solent, clamat pro retinenda vel restituenda ubique locorum hac consuetudine. Cum ecclesia in recitatione Breviarii et Missae celebratione officiis ferialibus, praecipue quadragesimalibus, debitum, quo antiquitus gaudebant, honorem restituerit, valde congruum aequumque videtur, ut populus quoque fidelis hoc tempore, Missa finita, verba sancti Evangelii feriae currentis eiusdemque brevem explanationem in sua vernacula lingua quotidie praedicata

(1) Pluribus in locis viget iam laudabilis consuetudo preces ad s. Ioseph mense martio peragendi. Cum tamen mensis hic ob tempus Quadragesimae vel Passionis minus conveniens videatur, multo melius esset, si preces haec novem diebus ante Dom. III post Pascha vel octo sequentibus diebus peragerentur.

audiat. Hac, scilicet, occasione nacta, iuxta mentem Concilii, saltem brevis sermo vel meditatio de veritatibus aeternis nostrae fidei, de novissimis et de necessitate ac conditionibus poenitentiae institui deberet. — Idem affirmandum esset de *sacris exercitiis spiritualibus* seu *recollectionibus parochialibus*, quae maximo cum fructu spirituali, multis iam in locis initio Quadragesimae peragi solent, populi ad Sacramenta paschalia praeparandi gratia.

VIII.

De restituenda antiqua consuetudine erigendi altare Sepulcri Domini Feria VI in Parasceve ecclesiis in parochialibus.

Nonnullis in provinciis ac dioecesibus viget adhuc antiqua, olim in Sacerdotali Romano (VIII cap. de process. ad ponendum Corpus Domini in sepulchro) nota, pulcherrima ac symbolica illa consuetudo erigendi Feria VI in Parasceve sic dicti *Altaris Sepulcri Domini*, in quo magnificentissime parato, ss. Sacramentum manet in throno expositum usque ad caeremoniam Resurrectionis Dominicae, vespere Sabbati Sancti peragi solitam.

Ineffabiles fructus spirituales ex continua adoratione ss. Sacramenti in Sepulcro expositi, provenientes, magna pietas ex illa occasione populi fidelis, antiquitas, pulchritudo et maiestas consuetudinis huius induxit quandam inordinationem, confusionem, imo errorem, in notione liturgica populi. Fideles enim ratione defectus veri sepulcri in ecclesiis Feria VI in Parasceve, non desinunt erronee appellare nomine « Sepulcri » illud Altare expositionis, in quo die praecedenti Sacramentum exponitur, quodque in liturgica denominatione « altare repraesentativum institutionis ss. Eucharistiae » vocatur. Idem affirmandum de *caeremonia Resurrectionis Dominicae*, quae magna cum solemnitate, cum pompa et populi concursu multis in locis celebrari consuevit. Caeremonia autem haec constat ex sollemni processione cum

ss. Sacramento e Sepulcro deportato et solemni Matutino paschali, quod coram exposito Sanctissimo in throno celebratur.

Defectus huiusmodi caeremoniae, repraesentantis mysterium Resurrectionis in locis, ubi ignoratur, ipsum festum Paschale minus solemne prae oculis fidelium reddit, eo magis, quod hodie ad unicam solummodo diem ubique terrarum celebrandam hi obligantur. Hoc tandem advertendum, magnam sollemnitatem et pompam, quacum dicta caeremonia Resurrectionis absolvi solet, nostrae fidei excellentiam, decorem Ecclesiae et splendorem eiusdem rituum non solum prae oculis fidelium, sed etiam infidelium et acatholicorum valde promovet et auget.

STEPHANUS BERNATOWICZ
Parochus in Osick (Russia-Polonia).

In proximo fascicolo, aliquot dabimus animadversiones, ostendentes sentiendi modum DIRECTIONIS *Ephemeridum*, circa supra expositas opiniones, uti ab initio polliciti sumus.

NOTA REDACTIONIS.

Consultationes.

Q. *Quaenam missae in honorem B. Mariae Virginis celebrari possunt* tanquam votivae?

R. I. Decretum Generale S. R. C. de missis votivis, diei 30 iun. 1896, n. 3922, statuit principium generale (sub n. III, 1): « Dici possunt ut votivae missae omnes a) quae in fine Missalis sub hac designatione ponuntur, b) necnon illae quae in corpore Missalis, ut votivo more per annum dici possint, adnotantur »,

Dispositio specialis de votivis B. Mariae Virginis (sub n. V, 1) nihil aliud est quam illius principii applicatio: « Missa votiva de Beata Virgine sive sit privata, sive solemnis etiam pro re gravi, debet esse una a) ex Votivis B. M. V. in fine Missalis positis pro diversitate temporum, b) aliave approbata ut votiva dicatur, ut missa *Gaudens gaudebo* de Immaculata Conceptione et missa septem Dolorum ».

II. Votivae de B. Maria V. in fine Missalis numero sunt quinque, et assignantur quinque diversis anni ecclesiastici temporibus: horum intuitu diversimode conceptae sunt habentque partes proprias, quae exprimunt magis proprie relationem Dei Genitricis cum mysteriis vitae Christi quae successivis anni liturgici temporibus recoluntur. Ita tempore Adventus seu expectationis nascituri Salvatoris dicenda est missa *Rorate coeli,* quae magna ex parte convenit cum missa feriae IV Quatur Temporum Adventus, et omnino eadem est ac missa festi *Expectationis Partus* B. M. V.: in ea celebratur diserte Mariae maternitatis divina ante partum.

A festo Nativitatis Domini usque ad Purificationem eligenda est missa *Vultum tuum*. Haec celebrat maternitatem

Mariae nato iam Salvatore, cuius apparitio et nativitas diserte recoluntur. Ceterum vix non omnia huius missae elementa desumpta sunt ex missis Nativitatis Domini et ex missa festi Circumcisionis quod olim habebatur partim ut festum Dei Genitricis.

Pro sequentibus temporibus anni liturgici, quae recolunt vitam Christi publicam, dolorosam et gloriosam, minus intima est relatio matris ad mysteria vitae Filii (1): et ideo tres missae sequentes conceptae sunt modo magis generali; celebrantur encomia Dei Genitricis, ita tamen ut minores quasdam habeant inter se differentias.

III. Quod vero spectat missas proprias festorum B. M. V., generatim non possunt celebrari tanquam votivae seu extra ordinem officii. Ratio esse videtur quia multo magis quam festa ceterorum Sanctorum cohaerent cum mysteriis vitae Christi et operis redemptionis nostræ quæ temporibus iuxta ordinem historicum et logicum statutis celebrantur, et ideo difficilius extra dies proprios sibi assignatos recoli possunt.

Sunt tamen quaedam exceptiones. Sunt enim quaedam festorum missae quas ipsa Missalis rubrica permittit celebrare ut votivas, adnotando in corpore missae quonam modo « votivo more per annum dici possint ». Huiusmodi autem hodie tres missae sunt in calendario universalis Ecclesiae.

1) Missa *Gaudens gaudebo* festi Immaculatae Conceptionis, die 8 decembris. Indicatur enim in corpore missae qualiter Graduale vel Tractus sit dicendus pro diversis anni temporibus. Ulterius, iuxta regulas generales, in secreta vocibus *in Solemnitate,* quae festum indicant, substituenda sunt verba *in Commemoratione,* quae extra festum conveniunt.

2) Missa *Stabant iuxta crucem* festorum Septem Dolorum B. M. V. feriae VI post Dominicam Passionis et Dominicae III in mense Septembri. Pro missa votiva Missale exhibet orationem propriam, indicat variationem in Graduali, addit Tractum, et notat Sequentiam *Stabat mater* esse omittendam.

(1) Nota tamen diversa evangelia.

3) Missa *Vidi civitatem* festi Apparitionis B. Mariae V. Immaculatae (die 11 februarii) quae decreto Urbis et Orbis diei 27 nov. 1907, fuit extensa ad universalem Ecclesiam. In ea notantur diversa Gradualia et Tractus pro casu quo haec missa celebratur more votivo.

Addendum est quod si alicui dioecesi vel ecclesiae speciali indulto concessa sit missa quaedam festi particularis proprii B. M. V. in qua notatur quomodo missa sit dicenda more votivo, haec missa etiam ut votiva celebrari potest, sed tantum ab iis sacerdotibus vel iis in locis, quibus conceditur ipsa missa festiva. Et ita est de missa festi Purissimi Cordis B. M. V. pro aliquibus locis concessa et olim celebranda Dominica III post Pentecosten vel Dom. post octavam Assumptionis.

IV. Si igitur petatur missa votiva de B. Maria V., seligenda est regulariter una ex quinque votivis, ea nimirum quae assignatur tempori in quo celebranda est (n. 2417, 6: 2427, 2). Quodsi petatur specialiter celebranda in honorem alicuius peculiaris mysterii B. M. V. sumi potest etiam una ex tribus aliis, si forte melius conveniat cum intentione stipendium elargientis: v. g. missa Apparitionis B. M. Immaculatae, si petatur missa in honorem B. M. de Lourdes, (n. 4238, V, 1).

Sed apprime notandum est quod si qualiscumque missa celebranda sit in honorem B. M. V., in festo, in vigilia aut infra octavam festi eiusdem B. Mariae, nunquam est celebranda votiva aliqua, sed respective ipsa missa festivitatis aut de vigilia aut de die infra octavam, eaque est celebranda non more votivo, sed *festivo* (n. 3922, V, 1), et ideo cum *Gloria* et *Credo* et *Ite missa est,* etiamsi officium celebraretur alterius semiduplicis (1).

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 34 ss.

BREVIORA RESPONSA

Pro Liguria. — Quid sit agendum, quando aliqua Ecclesia ad usum profanum sit convertenda, vel sit destruenda?

Resp. Iuxta Instructiones quae habentur in Actis Ecclesiae Mediol. (part. I, pag. 135) et ab aliis auctoribus data consilia, haec observari possunt:

I. Si in Ecclesia habeantur Sanctorum Corpora vel Reliquiae, aliquot diebus ante profanationem, diligenter ab eorum loculis amoveri debent, a Sacerdote superpelliceo et Stola rubri coloris induto, recitatis antea (vel, si adest Clerus, decantatis) Antiphona et oratione pro unoquoque Sancto, cuius habetur Corpus vel insignis Reliquia; et instituta processione, ad locum aptum deferantur, cum hymnis et canticis, ut in Rituali Romano praescribitur.

Eo in loco diligenter recognoscenda sunt Corpora ipsa vel Reliquiae, utrum sigilla sint intacta, etc. Si autem nihil obstat, in novam Ecclesiam solemni processione sunt deferenda.

II. Deinde unus vel plures Sacerdotes, si multa extant altaria, ad eorum profanationem procedant, hoc modo: *a*) Superpelliceo et Stola violacei coloris indutus Sacerdos, comitante clerico qui ei inserviat, ad gradus altaris profanandi genuflexus tacitus oret, et Antiphonam cum oratione in honorem Sancti cui dicatum est Altare devote recitet.

b) Altare ipsum denudet, complicatis tobaleis, et remotis omnibus ornamentis; tunc, adhibitis operariis, mensam altaris amoveat, et amotam suis manibus lavet et abstergat, aquam in sacrario postea effundat.

c) Sepulcrum mensae caute aperiat, et Reliquias contentas extrahat, atque obsignatas in loco apto custodiat.

Si vero Altare non sit consecratum, sed habeat tantummodo lapidem sacrum, hunc caute evellat, lavet, et intactum in Sacristiam deferat.

III. Tunc, si Ecclesia sit consecrata, duodecim cruces in parietibus Sacerdos amoveat, adhibito opere fabri murarii si opus fuerit; unamquamque crucem lavet, et postea aquam in sacrario effundat; crucesque in loco apto reponat.

IV. Si quae sint ossa fidelium inhumata, ea exhumari curet, prius recitatis ps. *De profundis* cum precibus et oratione, et in loco sacro denuo sepelienda disponat, comitante clero et populo, si commode fieri potest.

V. Itaque ab Ecclesia sic profanata, postea amoveantur immagines sacrae, et omnia ornamenta; et licet in usum profanum converti debeat Ecclesia, nihilominus, ex Concilii Trindentini sanctione (Sess. 21, de Ref. c. 7), signum Crucis aliquo loco apto figatur, quod facile amoveri nequeat.

P.

Pro Gallia. — I. S. Cong.nis Rituum *Instructio* pro reformatione Calendariorum Regularium haec n. 3° habebat: « Non concedetur, ut festa particularia regionum aut dioecesium, in quibus Ordinis domicilia inveniuntur, celebrentur, illis exceptis quae a Rubricis Generalibus indicantur et *praescribuntur* ».

Porro, reformato Calendario Generali Soc. Iesu, Calendarii redactor pro Gallia anxius haeret, nesciens, quidam enim affirmant, quidam negant, utrum possit et debeat inscribere festum B. Ioannis Mariae Vianney quod Dioecesibus Galliae his concessum fuit verbis: « Beatissimus Pater... indulsit perlibenter ut... diesque festus sub ritu duplici minori tum pro clero saeculari, tum *pro Regularibus* cum Officio et Missa propriis ab Auctoritate Ap. approbatis recoli valeat ».

Iamvero Decretum 1708: ad 2, declarat, Regulares *teneri* (sane a Rubricis Generalibus) ad recitationem Officiorum concessorum aliquibus Regnis, Provinciis, etc. ubi concessio extenditur etiam ad Regulares.

Atqui inusitata formula « tum *pro Regularibus* », loco alterius « pro utroque clero » satis indicat, concessionem extendi ad Regulares proprie dictos.

Videtur ergo, festum Beati nostri ex illis esse quae a Rub. Gen. praescribuntur, ideoque illud debent Regulares celebrare.

Hoc est affirmantium ratiocinium, haec conclusio, cui libenter assentiret dictus Redactor, ni remaneret oppositi formido.

Rogat ergo Ephemeridum doctores ut, pro sua scientia et caritate, velint ipsi quid in hac occasione, eorum sensu agere ipse debeat per breviorem responsionem, si fieri potest, aperire.

Resp. Gratis affirmatur, Regulares teneri *vi Rubricarum* Generalium ad recitationem Officiorum Regnorum etc; quia, etsi dictae Rubricae, titulo I, n. 1, dicant, Officium duplex haberi « et in festis Sanctorum, qui apud quasdam ecclesias, Religiones vel Congregationes consueverunt solemniter celebrari », id accipiendum est de Officiis, quae legitime introducuntur et retinentur ex Apostolica auctoritate. Atqui nulla ex Rubricis conceduntur aut confirmantur Officia, praeter illa quae sunt in Breviario, et Dedicationem nec non Titularem propriae ecclesiae, ac Patronum loci, sed supponuntur aliter concessa; ergo festum B. Ioannis B. M. Vianney, cum a Rubricis Generalibus non sit concessum, in novissima Calendarii reformatione debet omitti.

II. Eidem Redactori videtur, quin decreto certo possit suum sentiendi modum firmare, 1° Regulares teneri generaliter ad celebrationem *omnium festorum* sive Dioecesis sive Regionis etc., *quisque sit eorum ritus,* quae feriationem sive nunc habent comitem, sive olim certo habuerunt, licet non iam reputentur esse Patronalia festa.

2°. Feriationem antiquam satis probari ubi nunc recolitur Festum sub ritu duplicis I cl. cum Oct., solemnitas ad sequentem Dominicam transfertur.

3° Quaerit utrum sufficienter probetur, feriationem extitisse, ubi nunc festum celebratur *cum Vigilia* sub ritu dupl. I cl., licet non transferatur solemnitas ad sequentem Dominicam.

Sic Lutetiae Parisiorum, S. Dionysii festum, et Virduni, SS. Crispini e Crispiniani, Vigiliam habent (sine ieiunio) et ritum I cl. cum Oct.

Exemplum festorum olim feriatorum quin sint 1ae cl. habemus in Calendario Angliae, ubi legitur:

Dies devotionis, quae olim Festa *obligationis* erant etc., quae, licet *utrumque praeceptum* ablatum fuerit, debent tamen cum aliqua solemnitate celebrari.

12 Martii S. Gregorii Magni, dupl. 2 cl.
23 Aprilis S. Georgii, dupl. 1 cl. cum O.
26 Aprilis S. Augustini, dupl. 1 cl. cum O.
30 Nov. S. Andreae, dupl. 2 cl.
29 Dec. S. Thomae Cantuar. dupl. 1 cl. cum O.

An illa festa et similia teneantur Regulares eodem ritu celebrare ac saeculares, licet sine Octava?

Resp. — Regulares tenentur celebrare festa de quibus in casu, quia obligatio pro Regularibus celebrandi festa feriata, non limitatur ad festa elatioris ritus, sed ad omnia. Feriatio vero, ad hunc effectum, pari conditione versatur, sive abolita vel reducta sit, sive etiamnum ex toto servetur.

Quod praesumptionem attinet feriationis, minus recte dicitur illa extitisse, quando solemnitas ipsius festi ad sequentem Dominicam transfertur, quia potest supponi aliam ob causam solemnitatem transferri, quam feriationis, uti fit alicubi pro Titularibus ecclesiarum; quid enim, in hypothesi, transfertur? Apparatus exterior. Minime siquidem hic agitur de solemnitate liturgica, sed de ea quae ex privata devotione evolvitur.

Quod demum respicit festa cum Vigilia, profecto dicendum est illa extitisse feriata, quia nequit concipi festum cum Vigilia, quod non habeat vel habuerit feriationem; loquimur hic ceterum de Vigilia liturgica.

Pro Eggenburg in Austria. — I. In fasciculo « Ephem. Liturg. » I, n. 1 (1913), pag. 7, die 1 Febr., non liquent « *initia* » indicata, praesertim cum die 3 Febr. demum anticipetur Dom. V p. Epiph. et cum non locus sit saltuum in initiis

S. Apostoli. — Si Sabb. ante Septuages. festo dupl. commemoraretur Dom. V p. Epiph. tunc utique locus esset trium initiorum.

II. Quoad privilegium « Ephem. Liturg. », n. 7, pag. 397,7, in fine: « Nec indultum etc. », quaeritur: *Si Ecclesia ipsa* Religiosorum est simul oratorium domesticum, numquid ipsi non accipere possint S. Communionem in Ecclesia in Nativitatis Domini nocte?

III. Iuxta S. R. C. (4033), in hymno: « Iste confessor », non est mutandus versus, si proximo insequenti die, sive perpetuo sive accidentaliter celebretur festum alicuius Confess. — Iamvero, die 14 Ian. festo S. Hilarii, in Mutationibus Breviarii, pag. 73, legitur iterum m. t. v., cum dies 13 Ian. sit dies natalis; quid igitur dicendum? (Item festo S. Ludovici R.)

IV. Die 29 Aug. celebratur festum S. Augustini, dupl. mai. (utpote Patronus secundar. monialium); concurrit cum Decoll. S. Ioann. Bapt. (nunc primar.), forsitan Vesperae dividendae, an Vesp. seq. com. praec.?

V. Hoc anno iuxta noviss. dispositiones forte rectius die 21 Sept. festum VII Dolor. (praesertim ubi cum octava celebratur) et fer. II, die 22 Sept., S. Matth. Ap.?

VI. Censeturne etiam dispensatio S. Communionis post Miss. privat. tale *pium exercitium,* ut preces a Leone XIII et Pio X imperatae omitti possint?

VII. Iuxta Rubr. gener. Missal. III, 2 (occurrente Vigil. infr. oct. Miss. dicitur de Vigil. cum commem. oct.); unde *quare* « Ephem. Liturg. », pag. 585, III (n. 9-10), *Miss. ad libitum...?*

VIII. Quoad ultimum Evang. in Missa manet dubium: Occurrente festo dupl. in Quat. Temp. et simul occurrente aliqua Vigilia, Missa est vel de festo, vel de fer. vel de Vigil. Si Missa sumitur de Vigil., estne ultimum Evang. de fer.? Non videtur esse ita, quia occurrentibus Vigiliis S. Ioann. Bapt. et Ss. Apostolor. semper est: *In principio* sive Missa sit de Vigil. S. Ioann. sive Ss. App. — Nonne?

Resp. I. Etiamsi vi antiquarum Rubricarum ratio indicandi *Initia* S. Scripturae, loco citato, non haberet locum, hodie tamen, est in satis explicita mente S. Rituum Congregationis, ut plus quam poterit, de ea quotidie legatur, in suis variis partibus. Hinc, si ex praecepto non sunt legenda *Initia*, ut exhibentur in Specimine nostri Calendarii, possunt quidem ita legi ex interpretatione. Cęterum, nemo ad id tenebitur, eo vel magis, quod Epistolae Paulinae liturgice unus et idem liber considerantur.

II. Affirmative; ratio autem est, quod illa ecclesia, fictione iuris, est, ut dicitur in casus expositione, tamquam oratorium domesticum. Sed notandum, ut reipsa oratorium domesticum habeatur, nequit, ianuis apertis, ad excipiendos extraneos derelinqui. Quid tamen dicendum, si quasi in fraudem legis per viam secretam fideles introducantur? Respondemus, quod id potius dependet a ratione clausurae; quia, si populus excipi potest in oratorium domesticum, ex hypothesi, non intelligeretur cur id vetitum foret in casu, quo ecclesia pro oratorio haberetur. Si vero non, aliter dicendum esset.

III. Putamus hoc in casu agi de materiali errore involuntarie posito in Mutationibus Breviarii, quia decretum citatum abolitum non fuit. Ceterum, cum nulla habeatur contradictio, nullum inconveniens, utcumque versiculus legatur, putamus standum esse Mutationibus, quasi ipsae exceptionem a regula generali indicarent. Videbitur autem in novis futuris editionibus Breviarii quomodo res componatur.

IV. Cum in S. Ioanne habeatur ratio maioris dignitatis personalis, in paritate aliarum conditionum, praeferentia danda est Decollationi S. Ioannis Baptistae, ex tit. II., num. 1, litt. *e* Novissimarum Rubricarum.

V. Affirmative, sed praecise ob rationem octavae, secus enim ratio habenda erat non de dignitate personali, sed de primarietate. De feriationis actualis et de suppressae differentia Rubricae non distinguunt.

VI. Cum agatur de re ad libitum celebrantis relicta, censemus, de rigore posse omitti preces in fine Missae in casu, sed ad scandalum vitandum melius est ut loci consuetudo servetur. Sed subsumi potest, consuetudo nondum dici potest invecta, cum agatur de recenti decreto. Respondemus, ad introducendam istiusmodi consuetudinem, videatur an scandalum oriri queat, et in dubio res ad Ordinarium deducatur. Sed rursus obiici potest: Cuiusnam erit iudicium ferre? Respondemus: Conferatur res inter Parochos, Capitula, Religiosos Ordines etc., et ut supra diximus, in in dubiis ad Ordinarium. Ceterum, ex Decreto 20 Iunii c. a., sub verbis *aliqua sacra functio* bene potest intelligi S. Communionis distributio, potiusquam sub aliis *pium exercitium*.

VII. In responsione citata dicitur *in casu;* non est ergo accipienda solutio tamquam generalis. Agitur de Missis privatis et non de Conventuali, non tenetur autem Sacerdos celebrare Missam de Vigilia, quum occurrat verum festum, hoc est dies infra octavam; ergo potest ad libitum alterutram dicere. Potest vero celebrare de octava, quae Missa in casu non est proprio sensu votiva, et ex praecepto S. R. C. non est dicenda more votivo, sed festivo; ergo, cum dicatur in novissimis Rubricis Missam privatam dici posse in Vigiliis vel de Vigilia vel de festo, stat data solutio. Sed si quis de rigore vellet sustinere, prohibitionem Missarum votivarum privatarum in Vigiliis extendi etiam ad Missas de infra octavas, nequiremus eum damnare, quia haec nostra sententia, quamquam legitimae interpretationis, posset, ex positiva auctoritatis dispositione non admitti.

VIII. A nostra non amovemur sententia pluries prolata circa ultimum Evangelium de alterutra Vigilia, de qua Missa celebratur. Quamquam afferri potest aliquod documentum, asserens occurrentibus duabus Vigiliis, dictum Evangelium esse debere *In principio,* id non cotraeret Rubricis, sive intelligatur Missa *in ordine,* sive *extra ordinem* officii.

Pro Galicia. — Circa Titularem oratorii semipublici Religiosorum, 1. An debeat in Collegio Regularium de

eo fieri sub ritu dupl. 1 cl. cum Octava. 2. An totum Officium. 3. An solum in Missa. 4. An etiam in ecclesia, quae Collegio adnectitur. Dicti Religiosi enim habent Ecclesiam, in qua curam animarum exercent, sed alii Sancto dicatam, et oratorium intra clausuram pro suo commodo, et hoc oratorium est *solemniter* benedictum.

Resp. 1. Affirmative, cum ibi agatur de oratorio solemniter benedicto, et tali Sancto dicato. 2. Etiam affirmative, quia id exigit conditio loci, cui Regulares collegialiter addicuntur. 3. Negative, ex ratione in praecedenti numero exposita. 4. Affirmative, de iure communi, uti constat.

Ad oppositam sententiam sustinendam, oporteret probare, vel Collegium Religiosorum non pertinere respective oratorio et ecclesiae, quod a nobis non pendet, sed a vera rerum conditione. Oratorium in casu considerandum est tamquam altera ecclesia, et quemadmodum fieret apud Regulares qui apud propriam domum duas haberent ecclesias, quibus indiscriminatim servirent, ita faciendum est in casu. Neque discrimem poni posset inter Religiosos curae animarum in ecclesia actualiter incumbentes, et ceteros, qui ab ea liberi existunt; quia ex iure canonico cura animarum et ecclesia in qua ipsa exercetur, si agatur de Regularibus, non singulis traditur Religiosis, sed Communitati. Hinc, si cum Parocho et eius coadiutore apud eandem ecclesiam reipsa morantur alii eiusdem Instituti Religiosi, nequeunt hi ab Officiio eiusdem ecclesiae dispensari. Oratorii interni existentia nequit rerum conditionem, quae universaliter accepta est, et sanctionibus apostolicis firmata plane dignoscitur, immutare.

Pro Hollandia. — *Patronus loci* nostrae parochiae est *S. Michael* (29 Sept.), Titulares vero Oratorii nostri semipublici sunt *Angeli Custodes* (2 Oct.); festum primarium utrumque *cum Octava celebrandum*. Quaeritur: Num infra Octavam S. Michaelis (diebus in quibus per Rubricam licet) Com. sit facienda Octavae SS. Angelorum Custodum. Videtur negandum iuxta Decr. 4006 ad 7, et 4043 ad II, apud

v. d. Stappen, S. I, q. 231, n. 8. Videtur affirmandum iuxta Decr. 3400, II, 1; et 3406 apud de Herdt, tom. II, et alios.

Resp. Affirmative, et non obstant decreta citata primo loco, quia in ipsis agitur de Officio omnium Sanctorum Angelorum, quod profecto excludere debet commemorationem peculiaris Angeli, dum in casu proposito agitur de peculiaribus Angelis, de quibus separatim et exclusive invicem fit Officium vel memoria.

Pro N. N. in Moravia. — I. Dominica infra Octavam Ss. Cordis, uti Titularis Ecclesiae, dicitur Praefatio Ss. Trinitatis an Ss. Crucis?

Resp. Dicenda est praefatio Ss. Trinitatis, utpote quae est propria Missae, quae ex integro recitatur.

II. Iuxta indultum apostolicum 19 Augusti 1852, solemnitas Tituli Ecclesiae in nostra dioecesi pro foro celebratur Dominica post festum Tituli Ecclesiae, ita, ut una Missa votiva dicatur de S. Titulari cum unica oratione *Gloria* et *Credo* (sine aliis commem.). Festum Tituli Ecclesiae erat hoc anno 4 Iulii fer. 6, et solemnitas pro foro celebrabatur Dominica sequenti, id est 6 Iulii, in qua occurrit festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. Chr., quod habet Praefationem de Cruce. Quae Praefatio dicenda erat in hac Missa votiva S. Procopii, die dominica, in fest. Pret. Sang. D. N. I. Chr.; de Ss. Trinitate, an, propter festum occurrens Pret. Sanguinis D. N. I. Chr., de Cruce (quamquam nulla commem. erat)?

Resp. Praefatio de Ss. Trinitate, quae quamvis non sequatur in casu Missam de Dominica, ne commemorata quidem, est tamen de die, seu de tempore.

III. Officium est de S. Martyre *tempore Paschali*. In Laudibus sunt sequentes commemorationes: 1. Octavae S. Martyris (simplex). Pro com. Octavae dicitur Ant. ℣. et ℟. e I. Vesp.; sed unde sumitur Ant. ℣. et ℟. pro com. simplicis S. Martyris (Iuxta Decr. S. R. C. n. 4042, Ant. *Sancti* e II. Vesp, ℣. *Lux perpetua* e 2 Noct., sed Ant. *Sancti* est

℣. in I Vesp. et ℣. *Lux perpetua* est Ant. in I. Vesp.; item, si sumatur e 3. Noct. Ant. *Lux perpetua* est Ant. in I Vesp.)?

Resp. Standum est Decreto citato; quia nihil impedit quominus accipiatur antiphona ex versiculis iam recitatis et vicissim; dummodo id non eveniat in eadem commemoratione.

IV. In Ecclesia Titulari S. Michaëlis, pro officio de die infra Octavam, et Octava die, possumusne uti lectionibus pro Octava Ss. Angelorum Custodum nostrae dioecesi concessis, an debent Lect. 2. et 3. Noct, dici de festo ab iis, quibus deest Octavarium?

Resp. Affirmative, dummodo lectiones de Octava Ss. Angelorum Custodum omnibus Angelis conveniant, et non illis tantum.

V. Iuxta decretum S. R. C. 23 Ian. 1912 et 11 Iunii 1913, Octava festi universalis praefertur Octavae festi particularis. Titularis Ecclesiae S. Procopius celebratur die 4 Iulii ritu dupl. I cl. cum Oct. Die 5 Iulii celebratur festum Ss. Cyrilli et Methodii Patronorum regionis dupl. I cl. cum Oct. cum feriatione. Quia festum Ss. Cyrilli et Methodii per totam dioecesim imo per totam Moraviam celebratur, et festum S. Procopii tantum in Ecclesiis S. Procopio dicatis (alias per Dioecesim celebratur uti dupl. maius), erunt die 4 Iulii Vesperae de Ss. Cyrillo et Methodio cum com. praec. S. Procopii, et per Octavam 1. loco ponitur com. Oct. Ss. Cyrilli et Methodii et 2. loco Oct. S. Procopii?

Resp. Tertium *Notandum* in Tabellis occurrentiae et concurrentiae, per Decretum citatum vulgatum habet: « Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua festa ipsa, ad quae spectant ». Ergo non est omnino verum Octavam festi universalis praeferri alii festi particularis, nisi illud « universalis » referatur ad festa duplicia I cl. primaria universalis Ecclesiae. Hinc, Titularis Ecclesiae propriae praeferri debet Patrono regionis, ratione maioris proprietatis, quae indicatur in ordine, quo describuntur festa particularia in n. 2 *Notan-*

dorum: 1° Dedicatio Ecclesiae; 2° Titulus eiusdem; 3° Patronus. Id vero, tum in concurrentia festorum, tum per eorundem Octavam. Si tamen Patronus habet vel habuerit feriationem, uti reipsa est in casu, *ex hoc titulo* praeferri debet.

VI. Festum S. Hieronymi Aemiliani, iuxta Calendarium universale celebratur die 20 Iulii. In Martyrologio legitur 1. loco: « Sancti Hieronymi....., qui sexto Idus Februarii obdormivit in Domino ». Apud nos celebratur hoc festum die 24 Iulii, quia 20 Iulii celebratur festum S. Margaritae V. M.

1° Legitur elogium de S. Hieronymo 20 Iulii, prouti est in Martyrologio?

2° Die 24 legitur: « Officium S. Hieronymi Aemiliani Conf., de quo *sexto Idus Februarii,* an legitur *de quo tertio decimo Kalendas Augusti?*

3° Et necessarium hoc in casu apponere vocem « Officium » prouti habet Martyrologium editum a Dessain in Appendice, an sufficit dicere, « Sancti Hieronymi, de quo etc. »?

Resp. Ad 1. Affirmative, sed post enunciatum festum S. Margaritae. Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, ut servetur ordo Martyrologii. Ad 3. Nelius est dicere *Officium,* ut innuatur agi de peculiari mutatione seu assignatione diei.

VII. Festum S. Mariae Magdalenae de Pazzis celebratur die 29 Maii; in Martyrologio, hac die 29 Maii, legitur: « Sanctae Mariae Magdalenae etc. »

1° In nostra vero Dioecesi festum S. Mariae Magdalenae de Pazzis celebratur die 27 Maii (duplex), legendum est idem elogium de S. Maria Magdalena de Pazzis, prout in Martyrologio die 29 Maii?

Et 2° die 29 Maii legitur iterum de S. Maria Magd.?

Et 3° die 25 Maii in elogio de S. Maria Magdalena dicitur hoc in casu « cuius festum quarto Kalendas Iunii celebratur », an dicitur: « Sexto Kalendas Iunii »?

Resp. Ad 1. Affirmative, addito verbo « Officium » Ad 2. affirmative, quod indicat diem quasi natalitium pro universa

Ecclesia. Ad 3. affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quia festum, scilicet in Ecclesia universali, celebratur quarto Kalendas Iunii.

VIII. Festum Ss. Cyrilli et Methodii Patronorum loci celebratur die 5 Iulii, in Martyrologio vero legitur de iis 7 Iulii: « Sanctorum Episcoporum Cyrilli et Methodii, quorum memoria agitur sextodecimo Kalendas Martii ». Quaeritur:

1° Quomodo legitur Martyrologium de iis die 5 Iulii?

2° Legitur de iis die 7 Iulii?

3° Festum Ss. Cyrilli et Methodii, ante annum 1863, celebrabatur die 9 Martii uti festum fori. Legitur adhuc de iis die 9 Martii, quamquam novum Martyrologium (Editio typica) ponit de iis die 14 Februarii?

4° S. Cyrillus obdormivit die 14 Februarii Romae, sed S. Methodius obdormivit in Moravia die 6 Aprilis (Martyrologium 6 Aprilis nullam mentionem facit de eo). Legitur de S. Methodio die 6 Aprilis? et si legitur, quo loco?

Resp. 1. Legetur: « Officium sanctorum etc., de quibus Nonis Iulii » 2. Affirmative, uti prostat in Martyrologio. 3 et 4 Standum novae editioni Martyrologii.

IX. Festum Ss. Angelorum Custodum celebratur in nostra Dioecesi Dominica prima Septembris, legitur de iis in Martyrologio die 2 Octobris?

Resp. Affirmative, recolendum est enim quod fit in Ecclesia universali; attamen, post annunciatum Officium diei.

X. Pro Regularibus Congregationis SS. Redemptoris a S. R. C. concessum est, ut festum Dedic. Ecclesiarum celebrent Dom. III Octobris, non vero prout in eorum Calendario die 3 Octobris. In nostra Dioecesi, Dom. III Octobris celebratur Dedicatio Ecclesiae Cathedralis omniumque Ecclesiarum Dioecesis. Possunt illi Regulares hac Dom. III Octobris iuxta nova decreta porro celebrare Dedicationem Eccl. Ordinis, an debent die 3 Octobris? Et si debent iterum 3 Octobris celebrare, est necessarium petere S. R. C.? Et si possunt porro Dom. III Octobris celebrare Dedic. Eccl.

sui Ordinis, est ab iis facienda commemoratio Dedic. Eccl. Cathedralis, prout est inter festa pro aliquibus locis in Missali a Pustet edito Dom. III Octobris?

Resp. Dominica III Octobris celebretur festum Dedicationis Omnium Ecclesiarum Congregationis; die vero proxima, feria scilicet II, nisi occurrat Officium duplex I vel II classis, fiat de Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, prout de iure.

XI. Devotio erga SS. Cor Iesu peragitur *Dominica prima* cuiusvis mensis: 1° Potest hoc in casu Missa votiva de Ss. Corde legi vel cantari feria 6 prima cuiusvis mensis? 2° An licitum est Dom. prima hanc Missam votivam legere? Devotio Dominica hoc modo peragitur: Dicunt mane preces, Ss. Communio accipitur, post meridiem litaniae de Ss. Corde, cantio et preces ad Ss. Cor Iesu. Ab Ordinario est approbata haec devotio, et ad hanc Ecclesiam est Archiconfraternitas Ss. Cordis Iesu.

Resp. Ad 1. Negative; privilegium enim eiusmodi datum est pro Ecclesiis, in quibus feria ipsa sexta, de mane, peraguntur pia exercitia in honorem Ss. Cordis Iesu. Ad 2. Negative; nullibi enim concessum legitur simile indultum, saltem generaliter.

Pro Congregatione Missionis in ditione Austriaca. — Dominica II novembris anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum integrae Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo habetur. In Austria, Dominica III octobris et anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Omnium Ecclesiarum Dioecesis simul celebratur.

Queritur: I. Quandonam sacerdotes Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, ditionis Austriacae, dictum festum ipsis proprium anniversarii Dedicationis omnium Ecclesiarum integrae Congregationis celebrare debeant, utrum in universali festo Dedicationis Ecclesiarum imperii, nempe III Dominica octobris, an II Dominica novembris ut in eorum directorio proprio praescriptum videtur?

Resp. Dominica II Novembris Congregatio Missionis in Austria celebrabit anniversarium Dedicationis Omnium ec-

clesiarum proprii Instituti; Dominica vero III Octobris anniversarium celebrabit Dedicationis Ecclesiae Cathedralis loci in quo Domus religiosa illius Congregationis existit.

II. Quid in casu, si ab Episcopo Dioecesano praedictis sacerdotibus cura animarum delata sit in ecclesia quae vel ecclesia Dioecesana est vel annexum habet aliquod institutum caritativum sub directione Puellarum caritatis eiusdem S. Vincentii, ut in Schwarzach contingit, ubi ecclesia, quae quasi parochialis censetur, nosocomio annexa est?

Resp. Quamquam Ecclesia appellatur dioecesana, ex eo forte, quod non in proprietatem transiit Missionariorum S. Vincentii, cum tamen ipsis tradita sit ad indefinitum tempus cum cura animarum, Calendarium in ea adhibendum est Missionariorum. Item, ratione instituti Puellis a caritate concrediti, quae ab ipsa Missionis Congregatione dependent.

Pro Dioecesi Civitatensi. — I. Rubrica generatim loquitur de corporali adhibendo in sacrificio Missae; in hac regione mos est ut duo corporalia apponantur; potest ne huiusmodi mos servari, vel uno tantum uti, sicut in aliis regionibus Hispaniae?

Resp. Standum est Rubricae, et non admittenda bina corporalia in Missis; id porro esset incommodum, et oporteret aliquas actiones ponere; quae a Rubricis sunt alienae.

II. In hac Cathedrali imago B. M. V., quae est titularis, collocata est in loco principali toreumatis (retablo) in altitudinem 90 cm. super mensam Altaris, in qua est crux ad sacrificium; an incensari debeat, et quidem post crucem, cum incensatur altare?

Resp. Potest, sed non debet, incensari, si adsit consuetudo, vel agitur de insigni icone.

III. Cruci altaris maioris et choralis, in quo non asservatur Sanctissimum Sacramentum, fieri debet reverentia extra Officium et functionem, ab iis qui ante illam transeunt?

Resp. Affirmative, quoad Crucem Altaris maioris, ex Rubricis, in Ritu celebrandi Missam; Negative, quoad Al-

tare Chori, nisi tempore quo ibi habeatur Officium vel Missa conventualis, saltem si infra Chori septa fiat transitus.

Pro Savonensi Dioecesi. — I. Quando Regulares celebrant (ritu dupl. I classis) festum Patroni loci, qui, in suo kalendario generali, ut duplex II classis, iam octava gaudet, (v. gr. S. Stephani, S. Laurentii), quonam ritu celebrabitur dies octava? Utrum duplici, aut potius duplici maiori? Ex Resp. S. C. R. 24 Ian. 1908, in casu simili, hanc ultimam sententiam meliorem puto.

Resp. Ritu duplici maiori, verum enim est, esse diem octavum festi primarii I classis.

II. Si qua Ecclesia Cathedralis polluta est, et nondum cultui catholico restituta, imo et usque nunc cultu haeretico vel schismatico inserviens: Utrum eius titularis, necnon et anniversarius dies dedicationis in hac dioecesi recoli debent, vel saltem possunt?

Resp. Distinctioni locum esse putamus: de Dedicationis Anniversario nihil agendum, quia, saltem liturgice loquendo, non congruunt, quae leguntur in Officio et Missa, conditioni praesenti illius ecclesiae; quanam mente diceretur ex. gr.: « ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse laetetur »? De Titulari vero nihil obstat quominus in Dioecesi Officium et Missa celebrentur; quia 1°. Non desinit ratio honorandi legitimum principem, ex eo quod e regia Domo iniuria pulsus fuerit; 2° Ex praesenti conditione rerum, non desunt, imo potiores adsunt causae, cur ad illum Sanctum fiat recursus; 3° Quia non deficiunt exempla de Titularibus veterum ecclesiarum, etiam apostolica auctoritate firmata, quibus constat eorum Officia perdurare, quamvis de ecclesia ne ullum quidem maneat vestigium. Ergo, si non constat de obligatione, saltem satis suademur de convenientia.

III. Quando, cum festo semiduplici in aliqua feria maiori propria Missa gaudente, occurrit festum simplex (ut, ex. gratia, Sti Eusebii in vigilia Assumptionis B. M. V. cum die infra octavam S. Laurentii; Sti Lucii M. cum festo

S. Casimiri C. in quadragesima), potest ne dici Missa de festo simplici? Ratio dubitandi est qualitas istius Missae, quae non est mere votiva, sed est vere festiva, et ut talis, non prohiberi videtur a rubrica.

Resp. Nostra sentiendi ratio affirmativa est, et cum solutione congruit, quam in hoc fasciculo confirmamus, sub titulo *Pro Eggenburg in Austria*, n. VII.

IV. In Octavario Romano legitur: « Ubi festum Annuntiationis, ex indulto, octava gaudens transfertur post Pascha, integra octava cum eo transfertur ». Utrum recte?

Resp. Standum Decreto S. R. C., n. 4034, II, quod id non admittit, nisi ob impedimentum perpetuum; pro accidentali enunciatum Octavarii Romani valet tantum in casu translationis festi Annuntiationis cum feriatione. Quod servandum etiamnum, feriatione pro populo abolita.

V. Cum hymnus I Vesperarum, qui, propter concursum nobilioris Officii, dictus non fuit, potior est hymno Matutini, huic sufficitur. Sic hymnus *Moerentes oculi,* de I Vesp. commem. Passionis D. N. I. C. reponitur in Matutino. Hinc, pro Officio plurimorum Martyrum, quidam kalendaristae reponunt ad Matutinum hymnum *Sanctorum meritis,* loco hymni *Christo profusum*, quando Officium non habuit I Vesperas, ut in festo SS. Cyriaci, Largi etc., die 8 Aug. Alii Kalendaristae tacent. Quosnam sequi debemus?

Resp. Non novimus, neque in Rubricis neque in Decretis, huiusmodi criterium; hinc dubitamus de eius authenticitate, ac probare applicationem in casu nequimus.

VI. Dies octava duplex maius SS. Redemptoris occurrit, anno sequenti (Dom. IV Iulii), cum festo S.tae Annae, duplici I classis. Iuxta novas rubricas, de die octava nulla fiet commemoratio. Sed quoad praefationem, doxologiam, etc. quid? De *die infra octavam* occurrente in festo dupl. I vel II classis, omissa commemoratione, servantur tamen (si hoc festum propriis non gaudet) et praefatio et doxologia, et versus ad Primam. Sed in *die octava?* Docent aliqui, in hoc casu, octavam omnino cessatam. Quorum sententiae, salvo meliori iudicio, nequeo assentire.

Resp. Cum Rev. Inquirente plane convenimus; ex eo quod, uti alias meminimus dixisse, aliud est cessare octavam, aliud impediri. Si cesset, uti ex. gr. adveniente quadragesima, nihil habere potest; si vero impeditur, impeditur tantum, circa orationem *semper* in duplici I classis, circa aliam rationem faciendi memoriam, cum duplici I classis compossibilem, *tunc tantum* cum festum non gaudet propria, v. gr. in praefatione, in conclusione hymnorum.

VII. Anno sequenti festum S. Aloisii Gonzaga, patroni loci, occurrit in Dominica infra octavam SS. Cordis Iesu, titularis Ecclesiae, de quo nulla commemoratio, ut patet. Sed quaenam praefatio est usurpanda? De Cruce (ratione octavae) aut de SS. Trinitate? Iuxta Rubr. «Div. affl.» tit. X, n. 4, praefatio de oct. videtur praeferenda.

Resp. Per Decretum S. R. C. n. 4283, II, confirmatur Rubrica citata, sed dubium manet utrum verbum «octava» intelligendum sit tantum de die octava, an etiam de infra oct., exceptis Dominicis, quae Officium sumunt de octava.

VIII. Festum et Anniversarium Dedicationis Ecclesiae non habet nisi praefationem communem. Quum annumeretur inter festa Domini, quare non gaudet praefatione divinae gloriae magis adaptata, scilicet praefatione de SS. Trinitate, vel de Nativitate Domini? Hoc certe solemnius et convenientius foret.

Resp. Nihil innovandum, usquedum compentens Auctoritas non censeat ita esse faciendum, iuxta plurimorum exhibita vota.

IX. Quando Ecclesia Cathedralis est tantum solemniter benedicta, non autem consecrata, debetne, a clero dioecesano, tum saeculari, tum regulari, anniversarium huius benedictionis tamquam dedicationis celebrari?

Resp. Negative, quia aliud est Dedicatio, aliud benedictio, pro qua altera non favent Rubricae et Decreta.

X. Quando una et eadem dies assignatur pro anniversario dedicationis ecclesiarum totius dioeceseos vel regni, utrum valet adhuc distinctio, pluribus abhinc annis posi-

tam, scil. hoc festum esse primarium in ecclesiis consecratis, et secundarium in ecclesiis vel oratoriis non consecratis? Et praesertim si Cathedralis non est consecrata?

Resp. Non valet, sed standum posterioribus Decretis. Caveatur tamen, ne Regulares proprio Kalendario utentes agant de ipso anniversario, si cathedralis non est consecrata, quia tunc ipsi non tenentur ad dedicationem recolendam aliarum ecclesiarum; neque id facere possent, titulus enim, seu ratio tunc deficeret ipsiusmodi celebrationis.

XI. Tenore recentiorum dispositionum in rubricis breviarii, solemnitas externa (feriatio, octava) in paritate ritus praecellentiae ius tribuit. Quando tales characteres in casu occurrentiae utraque parte pares erunt vel videbuntur, quid statuendum erit?

Exempli gratia: Festum Pretiosissimi Sanguinis, utpote fixatum in Dominica, feriatum censetur, ex hoc, praefertur, in occursu et concursu, festo Visitationis B. M. V. Sed, in locis ubi festum Visitationis, dup. II cl., gaudet octava, cuinam festo dare praecellentiam?

Festum Pretios. Sanguinis cum feriatione sine octava.

Festum Visitationis cum octava sine feriatione.

Utrum in casu characteres pares sunt? Et ex *qualitate festi* casus sit dirimendus?

Aliud exemplum: S. Matthaei apostoli festum est feriatum; festum VII Dolorum B. M. V. utpote Dominicae affixum, feriatione gaudet. In universalis Ecclesiae Kalendario, praestantia tribuetur Sti Matthaei festo, quia est primarium, festum autem VII Dolorum qualitate secundaria tantum gaudet.

At, si festum VII Dolorum celebratur cum octava, duplici charactere ornatur:

Festum S. Matthaei cum feriatione tantum.

Festum VII Dolorum cum feriatione et octava. Quomodo, in casu, solvenda erit difficultas?

Sic, in posterum, tum inter dup. I cl., tum inter II classis, octo gradus praestantiae ponentur: nimirum·

Festum cum feriatione et octava primarium,
Festum cum feriatione et octava secundarium,
Festum cum feriatione primarium,
Festum cum octava primarium,
Festum cum feriatione secundarium,
Festum cum octava secundarium,
Festum (sine feriatione nec octava) primarium.
Festum (sine feriatione nec octava) secundarium.

Quinam ordo inter haec festa sequendus erit?

Resp. Quoad primum exemplum, putamus deberi prae lationem festo primario, quia, praeter titulum seu criterium pari gradu positum, habetur ratio primarietatis in uno festo, secundarietatis in altero.

Quoad alterum exemplum, putamus non cumulari duplex criterium, ut vim habeat maiorem duplex quam simplex, nisi ceteris paribus.

At in casu feriationis ex una parte, et octavae ex altera, ceteris paribus, praelationem daremus festo feriato.

Nesciremus porro dare praelationem festo adhuc in populo feriato, prae altero ecclesiastica tantum, olim vero in choro et foro.

Ex dictis solventur dubia circa gradus festorum propositos.

XII. Iubent recentissimae Rubricae, statim post festa duplicia I cl. primaria universalis Ecclesiae, dari praecellentiam festis sequentibus: Dedicationi Ecclesiae propriae, Titulari eiusdem, Patrono loci (et pro familiis religiosis: Titulo Ordinis seu Congregationis, Sancto Fundatori eiudem).

Sed illae festivitates possunt inter se concurrere vel occurrere. Quo in casu, cuinam ex istis praestantiam tribuere? Certe quaestio ista solutionem postulat.

Videas, in Gallia, Dedicationem omnium Cathedralium et ecclesiarum esse fixatam in Dominica post octavam OO. Sanctorum (sc. occurrente de die 9 ad 15 Novembris), et S. Martinum Turonensem die 11 Novembris multorum lo-

corum esse patronum.[1] En duo festa cum feriatione et octava; mihi videtur, fiet de Dedicatione, ut potiore, in occurrentia vel concurrentia.

Sed in Congregatione SS. Redemptoris, Anniversarium Dedic. Ecclesiarum celebratur die 3ª Octobris. Quando incidit in Dominica, in locis ubi SS. Rosarium B. M. V. est titulus vel patronus, quid agendum? Dedicatio est sine feriatione, SS. Rosarium est feriatum (utpote Dominicae affixum).

Aliud exemplum: in eadem Congregatione in occursu festi SS. Redemptoris (titulus C. S. R., III Dom. Iulii, dup. I cl. cum oct.) cum festo S. Vincentii a Paulo, vel B. M. V. de Monte Carmelo,[1] in locis ubi recoluntur qua titulares vel patroni cuinam dare praeferentiam?

In summum, utrum istae quinque solemnitates praestantia gaudent isto ordine in quo referuntur: sc.: 1° Dedicationis eccl. propriae; 2° Titularis eiusdem; 3° Patroni loci; 4° Tituli Ordinis seu Congregationis; 5° Sti Fundatoris: vel utrum quasi aequaliter inter se haberi debent, et in occursu vel concursu recurrendum sit ad characteres infra positos, nimirum: feriationem, vel dignitatem personalem?

Resp. Quod primum respicit exemplum, nempe pro Congregatione SS. Redemptoris, olim forte dari poterat praelatio Titulari, scilicet, SS. Rosario, *feriato,* ex Decreto S. R. C., n. 3881, II, circa Sanctos Patronos, qui *ratione feriationis* praeferri poterant Dedicationi ecclesiae. Nunc autem, ex novis Rubricis ita fieri *debet.*

Quod secundum attinet exemplum, si festum sit feriatum, praeferri debebit alteri non feriato, etiamsi potiori gaudeat dignitate personali, secus criterium habeatur dignitatis.

Manet tamen semper difficultas, de qua alias in hisce Ephemeridibus locuti sumus, saltem in populo, quum, occurrente Titulo ecclesiae propriae (sine feriatione) cum festo ex. gr. anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis pro clero saeculari, omittendus est Titulus proprius, ut ita dicam, ex intima ac totali possessione, et praeferenda Dedicatio, propria tantum ex subiectione.

Pro Alba in Dioecesi Cuneen. — I. In vigilia Ascensionis, occurrente festo dupl. aut semidupl., Chorales tenenturne etiam assistere Missae de praedicta Vigilia, aut tantummodo Missae de festo et Missae de Rogationibus?

Resp. Tenentur assistere Missae de festo et de Rogationibus ubi fit publica processio (Nov. Rubr. Psalt., tit. XII, et Decr. gen. S. R. C. 2 dec. 1891, I et IV, n. 3757).

II. Anno 1914, Festum SS. Trinitatis erit die 7 Iunii. Die 8 eiusdem mensis Officium fiet de Feria, in qua resumenda erit Missa de praecedenti Dominica, quae impedita fuit a Festo SS. Trinitatis. In Cathedrali, *ex Tit. V Rubr. Miss,* celebrandae sunt duae Missae: una pro Defunctis, et altera de praecedenti Dominica. Quaenam ex hisce duabus erit principalis? cui nempe interesse debeant Chorales?

Resp. Ex modo loquendi Rubricae gen. Missalis, tit. cit., n. 1, videretur desumi, Missam principalem semper esse debere pro defunctis, in casu; haec ergo celebraretur in choro, alia autem extra chorum. Non dubitamus tamen, quin, ratione concordantiae Missae cum Officio, secus sit faciendum; cum enim nova sit dispositio de unica Missa in choro dicenda, potius quam criterium ordinis inter duas, servanda est regula ab ipsis Rubricis tradita ante titulum primum. Quod ceterum congruit cum Decreto S. R. C., diei 21 Decembris 1912, II.

Pro Dioecesi N. — I. Die 27 Iunii 1914, in Missa de Vigilia S. Ioannis Bapt. facienda est commemoratio Vigiliae anticipatae Ss. Apost. Petri et Pauli.

Porro *Secreta* utriusque Vigiliae est eadem, aut *vix diversa.* Hinc quaeritur:

a) Quaenam *Secreta* substituenda est pro commem. Vigiliae Ss. Apostolorum?

Resp. De Communi Vigiliarum Apostolorum.

b) Si vero dicatur Missa privata de Vigilia Ss. Apostolorum, quaenam *Secreta* substituenda est pro commem. Vigiliae S. Ioann. Bapt.?

Resp. Vel fiat mutatio ut supra, vel Secreta S. Ioannis sumatur de ipso festo, mutato *celebrantes* in *praevenientes.*

II. Quodnam Evangelium legendum est in fine utriusque Vigiliae: an Evangelium S. Ioannis « In principio », vel Evangelium alterius Vigiliae, de qua fit commemoratio? In *Ephem. Liturg.* 1912, pag. 242, praescribitur, in casu, ultimum Evangelium S. Ioannis; sed in fasciculo *Ephem.* anni currentis, pag. 276, indicatur ultimum Evangelium alterius Vigiliae. Quodnam ergo dicendum?

Resp. Error est in loco, secundo citato, quia ex Rubrica novissima, vel Missa censetur in ordine Officii, et tunc Evangelium est de Vigilia, uti si dicatur Missa de festo cum com. Vigiliae; vel censetur extra ordinem, et tunc explicitis verbis idem indicatur, ab eadem Rubrica; ergo...

III. In Sabbato, die 4 Iul. 1914, fit de VII die infra Oct S. Ioannis Bapt., et sequenti die (Dom.) fit de festo Pretiosiss. Sanguinis, ritu dup. II cl. cum commem, Dom., Octavae simplific. S. Ioan. etc. Quaeritur: An etiam *in hoc casu* (in concurrentia nempe cum festo dupl. II cl.) com. Octavae (simplificandae) S. Ioannis Bapt. fieri debeat ex II Vesp. diei VII?

Resp. Nihil faciendum de die septima; quia si octava commemoraretur ex II Vesp. diei VII, retineret ritum semiduplicem, qui convenit ipsi diei: porro semiduplex non privilegiatum in concurrentia cum festo dupl. II cl. non commemoratur. Sed verius commemoratio Octavae sumenda est, ritu dupl., ex I Vesp., et tunc utique *postponenda* est Dominicae, quia in casu (cessante die VII ad Nonam) non concurret, sed occurret cum Dominica.

IV. An in festo et per Octavam Ss. Corporis Christi, in distributione S. Communionis, *debeat* aut *possint* addi *Alleluia* ad Antiph. *O sacrum Convivium* et ℣. *Panem de coelo,* ut tradit Baldeschi apud Le Vavasseur, tom. I, p. 317?

Resp. Affirmative, ex novissima dispositione Ritualis Romani typici, ab editore Pustet hoc anno 1913 publici iuris facti. M.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

cum parochus, speciali occasione, copiam sacrorum ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redactas) aliquando peragere cupit.

(Continuatio. V. num. 7 currentis anni, pagg. 445-447).

ADNOTANDA.

1. Celebrans ante concionem non potest concionatorem benedicere (DD. 2031, 2882[1,2], 2907[1], 3161, 3434). Ex antiqua tamen consuetudine infra missarum solemnia concionator benedictionem petere potest a celebrante, cantato evangelio et thurificato celebrante (DD. 3334[1], 3535[4], 3855[6]). Celebrans benedictionem dans concionatori iisdem verbis uti potest, quibus utitur dum diaconum evangelium cantaturum benedicit, mutatis tantum verbis *Evangelium suum* in *verba sancta sua* (D. 3334[2]).
2. Iuxta Caeremoniale Episcoporum (lib. 1, c. XV, n. 13) et decreta S. R. C. (nn. 1711[4], 2996), non licet ultra diaconum et subdiaconum pro maiori decore aliquos sacerdotes pluvialibus indutos in missis festorum solemnium adhibere, non obstante diuturna consuetudine pene immemorabili.
3. Dalmatica et tunicella utuntur diaconus et subdiaconus, uti alibi diximus, in missa solemni, ad processiones et benedictiones. Planetae autem plicatae adhibentur: *a*) Diebus ieiuniorum, praeter vigilias sanctorum; *b*) in dominicis feriisque adventus et quadragesimae, etiam coram ss. Sacramento exposito (D. 3161[2]); *c*) in vigilia pentecostes ante missam, ac in benedictione candelarum, cinerum et palmarum cum processione. Excipiuntur dominica III adventus, et dominica IV quadragesimae, vigilia nativitatis Domini, feria V in coena Domini, sabbatum sanctum ad cerei benedictionem et ad missam, ac quatuor tempora pentecostes.

4. Diaconus planetam suam deponit, cum evangelium cantaturus est; ipsa porro in humerum eius sinistrum super stolam complicatur, aut pro ipsa assumitur stola quaedam latior breviorque nulla cruce ornata (D. 3006 [7]). Facta vero communione, planetam resumit. Subdiaconus vero planetam exuit cum epistolam cantaturus est, quam in alba et manipulo canit; tum, manum celebrantis osculatus, planetam ut antea recipit.

5. In minoribus autem ecclesiis, praefatis ieiuniorum diebus, haud sunt necessariae, quapropter in his vel cum planetis plicatis, vel in alba tantum (subdiaconus cum manipulo, diaconus etiam cum stola ab humero sinistro sub dexterum pendente), uti magis rectoribus libet, possunt ministrare. Rubrica autem est *praeceptiva* pro vere maioribus ecclesiis, ut planetis plicatis uti ministri debeant: est *indultiva* pro aliis minoribus, ut ministrare possint in albis, semper sine dalmaticis, sed etiam cum planetis plicatis. Aliunde plura, hac super re, decreta expuncta fuere, peculiariter decretum *Angelopolitana* n. ant. 254, quod pertinet dubium 3, quo declarabatur: « Rubrica concedit usum planetarum complicatarum..... in cathedralibus, etc., in minoribus vero ecclesiis..... dat tantum usum albae, etc. ».

Nota. Non est necesse decretum S. R. C. n. 4181 circa servitium clericorum, qui aliquando loco subdiaconorum in missa solemni, vel loco capellanorum in missa ab episcopo, vel alio praelato lecta, vel etiam in missa cantata absque ministris inserviant, hic ex integre referre, cum editum fuerit tom. I. pag. 77 in nota.

6. Si in missa solemni pro communione consecrandae sint particulae, hae in pyxide ante missam super abacum ponantur. Ibidem paratur linteum album oblongum ante communicandos explicandum. Ad offertorium, caeremoniarius, vel eo deficiente, acolythus, si saltem prima tonsura initiatus (DD. 4181, 4194 [1]) pyxidem ad altare defert, et diacono tradit, qui eam detegit et super corporale collocat, deinde pallam a calice removet, et patenam cum hostia de more tradit celebranti. Cum celebrans dicit *Suscipe, sancte Pater*, diaconus pyxidem detectam parum elevatam tenet, et peracta oblatione, eam super corpolrae deponit suoque operculo contegit, et post calicem collocat.

7. Paullo ante consecrationem, diaconus pyxidem ad dexteram celebrantis iterum collocat et detegit, nec prius cooperit nisi peracta hostiae elevatione et adoratione. Postquam celebrans

pretiosissimum sanguinem sumpserit, subdiaconus calicem palla cooperit, et diaconus illum retrahit ad cornu evangelii intra corporale. Tunc peracta ab utroque genuflexione, mutant locum, diaconus pyxidem in medio corporalis collocat et aperit, et celebrans et ministri genuflexionem iterant. Tum diaconus descendit in planum epistolae (D. 2682[14]), ubi stans, versus celebrantem (qui tunc cum subdiacono e cornu evangelii se parum convertit ad cornu epistolae), et aliquantulum inclinatus, manibus iunctis ante pectus, nisi tabellam aut librum teneat, cantat, vel alta voce, iuxta consuetudinem, recitat (D. 4104[2]) *Confiteor* (1), genuflexis interim choralibus, qui communicaturi sunt.

8. Expleta confessione, genuflectunt etiam chorales, qui communicaturi non sunt, propter reverentiam ss. Sacramenti (Caerem. Episc. l. 2, c. 30, n. 5, et decr. S. R. C. n. 2209[1]) (2); tum duo clerici, accepto ex abaco linteo albo, accedunt simul ante altaris medium, et facta in plano genuflexione unico genu, ad gradum suppedaneo propinquiorem ascendunt, et hinc inde genuflexi, linteum ante communicandos facie sibi invicem versa extensum tenent.

9. Si ministri sacri communionem accepturi sint, descendunt, et in ora suppedanei ante linteum genuflectunt, et celebrans pronuntiat *Misereatur* et *Indulgentiam*, etc.

10. Communione accepta, ministri assurgunt, genuflectunt et accedunt ad latus celebrantis, diaconus nempe ad dexteram eius, subdiaconus ad sinistram; ibi, facie ad populum versa, celebranti assistunt usque ad finem communionis, diaconus patenam sub mento communicantium tenens, subdiaconus stans manibus iunctis.

11. Chorales bini e choro per cornu evangelii (3) ordinatim egredientes manibus iunctis, ante infimum altaris gradum se conferunt, ubi facta unico genu in plano genuflexione, stolis induti, ad gradum suppedaneo promixiorem ascendunt, et in ora suppe-

(1) In missis autem solemnibus vel simpliciter cantatis de requie, iuxta Urbis praxim, communio distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce (D. 4104, II).

(2) In Vaticana atque in pluribus basilicis Urbis, dum fit communio in missa solemni, canonici et clerus genuflectunt, usque dum absoluta fuerit communio.

(3) Ubi chorus est ante altare, chorales similiter bini accedunt ad altare, genuflexiones unico genu peragentes, et sacra communione sumpta, per eandem viam ad loca sua revertuntur.

danei genuflexi sacram percipiunt communionem. Qua sumpta, locum praebendo duobus sequentibus, descendunt in planum, stolam deponunt, iterum genuflectunt unico genu, et per cornu epistolae ad chorum redeunt.

12. Ubi acolythi intorticia gerentes sacram communionem sumere debent, prius ea aliis tenenda dimittunt. Finita communione choralium, clerici linteum album complicant et ad abacum deferunt.

13. Si communio laicis sit ministranda, ea distribuitur more consueto ad cancellos cum ministris assistentibus, initium faciendo a latere; epistolae, et procedendo ad latus evangelii, ut alias. Communione laicorum peracta, celebrans cum ministris redit ad altare; et si pyxis in tabernaculo recondenda sit, celebrans eiusque ministri unum genu flectunt; deinde celebrans et subdiaconus versus cornu evangelii parum se retrahentes, cedunt locum diacono, qui illam cooperit et in tabernaculo reponit: mutat deinde locum cum subdiacono in transeundo ante medium, utroque simul genuflectente.

14. In parochiis, de quibus est nobis peculiaris sermo, non est necesse, ut in Caerem. Paroch. tomo 1, pag. 151, diximus, ob defectum cantorum, officium aut missam per integrum in cantari gregoriano vel polyphonico canere. In casu aliquid in cantu praedicto, aliquid autem in tono tantum psalmodico vel recitativo sub organi sonitu, etiam in missis defunctorum cantari potest. In Ephemeridibus liturgicis, anno XVIII, ad dubium: Permittitur in missis pro defunctis, organum in chori adiumentum pulsari; potest ne quis hanc permissionem ita interpretari, ut sinat organum partes secundi chori tenere, ob defectum cantorum, dum aliquis voce intelligibili, non tamen cantans, verba profert? Respondimus: Caeremoniale, quod hanc respicit quaestionem ita se exprimit (lib. 1, c. 28, n. 13): « In officiis defunctorum organa non pulsantur: in missisa utem, si musica adhibeatur, silent organa cum silet cantus ». Decreta autem S. R. C. (nn. 2959 2, 3051 1) praecipiunt, ut in missa cantata de requie omnia cantentur quae precationem suffragii respiciunt, quibus verbis includuntur etiam tota sequentia *Dies irae,* offertorium et communio; decretum vero diei 12 aug. 1854, quod aliquas strophas sequentiae a cantoribus *praetermitti* posse permittebat, e nova collectione expunctum est. Nunc autem quaerimus: partes secundi chori tenere, unica super

nota musicali, v. gr. super tertia aut quinta toni, dum organa modulantur super eodem tono, estne aliquo modo cantare? Affirmative responderi posse putamus. Equidem pluries canuntur in musicalibus compositionibus phrases simili ratione, qui cantus appellari potest recitativus, sed non ideo cessat appellari cantus Iure ipsae rubricae (Caer. Eps. lib. 1, c. 27, n. 2) cantum appellant tonum simpliciter ferialem orationum, quo utimur in festis simplicibus, diebus ferialibus et in missis defunctorum, quamvis oratio huius toni dicatur *in voce aequali*, sicuti semper cantatur ℣. *Dominus vobiscum*. Igitur tam iuxta modum loquendi musicalem, quam iuxta rubricas caeremonialis, recitatio organis coniuncta, de qua inquiritur, est quoddam genus cantus, et ideo, *non silente cantu*, organa non prohibentur in casu. Decreta vero S. R. C. nn. 2959[2], 3051, hoc sensu intelligi posse videntur, quatenus scilicet ea, quae cantorum schola exsequi debet, *numquam sunt omittenda*, sed vel per integrum cantanda vel, si vocibus iungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda (D. 3827[2]). Ceterum, cum in missis cantatis sanctorum *Kyrie, Sanctus, Agnus*, etc., alternatim cum organo cantari possint, quare idem fieri non poterit in missis cantatis de requie, et canetiam de feria, de dominicis adventus vel quadragesimae ob torum defectum? Ergo allatam praxim damnare non audemus.

(*Continuabitur*).

Appendix.

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

DECRETUM.

Uniformes decernuntur Indulgentiae Crucibus quae « a missionibus » nuncupantur.

Ut piarum missionum, quas ad populum verbi Dei praecones habuerint, memoria perseveret ac fructus, passim usu receptum est, ut Crux aliqua, sive in templis, sive apud illa, sive etiam penitus in aprico, rite benedicta erigatur. Vivificum Redemptionis signum aptum est nimirum ad Religionis reclamanda praecepta, ad poenitentiae insinuanda proposita, ad spem futurorum erigendam. Ordinaria Episcoporum auctoritas et Apostolicae Sedis liberalitas censuerunt iampridem, munere Indulgentiarum esse ditandos, qui pie se ad haec Signa converterint. Placuit porro Ss.mo D. N. D. Pio Pp. X, E.morum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium consulto, variam in re tollere mensuram, et conformes ubique concedere Indulgentias. In audientia igitur R. P. D. Adsessori S. Officii, feria IV, loco V, die 13 augusti 1913, impertita, apostolica Sua utens auctoritate, abrogavit beatissimus Pater omnes hucusque, etiam a Se Suisve Praedecessoribus, Crucibus missionum adnexas Indulgentias, quacumque id factum fuerit vel solemniori forma, quolibet, etiam peculiari et specifica mentione digno, Personarum vel Religiosorum Institutorum privilegio, et sequentes novas, sub enunciandis conditionibus, tribuere dignatus est :

I. Plenariam, defunctis quoque adplicabilem :

1) die erectionis seu benedictionis ipsius Crucis memorialis ;

2) die anniversario eiusdem erectionis seu benedictionis ;

3) die festo Inventionis S. Crucis (3 maii) ;

4) die festo Exaltationis S. Crucis (14 septembris), vel uno ex septem respective sequentibus diebus.

Ad has Indulgentias assequendas, oportet ut fideles Ss.mam Eucharistiam, rite expiati, suscipiant, Crucem praedictam et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent, atque ad mentem Summi Pontificis preces fundant.

II. Partialem, quinque annorum totidemque quadragenarum, similiter adplicabilem, semel in die ab iis fidelibus lucrandam, qui corde saltem contrito supradictam Crucem aliquo devotionis signo exteriori salutaverint, ac *Pater*, *Ave* et *Gloria* in memoriam Dominicae Passionis recitaverint.

Esto autem Crux erigenda ex solida decoraque materia confecta determinato loco adhaereat, vel basi firmiter sustentetur ; benedicatur per sacerdotem qui in s. missione conciones habuerit ; accedat insuper, pro his peragendis, consensus Ordinarii loci.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

M. Card. RAMPOLLA.

L. ✠ S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR
Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR
FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*
Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma

Acta Sanctae Sedis
sacram Liturgiam spectantia.

MOTU PROPRIO.

De officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis.

PIUS PP. X.

Abhinc duos annos, cum Constitutionem Apostolicam ederemus *Divino afflatu*, qua id proprie spectavimus, ut, quoad fieri posset, et recitatio Psalterii absolveretur intra hebdomadam, et vetera Dominicarum Officia restituerentur, Nobis quidem alia multa versabantur in animo, partim meditata, partim etiam inchoata consilia quae ad Breviarii Romani, susceptam a Nobis, emendationem pertinerent; sed ea tamen, cum ob multiplices difficultates tunc exsequi non liceret, differre in tempus magis commodum compulsi sumus. Etenim ad compositionem Breviarii sic corrigendam ut talis exsistat, qualem volumus, id est numeris omnibus absoluta, illa opus sunt: Kalendarium Ecclesiae universalis ad pristinam revocare descriptionem et formam, salvis tamen pulcris accessionibus, quas ei mira semper Ecclesiae, Sanctorum matris, fecunditas attulerit; Scripturarum et Patrum Docto-

rumque idoneos locos, ad genuinam lectionem redactos, adhibere; sobrie Sanctorum vitas ex monumentis retractare; Liturgiae plures tractus, supervacaneis rebus expeditos, aptius disponere. Iam vero haec omnia, doctorum ac prudentum iudicio, labores desiderant cum magnos, tum diuturnos; ob eamque causam longa annorum series intercedat necesse est, antequam hoc quasi aedificium liturgicum, quod mystica Christi Sponsa, ad suam declarandam pietatem et fidem, intelligenti studio conformavit, rursus, dignitate splendidum et concinnitate, tamquam deterso squalore vetustatis, appareat.

Interea ex litteris et sermone multorum Venerabilium Fratrum cognovimus ipsis et permultis sacerdotibus esse optatissimum, ut in Breviario una cum Psalterio nova ratione disposito suisque rubricis adsint mutationes omnes, quae ipsum novum Psalterium vel iam secutae sunt vel sequi possunt. Quod cum instanter a Nobis peterent, simul significarunt, se vehementer cupere, ut et Psalterium novum usurpetur frequentius, et Officia Dominicarum serventur eo studiosius, et incommodis Officiorum translationibus occurratur, et alia quaedam quae bonum videatur mutari, mutentur. Huiusmodi Nos vota, utpote rerum veritati innixa Nostraeque admodum consentanea voluntati, grate equidem accepimus: iis autem obsecundandi nunc esse tempus arbitramur. Certiores enim facti sumus, officinatores librarios, qui sacrorum Rituum Congregationi inserviunt, exspectantes dum Breviarium Romanum decretorio modo ac definitivo corrigatur, in eo esse ut novam interim ipsius Breviarii editionem

adornent. Hac uti occasione visum Nobis est ; propterea, implorato divinae Sapientiae lumine, consultatione habita cum aliquot S. R. E. Cardinalibus, rogataque proprii cuiusdam Consilii sententia, haec Motu Proprio statuimus, edicimus :

I. Secundum priscam Ecclesiae consuetudinem, ne facile Officia Dominicarum praetermittantur. — Itaque nullum festum, ne Domini quidem, statuatur posthac Dominicis celebrandum ; ex his tamen excipiatur, ob peculiarem ipsius naturam, ea quae a die prima ad quintam Ianuarii occurrat: quam recolendo sanctissimo Nomini Iesu, propter coniunctionem quam habet cum mysterio Circumcisionis, assignamus. — Festa vero, quibus usque adhuc dies Dominica attributa erat, omnia, praeter festum sanctissimae Trinitatis, in aliam diem perpetuo transferantur. — Ne forte autem per Quadragesimam aliquod omittatur ex Dominicarum Officiis, quae mire facta sunt ad excitandam in animis christianam poenitentiam, eius temporis secundam, tertiam et quartam Dominicam ad gradum I Classis promovemus.

II. Cum recitationi Psalterii celebratio Octavarum sit impedimento, id ut rarius contingat, in posterum sola duplicia I Classis, quae Octavas integras habent, eas conservent : verum in hisce ipsis Octavis, exceptis privilegiatis, Psalmi de Feria currenti usurpentur. — Octavae autem duplicium II Classis solo octavo die celebrentur et quidem ritu simplici.

III. Lectionibus de Scriptura occurrenti semper adhaereant Responsoria de Tempore.

IV. Nulla, ne perpetua quidem, Festorum, quae

in Ecclesia universali celebrantur, translatio fiat, nisi duplicium I et II Classis.

Iam, quae hic a Nobis praescripta sunt, ea quemadmodum adduci ad effectum debeant, et quid praeterea novi non modo in Breviarium, sed etiam in Missale, quod cum illo congruat oportet, indidem emanet, sacra Rituum Congregatio, peculiaris *Commissionis* a Nobis institutae consulta sequens, propriis decretis constituet, eademque tum Breviarii tum Missalis novam editionem typicam faciendam curabit.

Has ipsas quidem praescriptiones volumus, statim ut hoc Motu Proprio promulgatae sint, valere. Sed tamen, ratione habita vel Kalendariorum quae iam sunt confecta in annum proximum, vel temporis quod typographi requirunt, sinimus eos, qui ad officium persolvendum Romano utuntur Breviario, tum e Clero saeculari tum e regulari utriusque sexus, his praescriptionibus non teneri nisi a Kalendis anni MCMXV. Qui vero aliud legitime usurpant Breviarium a Romano diversum, iis sacra Rituum Congregatio definiet intra quos terminos ad easdem praescriptiones accommodare sese debeant.

Cuilibet autem liceat comparare sibi atque ad horas canonicas recitandas etiam nunc adhibere Breviaria quae sunt in usu, dummodo tamen peculiari in libello habeat, unde Constitutioni *Divino afflatu* ac decretis quae illam subsecuta sunt, obtemperare possit, ac simul quae hoc Motu Proprio Nos statuimus, et quidquid eandem in rem sacra Rituum Congregatio decreverit, diligenter observet.

Atque haec omnia constituimus, edicimus, con-

trariis quibusvis, etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII mensis Octobris MCMXIII, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM GENERALE

super Motu proprio « Abhinc duos annos ».

Cum Ss.mus D.nus noster Pius Papa X, mandaverit, ut quae Motu Proprio *Abhinc duos annos*, die 23 praesentis mensis octobris decrevit, ab hac sacra Rituum Congregatione, iuxta votum specialis Commissionis liturgicae, opportune apteque applicarentur, haec eadem S. R. C., voluntati Sanctitatis Suae, qua par est observantia, obsequens, haec declaranda et statuenda censuit:

I - DE DOMINICIS ET FESTIS HUCUSQUE DOMINICIS DIEBUS AFFIXIS.

1. Dominicae quaevis assignationem perpetuam cuiuslibet Festi excludunt: idcirco Festa tam universalis Ecclesiae quam alicuius loci propria, quae hucusque Dominicis assignata fuerunt, celebrentur die fixa mensis qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur; secus prima die qua

occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrata sunt. Excipiuntur tamen:

a) Festum Ss.mae Trinitatis, quod Dominicae I post Pentecosten assignatum manet.

b) Festum Ss.mi Nominis Iesu, quod ab omnibus celebrabitur in Dominica quae occurrat a die 2 ad 5 ianuarii, et, si ea non occurrerit vel impedita fuerit ab Officio nobiliori, die 2 eiusdem mensis.

c) Solemnitas S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virg., Conf. et Ecclesiae universalis Patroni, quae assignabitur Feriae IV ante Dominicam III post Pascha occurrenti, et in ea cum sua integra Octava recoletur, redacto ad ritum duplicem II classis alio Festo S. Ioseph diei 19 martii.

d) Festum S. Ioachim, fixe celebrandum die 16 augusti, inde in sequentem diem 17 translato Festo S. Hyacinthi.

e) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod, seorsim ab Anniversario Dedicationis aliarum Ecclesiarum Dioecesis, in tota Dioecesi, die ipsa anniversaria celebrabitur, si ea innotescat: secus alia die fixa arbitrio Episcopi, audito tamen Capitulo Cathedrali, semel pro semper designanda.

f) Anniversarium Dedicationis propriae Ecclesiae, quod pariter, si hucusque sua propria die a singulis Dioecesis Ecclesiis celebratum est, ipsa die celebrari pergat: si vero in tota Dioecesi vel Instituto unica die recoli consuevit Dedicatio omnium Ecclesiarum Dioeceseos, haec, extra Ecclesiam Cathedralem, in Ecclesiis consecratis tantum, non vero in aliis recoli poterit, die ab Ordinario, ut supra, designanda, quae tamen alia sit a die Dedicationi Ecclesiae Cathedralis recolendae assignata. Quae item obseventur de Anniversario Dedicationis omnium Ecclesiarum alicuius Ordinis seu Congregationis, quod hucusque in Dominica celebrari consueverit.

g) Festa Sanctorum vel Beatorum, quorum mentio non fit in Martyrologio, quae tamen celebranda sunt, iuxta Rubricas, die eorum natali, si agnoscatur, dummodo per Litteras Apostolicas alius dies non fuerit assignatus.

h) Festa quae certis Dominicis post Pascha vel post Pentecosten affixa sunt, quae semel ab Ordinario, ut supra, assignanda erunt congruentiori Feriae infra Hebdomadam immediate praecedentem.

2. Ubi Solemnitas externa Festorum quae hucusque alicui Dominicae perpetuo affixa erant, in ipsa Dominica celebratur, de Solemnitate Festi Duplicis I classis permittuntur Missae omnes, praeter Conventualem et Parochialem, semper de Officio diei dicendas; de Solemnitate vero Festi Duplicis II classis permittitur tantum unica Missa solemnis vel lecta. Excipitur Solemnitas externa Ss.mi Rosarii, quae Dominica I Octobris celebrari poterit cum omnibus Missis, praeter Conventualem et Parochialem, de Ss.mo Rosario, ut supra dictum est de Duplicibus I classis.

Omnes Missae de his Solemnitatibus in Dominica celebratis semper dicantur ut in ipso Festo de quo agitur Solemnitas, addita Oratione de Officio diei et aliis omnibus quae dicendae essent, si Festum ipsa Dominica incidisset. Prohibentur tamen in omnibus Dominicis maioribus, et in aliis Dominicis in quibus fiat Officium nobilius ipso Festo cuius Solemnitas externa peragitur; sed in casu, praeterquam in Duplicibus I classis Domini Ecclesiae universalis, in omnibus Missis quae alioquin de Solemnitate externe celebrata permitterentur, addatur eius Oratio sub unica conclusione cum prima. Ubi tamen adest obligatio Missae conventualis, non permittitur in casu alia Missa solemnis, sed Oratio de Festo externe tantum celebrato addi poterit, uti supra, in ipsa Missa Conventuali.

3. Dominicae II, III et IV Quadragesimae, ad gradum Dominicarum I classis evectae, nulli in posterum cedent Festo, neque etiam Duplici I classis.

Dominica autem quae occurrat die 2, 3 vel 4 Ianuarii, si in ea celebrandum non sit, iuxta Rubricas, Festum Ss.mi Nomini Iesu aut aliud Festum Domini, et dummodo de ipso Domino nulla fiat Commemoratio neque occurrens neque concurrens, commemoretur in utrisque Vesperis, Laudibus

et Missa, per Antiphonas, Versus et Orationes Dominicae infra Octavam Nativitatis, sed de ea non dicitur IX Lectio Homiliae nec legitur Evangelium in fine Missae.

Officium vero Dominicae quae post Epiphaniam, superveniente Septuagesima, vel post Pentecosten, superveniente Dominica XXIV, anticipari debet, celebratur in Sabbato praecedenti ritu semiduplici, cum omnibus privilegiis Dominicae tam in occursu quam in concursu ad I Vesperas. Omnia dicentur de Sabbato, et in I Vesperis, de Feria VI praecedenti, praeter Orationem, Lectiones, Antiphonam ad *Benedictus* et Missam propriam; et post Nonam nil fit amplius de Dominica anticipata.

II - De Octavis.

1. Octavae Paschatis, Pentecostes, Epiphaniae, Ss.mi Corporis Christi, Nativitatis Domini et Ascensionis sunt priviligiatae, et de eis, si quando integrum faciendum non sit Officium, semper tamen fit Commemoratio in Laudibus, Missa et Vesperis. Eorum Officium integre recitatur ut in die Festo, praeter ea quae suis locis adsignantur.

2. In Officio autem tum de die infra Octavam, tum de die octava aliorum quorumlibet Duplicium I classis, etiam Domini, Antiphonae et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum dicantur de occurrenti hebdomadae die, et Lectiones I Nocturni, nisi habeantur propriae, vel, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur cum suis Responsoriis de Tempore, ut infra dicetur. Dies autem Octava huiusmodi, etiam Domini, tam in occursu, quam in concursu, cedit cuilibet Dominicae.

3. De Octavis vero Duplicium II classis universalis Ecclesiae nihil fit nisi in die octava, et quidem sub ritu simplici: ita ut si occurrat in eo aliquod Officium duplex vel semiduplex, etiam repositum vel translatum, aut Feria maior vel Vigilia, de die octava huiusmodi fiat tantum Commemoratio iuxta Rubricas. Festa vero simplicia occurrentia com-

memorantur in Officio de die octava: cui cedit etiam Officium S. Mariae in Sabbato, in casu omittendum.

Idem servetur de Octavis Duplicium II classis alicuius Dioecesis vel particularis Ecclesiae, quae pariter, nisi penitus omitti velint, tantum in die octava, et sub ritu simplici celebrandae erunt.

4. Octavae Festorum particularium post diem Nativitatis Domini non amplius impediuntur.

5. Lectiones II et III Nocturni, singulis diebus per Octavas Festorum duplicium II classis Ecclesiae universalis hucusque assignatae, inserantur in Octavario Romano: non vero Lectiones I Nocturni, etiam si habeantur propriae.

III - De Responsoriis de Tempore, de Lectionibus e Scriptura occurrenti, et de aliis partibus Officiorum propriis.

1. In Officiis tam novem quam trium Lectionum, quandocumque sumuntur Lectiones de Scriptura occurrenti, cum eis ahibeantur Responsoria de Tempore: ita tamen ut Lectiones Dominicae cuiuslibet, etiam si reponantur infra hebdomadam et simul cum Lectionibus de Feria dicantur, sumant semper Responsoria de I Nocturno ipsius Dominicae; Lectiones vero de Feria, si transferantur vel anticipentur, dummodo tamen simul cum Lectionibus Dominicae non dicantur, sumant Responsoria de Feria currenti, in Feriis Temporis Paschalis noviter disponenda. Excipiuntur tamen:

a) Lectiones de Scriptura occurrenti infra Octavas privilegiatas Ecclesiae universalis recitandae, quae semper dicuntur cum Responsoriis de Octava.

b) Lectiones de aliquo Initio Scripturae occurrentis, quae necessario ponendae sint, iuxta Rubricas, in Officiis Lectiones proprias vel de Communi assignatas habentibus, quaeque dicuntur cum Responsoriis propriis de huiusmodi Officiis, si habeantur, secus cum Responsoriis de Tempore, numquam vero de Communi.

c) Lectiones de Scriptura in Dominicis post Epiphaniam positae, quae si infra hebdomadam transferantur, dicuntur cum Responsoriis de Feria currenti.

d) Responsoria Feriae II infra Hebdomadam I post Epiphaniam et Feriae II infra Hebdomadam I post Octavam Pentecostes, quae, si sua die impediantur, ulterius transferuntur, iuxta proprias Rubricas.

2. Responsoria quae in Festis S. Luciae Virg. et Mart., Ss. Ioannis et Pauli Mm., et S. Clementis Papae et Mart. in I Nocturno habentur propria, ponantur in II Nocturno, loco Responsoriorum de Communi, et in I Nocturno dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore.

3. Similiter omnia quae in Festo S. Elisabeth Reginae et Viduae, habentur propria, praeter Invitatorium, Hymnos, Lectiones II Nocturni, Versus ad utrasque Vesperas et Laudes, Antiphonas ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, et Orationem, expungantur, et in I Nocturno item dicantur Lectiones de Scriptura occurrenti cum Responsoriis de Tempore.

4. In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, Psalmi ad Completorium et alias Horas minores, non amplius sumantur de occurrenti hebdomadae die, sed proprii assignentur.

IV - DE OCCURRENTIA ET TRANSLATIONE FESTORUM EORUMQUE CONCURRENTIA.

1. Festa duplicia I et II classis, tam Ecclesiae universalis quam alicuius loci propria, impedita etiam perpetuo, quocumque sublato privilegio hucusque certis Festis concesso, transferantur in primam sequentem diem non impeditam a Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniae, ab alio Festo duplici I vel II classis, vel ab Officiis eiusmodi Festa respective excludentibus. Eadem Festa, tam I quam II classis, in II Vesperis non admittunt Commemorationem sequentis

diei infra Octavam, neque cuiusvis Officii simplicis, etiam si postera die integrum de eis celebrandum sit Officium.

2. Festa vero Duplicia maiora vel minora aut semiduplicia, quae in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint, non trasferuntur, sed de eis fit Commemoratio iuxta Rubricas, et legitur IX Lectio historica. Si tamen Festum impediens fuerit Duplex I classis Domini universalis Ecclesiae, nil fit de Festo ut supra impedito; si vero fuerit aliud Duplex I classis, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio. Idem servatur de Festis propriis alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis vel Instituti, quae pariter, si in aliqua particulari Ecclesia suo die fuerint impedita, commemorantur vel omittuntur, ut supra. Festa autem propria alicuius Nationis, Dioecesis, Ordinis, Instituti vel particularis Ecclesiae, quae in tota Natione, Dioecesi, Ordine, Instituto vel in sua particulari Ecclesia impediantur, si impedimentum sit accidentale, pariter commemorentur vel omittantur ut supra: si impedimentum sit perpetuum, reponantur in proximiorem diem, ab Officio duplici, a Festo semiduplici, a Vigiliis privilegiatis et ab Octavis II ordinis non impeditam.

De huiusmodi vero Festis duplicibus maioribus seu minoribus vel semiduplicibus, quae perpetuo vel etiam accidentaliter impediantur dici poterunt Missae privatae ad libitum sacerdotis, dummodo Officium impediens non fuerit Duplex I vel II classis, Dominica quaevis, Octava I et II Ordinis, dies octava III ordinis, Feria aut Vigilia privilegiata. Haec Missa dicitur ritu festivo, cum 2ª Oratione de Officio diei et aliis de Commemorationibus forte occurrentibus.

Festa quae hucusque tam in Ecclesia universali, quam in particularibus locis sub ritu semiduplici ad libitum sunt celebrata, reducantur ad ritum simplicem, de eisque fiat Commemoratio quoties impediantur, ut fit de aliis Simplicibus, iuxta Rubricas. Festum tamen S. Canuti, cedit Festo Ss. Marii, etc. Mm., ideoque in eius Officio commemoratur.

4. Si Patronus loci secundarius, vel alius Sanctus proprius, descriptus sit in Kalendario cum aliis Sanctis, ab eis non separetur, sed de omnibus simul celebretur Festum sub ritu duplici maiori vel minori, aut semiduplici, iuxta Rubricas, nisi sub altiori ritu in Kalendario sit descriptum.

5. Quando Festum aliquod Duplex maius aut minus, vel Semiduplex occurrat in die octava Duplici maiori non privilegiata eiusdem Personae, Officium fiat de Festo, sub ritu diei Octavae convenienti, omissa vel addita Commemoratione eiusdem Octavae, iuxta Rubricas.

V - De reformatione Kalendariorum particularium.

1. Ut vero omnia quae hoc decreto praescribuntur rite exsecutioni mandentur, singuli Ordinarii, etiam Ordinum Regularium, et Moderatores generales Institutorum cuiusvis generis quae Kalendario proprio utuntur, supplicem libellum, iuxta Instructionem huius S. R. C. diei 12 decembris 1912, in *Actis Apostolicae Sedis* die 1 martii praesentis anni editam, ad eamdem S. C. infra proximum mensem martium anni 1914 transmittant. Qui tamen post editam Constitutionem *Divino afflatu,* proprii Kalendarii iam obtinuerint reformationem, ex officio novam ab eadem S. Congregatione sine ullis expensis recipient.

2. In hac Kalendariorum reformatione, praeter ea quae superius disposita sunt de Festis quae hucusque Dominicis affixa erant, sequentes serventur normae:

a) Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etiam ubi hucusque die fixa celebrari consuevit una cum Dedicatione aliarum Ecclesiarum, seorsim celebretur, iuxta superius decreta de eisdem Anniversariis hucusque diei Dominicae affixis.

b) Festa propria, nisi aliter per Apostolicas Litteras dispositum fuerit, celebranda erunt ipsa die natali, si agnoscatur; secus, ponantur in aliqua die quae libera sit in Kalendario.

c) Duo vel tres Sancti qui sub eodem Communi com-

prehendantur, sicubi occurrant eadem die et sub eodem ritu sint celebrandi, unico Festo recolantur, adhibitis iis singulorum Communium partibus, quae pro pluribus Sanctis qualitatis eiusdem assignantur, et contractis Lectionibus historicis III Nocturni, quae tamen huic S. R. C. adprobandae submittentur. Eadem norma servetur pro Festis eiusdem Communis, quae ab anterioribus diebus sint reponenda.

d) Festa S. Bartholomaei Ap. et S. Ludovici Regis Conf., in omnibus et singulis Kalendariis, Romano non excluso, fixe diebus 24 et 25 augusti respective assignentur, nonobstante quacumque consuetudine aut privilegio. Ubi vero Solemnitas externa die 25 et 26 respective celebretur, his diebus permittitur unica Missa cantata vel lecta de ea Solemnitate, ut supra statutum est pro Festis diei Dominicae hucusque affixis.

e) Privilegium, quo nonnullae Dioeceses vel Instituta gaudent, sese scilicet conformandi Kalendario Cleri Romani, aut alicuius Ordinis seu Congregationis et alia huiusmodi, penitus aboletur.

Quae omnia, per infrascriptum huius S. Rituum Congregationis Secretarium, sanctissimo Domino nostro Pio Pp. X in audientia diei 26 praesentis mensis octobris relata, Sanctitas Sua dignatus est approbare, et ab omnibus servari mandavit. Consulens autem eadem Sanctitas Sua pauperum praesertim clericorum indemnitati, Apostolica benignitate permittit, ut hi, pro prudenti arbitrio Episcopi, Breviaria quibus in praesenti utuntur, sine novi libelli additione, adhibere adhuc valeant, dummodo, iuxta Rubricarum praescriptum, novum ordinem Psalterialem omnino servent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 octobris 1913.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius*.

COMMENTARIUM.

Nemo est qui non videat gravitatem et relevantiam tum litterarum SS. D. N. Papae Motu proprio d. d. 23 Octobris nuper elapso, tum S. R. C. Decreti d. d. 28 eiusdem mensis. Licet enim, perspicue satis, quisque intelligere potest quidquid in eis decernitur, nihilominus, ut moris est apud *Ephemerid. Liturg.* nonnullas damus elucidationes; quas laxiori calamo dabimus mensibus sequentibus.

Statim ac vulgata fuit constitutio «*Divino afflatu*» diei 1 Novembris anni 1911, qua meliori modo ordinatum est Psalterium in Breviario Romano, et fundamenta posita sunt pro reformatione ipsius Breviarii tam desiderata et postulata a latino Episcopatu; et postquam clerici coeperunt recitationem Divini Officii iuxta novas Rubricas, ex omni parte catholici Orbis ad Sanctam Sedem pervenerunt gratulationes et gratiarum actiones pro coepta reformatione, maxime vero pro recitatione totius Psalterii in termino unius Hebdomadae, pro honore reddito diei Dominicae, pro frequentiori recitatione Missarum temporis Quadragesimae, atque pro abrogatione translationum officiorum quae accidentaliter impediuntur.

Nihilominus plurimi Episcopi diversarum regionum, et nonnulli viri in liturgica scientia valde periti, votum Sanctae Sedi dederunt, ut reformatio, tam excellentibus auspiciis incoepta, et tanto plausu accepta, ad exitum feliciter duceretur, maxime quoad maiorem honorem diebus Dominicis frequentiorem Psalterii ferialis recitationem componendam, et translationem officiorum etiam perpetuam abrogandam.

Licet haec omnia non aufugissent Commissioni Pontificiae pro reformatione Psalterii institutae, imo, licet iam essent proposita, nihilominus nonnullae tunc natae sunt difficultates, ob quas omnia demandata fuerunt ad definitivam reformationem Breviarii, quae promissa est in citata ipsa Constitutione. Cum autem hodie occasio opportuna se prae-

buerit feliciter, ut statim fieret satis dictis votis et postulatis, nempe editio typica Breviarii Romani, quae a Typographis pontificiis paratur, opportunum quoque visum fuit, ut in hac editione ulteriores adderentur reformationes.

Hinc est propterea, quod cum non adhuc in promptu sint studia pro emendatione Lectionum historicarum in Proprio Sanctorum, pro nova constructione Calendarii perpetui Universalis Ecclesiae, in quo nonnulla festa amoveri, nonnulla ritu minui, nonnulla cum aliis coniungi oportebit, et insuper, cum nondum expleta sit correctio Sacrae Scripturae, quae postea in Breviarium erit inducenda, desiderata definitiva Breviarii reformatio necessario ad aliud tempus differri debet. Attamen pro dictis emendationibus Rubricarum, tempus aptum et opportunum nunc se praebet omnino, ideoque Ss. D. N., audita Commissione ab ipso instituta, quae in Motu Proprio et in Decreto leguntur, mandavit ut statim inducerentur in nova editione typica Breviarii.

Et

I. De Dominicis.

Iuxta antiquam consuetudinem Romanae Ecclesiae, uti nobis traditur a Micrologo (Migne P. L. CLI, 1013) in *omni Dominica ecclesiastico conventui cum officio Dominicae satisfacimus, nisi aliqua multum celebris occurrat festivitas*». Quae praxis adhuc Romae vigebat tempore Rodulphi Decani Tungrensis (Saec. XV), qui in suo opere (De Canon. Observ., prop. 13, edit. Hittorp) testatur quod in Romana Ecclesia die Dominico nulla festivitas agebatur nisi Assumptio B. Mariae, Nativitas s. Ioannis Baptistae et Ss. App. Petri et Pauli.

Licet autem in Breviario s. Pii V admissa fuerint festa duplicia, si in Dominica accidentaliter occurrebant, nihilominus idem Pontifex nullum festum assignare voluit perpetuo in Dominica celebrandum.

Sensim tamen sine sensu, plurima festa in Dominicis celebranda instituta fuerunt, ita ut, maxime medio saec. XIX, quam plures Dominicae omnino impeditae essent, et earum

Officium perpetuo obliteratum. En ergo ratio cur hodie Summus Pontifex expresse voluit, ne ullum festum, etiam Domini, perpetuo celebretur in Dominica. Manet quidem festum Ss. Trinitatis, sed, ut cuique apparet, est officium quod congruit omnino cum die Dominica; ponitur quidem et festum Ss. Nominis Iesu in Dominica, quae occurrere potest a Circumcisione ad Epiphaniam, sed agitur de Dominica quae caret officio, quod antiqui reposuerunt in Vigilia Epiphaniae; quapropter festa omnia, huc usque, tam in calendario universali, quam in particularibus, in Dominica apposita removenda erunt, et diebus determinatis celebranda; nempe ut S. R. C. decretum ait: « *celebrentur die fixa mensis* qua in Martyrologio inscribuntur, si haec habeatur; secus prima die, qua occurrere potest Dominica in qua hucusque celebrata sunt ».

Itaque Nativitas s. Ioannis Baptistae et Rosarium B. M. V. respective restituenda erunt diebus, quibus in Martyrologio inscribuntur scilicet die 24 Iunii et 7 Octobris; et sic pariter festa particularia, a die natali remota, ad illam redibunt, uti ex. gr. festum B. Ioannae Arcensis in Gallia. Festa vero Pretiosissimi Sanguinis, S. Ioachim, VII dolorum B. M. V. mensis Septembris, respective reponenda erunt diebus 1 Iulii, 16 Augusti et 15 Septembris; quae dies sunt primae sedes, in quibus occurrere potest Dominica illa, in qua huc usque celebrata sunt festa huiusmodi.

Excipitur in decreto festum s. Ioachim, qui in Martyrologio suum diem assignatum habet, nempe 20 Martii, ad quem redire deberet; quia vero in Quadragesima non convenit festa classica multiplicare, et quia dies ipsa 20 martii non probatur esse natale s. Ioachim, melius visum est in die assignari festum eius, quae est prima sedes Dominicae infra Octavam Assumptionis B. M. V. in qua Dominica a duobus poene seculis populus Christianus eumdem colit sanctum Patriarcham.

Excepta est pariter solemnitas s. Ioseph, eo quod cum esset assignata, non in aliqua Dominica mensis, sicut prae-

dicta festa, sed in Dominica III post Pascha, et cum sedes huiusce Dominicae, a mobilitate Paschatis pendens, occurrere possit a die 5 Aprilis usque ad 9 Maii, in die fixa mensis assignari nequibat. Considerando autem, quod Feria IV est a populorum devotione in honorem s. Patriarchae Ioseph dedicata, opportunum visum fuit solemnitatem eius in Feria IV assignare, quae occurrit ante dictam Dominicam III post Pascha; ita Dominicae quarum officium perpetuo impeditum erat, nunc liberae manebunt.

Itemque, cum in Quadragesima, uti diximus, incongruum sit festa classica multiplicare, et cum hodie praecipua solemnitas s. Ioseph sit post Pascha ut supra celebranda, opportune festum eiusdem Patriarchae die 19 Martii ad suum antiquum ritum duplicem 2 classis reductum fuit. Quod traditur in decreto, circa Anniversarium Dedicationis Ecclesiarum, nulla indiget declaratione. Notandum tamen est, quod de festis hucusque in die Dominica celebratis, agi poterit solemnitas externa, in sequenti Dominica; ita tamen quod si festa sint duplicia 1 classis, omnes Missae, excepta conventuali et parochiali de Dominica, erunt de solemnitate translata; si fuerint duplicia 2 classis una tantum Missa solemnis: excipitur solemnitas s. Rosarii, cuius pariter omnes Missae, excepta conventuali et parochiali, ob magnam devotionem qua, maxime post encyclicas Leonis XIII f. m., populi eam concelebrant, permittuntur.

II. De Octavis festorum duplicium 2 classis.

Secundum bonum, quod erat in votis Episcoporum, aliorumque virorum qui in antiquae liturgiae studiis incumbunt, est sane frequentior recitatio psalterii de feria; cum autem ob plurimas Octavas, quae celebrantur per annum, impediatur officium feriale, duo nova statuenda visa sunt opportuna, primum, abrogatio aliquarum ex Octavis; secundum, recitatio antiphonarum et Psalmorum, de feriali psalterio etiam diebus infra Octavas servanda.

Quod abrogationem octavarum attinet, notandum est,

quod antiquitus octavae agebantur tantummodo in die ipsa octava, nihil vero infra decursum dierum infra ipsam. Micrologus (l. c. in cap. 44 de Octavis Ss.) haec habet: « Iuxta romanam auctoritatem nullorum Sanctorum Octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem a sanctis Patribus habeamus. Eorum quoque, quorum Octavas celebramus, nullam cotidianam mentionem per intercalares dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus ». Itaque usque ad saeculum XII, uti notat Baümer (Hist. Brev. Rom. II, p. 31) vox *Octava* in ritu Romano significabat tantummodo, quod in die Octava festi, de eo agebatur simplex commemoratio, nil vero in *diebus infra Octavam*. Hodie in Breviario Romano de huiusmodi antiquo usu manet memoria S. Agnetis *secundo*, quae agitur die 28 Ianuarii, quae est octava festi ipsius s. Virginis, ut evincitur melius ex antiquis libris Romanis, in quibus die 28 Ianuarii legitur: *Octava S. Agnetis*.

Hanc antiquam ergo regulam romanam observandam decernit nova lex, saltem pro octavis Duplicium 2 classis, tam Universalis quam particularium Ecclesiarum. Quapropter nil in posterum agendum erit de infra Octavas Nativitatis b. Mariae, s. Stephani, s. Ioannis Ev., Ss. Innocentium, et s. Laurentii; et pariter infra Octavas particulares festorum 2 classis, sed tantummodo in eorum die octava, et quidem sub ritu simplici; ideoque in nova editione Breviarii typica, iis diebus unica lectio III suis locis edenda parata fuit.

Item, tam diebus infra Octavas Duplicium 1 classis, quam in ipsa eorum die octava, exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis et Corporis Christi, officium recitandum erit de Psalterio, a capitulo de festo, uti fit in ceteris duplicibus maioribus et minoribus et semiduplicibus; et ideo si aliqua Octava occurrit in die Dominica, fit officium Dominicale, etiamsi agatur de Octava Domini, cum commemoratione de ipso die Octavo.

III. De Responsoriis Ferialibus.

Responsoria quae in proprio de Tempore habentur, et a sapientioribus Liturgiae cultoribus tanti existimantur, huc usque in Breviario manserunt, quin recitarentur unquam; de hac oblivione horum Responsoriorum, inter alios conquestus est celeberrimus Grancolas (Com. hist. Brev. Rom. lib. I, c. 30), et Ss. D. N. in sua constitutione « Divino afflatu » praescripserat iam, ut « Responsoriis de Tempore occurrentibus, debitus honor restitueretur », cum autem in Breviariis non semper suis locis in promptu haberentur ipsa Responsoria, uti notavimus in nostro Commentario (nota 16) tunc in officiis sanctorum in I nocturno Responsoria de Communi praescripta fuere. Hodie vero, desideriis antiquorum fit satis, et in editione novi Breviarii suis locis semper exstabunt Responsoria de Tempore, sicque quandocumque leguntur Lectiones de Scriptura, recitabuntur quoque respectiva Responsoria.

Hae sunt ergo principales emendationes in Rubricas inductae per Motu Proprio et per Decretum S. R. C. quae hic breviter exposuimus. Cum vero iam fere ubique parata essent calendaria pro anno 1914 novae istae dispositiones obligant a die 1 Ianuarii subsequentis anni 1915, quod si quis cupiat iam ab anno 1914 novas has regulas sequi, bene id poterit, et brevi Editores pontificii fasciculum evulgabunt, in quo et lectiones nonnullae necessariae de Tempore, quae modo in Breviario suis locis desiderantur, ac alia nonnulla habebuntur, atque ita antiqua Breviaria bene poterunt adhuc adhiberi.

IV. De Translatione Festorum.

Uti in Vaticano Concilio nonnulli Episcopi postularunt, translationes quoque festorum erant moderandae; quod partim factum fuit cum abrogatione translationum accidentalium, in Rubricis novi Psalterii; cum vero, ut facilius officium feriale recitari possit, ad maiorem aedificationem, et

etiam in solatium cleri ad maiorem brevitatem, visum fuit ut et translatio perpetua e medio tolleretur. Neque quis dicat hoc modo penitus aboleri officium Sanctorum, qui sint perpetuo impediti ab alio nobiliori festo, nam, de eo agenda erit commemoratio, etiam in duplicibus I classis (non tamen primariis Domini Universalis Ecclesiae) ad Laudes et in Missis privatis tantum, in aliis duplicibus in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa, etiam solemni; insuper in locis propriis, de ipsis festum solemniori ritu celebrari continuabitur. Quot Sancti habentur in Martyrologio, de quibus nil facimus in Breviario, parvum ergo incommodum erit, si de ipsis in aliquibus locis non fiat nisi commemoratio. Quapropter, cum hodie unica regula existat, tam pro impedimento perpetuo, quam pro accidentali, sicut fuerat a tempore S. Pii V usque ad Leonem XIII, unica quoque redigenda erit Tabella Occurrentiae, quod iam factum est in coepta Breviarii typica editione.

Dr. P. Piacenza.

Consultationes.

DE PRECIBUS POST MISSAM PRIVATAM RECITANDIS.

SS. D. N. Leo Pp. XIII (fel. mem.), Decreto *Urbis et Orbis* d. 6 Ianuarii 1884 (1), praecepit, ut in posterum in omnibus ecclesiis, in fine cuiusque Missae *sine cantu* celebratae, Sacerdos flexis genibus cum populo recitet: ter *Ave, Maria,* semel *Salve, Regina,* cum ℣. et Oratione (quae anno 1886 paululum mutata fuit); easque Preces recitantibus idem Pontifex indulgentiam 300 dierum concessit (2).

Circa dictas Preces sequentia notanda sunt:

1°. Preces illae recitandae non sunt post Missam Conventualem, etsi lectam, quia aequiparatur solemni (3); nec post Missam Ordinationis in Cathedrali celebratam, utpote per se Conventualem (4); neque post Missam exequialem, vel Missas *Memoriali Rituum* Benedicti XIII contentas, quamvis sine cantu; neque post Missam lectam de SS. Corde Iesu prima Feria VI cuiusque mensis, quae celebratur cum privilegiis Missae votivae solemnis (5). — Item iuxta recens Decretum S. R. C. 20 Iunii 1913 (A. A. S., V, 311) omittuntur dictae Preces:

a) Si Missa lecta celebretur cum aliqua solemnitate externa, v. gr. occasione primae Communionis, aut Commu-

(1) C. A. S. Sedis, Vol. XVI, p. 239.

(2) Adverte quod conclusio primae Orationis debeat esse *Per eumdem Christum,* et in eadem Oratione dicendum *Beato Ioseph* et non *Beato Iosepho.*

(3) S. R. C. 7 Dec. 1888 ad 7, n. 3697.

(4) Cf. Ephemer. Liturg., vol. XI, p. 43.

(5) S. R. C. 8 Iunii 1911 ad 2, n. 4271.

nionis generalis, sacrae Confirmationis vel Ordinationis aut pro Sponsis; item si Missa lecta Parochialis vel alicuius Communitatis religiosae, vel Neo-Presbyteri, vel Iubilaris, cum quadam solemnitate externa celebretur;

b) Si Missam lectam immediate ac rite subsequatur aliqua functio seu pium exercitium, quin Celebrans ab Altari recedat, v, gr. si post Missam immediate locum habeat aliqua Instructio, vel Benedictio SS. Sacramenti, vel pium exercitium alicuius Confraternitatis. Non autem omittuntur illae Preces, si aliquae tantum preces pro Defunctis post Missam recitentur, vel absolutio generalis Tertiariis impertiatur, vel aliquibus personis S. Communio distribuatur, etc.

2°. Dictae Preces dicendae sunt immediate expleto ultimo Evangelio (1), et illis, ubi usus invaluerit, assentiente Ordinario, adiici possunt aliae preces, v. gr. pro animabus purgatorii, pro quibus celebrata fuit (2). — Inclinatio capitis versus Crucem, finita Missa, priusquam sacerdos descendat, non praescribitur, neque prohibetur, et in recitatione genuflectendum est pro lubitu sive in suppedaneo sive in infimo gradu Altari (3).

3°. Praefatae Preces recitandae sunt a Sacerdote alternatim cum populo; Versiculus vero et Oratio *Deus, refugium* cum sua additione dicantur a Sacerdote flexis genibus, prout *Ave, Maria*, et *Salve, Regina* (4). Attamen, si Missa absoluta, aliae preces infra Sacrum publice peragendae, ut sunt pia exercitia per mensem Octobrem, non sint terminatae, Celebrans Preces in fine Missae praescriptas recitare debet cum ministro solo (5). Dictae Preces in idiomate vernaculo ad-

(1) S. R. C. 23 Nov. 1887, n. 3682, et 7 Dec. 1900 ad 3, *Brunen.*, ap. Ephemer. Liturg., vol. XV, p. 265. — Hinc dictae Preces dicendae sunt ante distributionem S. Communionis et ante quascumque alias preces.

(2) S. R. C. 31 Aug. 1867 ad 7, n. 3175, et 23 Iunii 1893, n. 3805.

(3) S. R. C. 18 Iunii 1885 ad 8, n. 3637.

(4) Cf. Decr. Leonis XIII, *Urbis et Orbis*, d. 6 Ian. 1884.

(5) S. R. C. 7 Nov. 1900 ad 3, *Brunen.*

hiberi possunt, dummodo versio sit fidelis et ab Ordinario approbata (1).

4°. In Nativitate Domini Sacerdos tres Missas consecutive celebrans, quin ab altari recedat, Preces praescriptas in fine ultimae Missae tantum recitet; post singulas vero Missas eas Preces recitare debet, si illas separet (2). Non autem sunt recitandae post secundam Missam in Nativitate Domini, quando immediate sequitur tèrtia Missa solemnis (3).

5°. Dictis Precibus a Leone XIII praescriptis, Sacerdos potest addere trinas invocationes *Cor Iesu Sacratissimum,* populo vel ministro respondente *Miserere nobis* (4). Item addi possunt laudes *Dio sia benedetto* (5). Similiter post expletam Missam et dictas Preces licet Sacerdoti publice, occasione novendialis in honorem SS. Cordis Iesu vel in honorem B. Mariae Virg. etc., recitare preces etiam in lingua vernacula, ad auditum populi fidelis, ita ut ipse respondere valeat (6). Pariter licet Sacerdoti Cineres distribuere et Sanctorum Reliquias deosculandas praebere (7).

P. V. ab A.

(1) S. R. C. 5 Mart. 1904 ad V, *Utinen.*, ap. Ephemer. Liturg., an. 1904, p. 164.
(2) S. R. C. 10 Maii 1895 ad 7, n. 3855.
(3) S. R. C. 11 Dec. 1896 ad 1, n. 3936.
(4) S. C. Indulg. 17 Iun. et 19 Aug. 1904.
(5) S. R. C. 19 Dec. 1904.
(6) S. R. C. 27 Febr. 1882 ad 1 et 2, n. 3537.
(7) S. R. C. 18 Mart. 1833 ad 5, n. 2704.

Ad allatam consultationem clarissimi et solertissimi Collaboratoris nostri, fas est et alia nonnulla addere, ut plurimae petitiones inquirentium nobis missae responsionem absolutam habeant. Citatum decretum 22 iunii 1913 quoad preces in fine missae recitandas, duabus partibus coalescit: una pars solemnitatem respicit, altera vero aliquam sacram functionem seu pium exercitium immediate ac rite missae subsequentem. Missa lecta dicitur *cum aliqua solemnitate celebrata,* cum ipsa haud presso sensu privata legatur. Prima pars verificatur in missa parochiali, vel communitatis in die festo, vel cum celebrans missam dicit pro aliqua consociatione, sive ob specialem occasionem, v. g. admissionis puellarum in congregationem B. M. V., vel ad gratias Deo agendas, sive ob rationem alicuius peculiaris functionis, et similibus in casibus. Videtur non sufficere simplex assistentia quotidiana ferialibus diebus alumnorum saecularium in collegiis vi-

ventium, neque clericorum, etiamsi superpelliceis adstantium, neque simplex organi lusus cum assistentium cantu, exclusa aliqua peculiaris nota festivitatis. Si autem aliqua sacra functio seu pium exercitium immediate missam subsequatur, v. g. supplicatio triduana vel novendialis, vel aliqua deprecatio ad honorem Salvatoris nostri, vel B. M. V., aut Sanctorum, vel benedictio cum aliqua sacra reliquia, vel, uti in pluribus Germaniae dioecesibus mos est, *benedictio tempestatis* (quatuor versiculi cum duabus orationibus et benedictione cum reliquia s. Crucis), etc. preces consuetae in fine missae recitandae omitti possunt... Videtur tamen non sufficere simplex recitatio litaniarum B. M. V. more votivo, vel aliqua peculiaris oratio in honorem S. Ioseph Feria IV, passionis D. N. I. C. Feria VI etc. Concludere tamen oportet: In ambabus decreti partibus petendam fas esse ab aequo iudicio agendi rationem.

Nota Directionis.

DE INFLUXU DUPLICIS COMMEMORATI QUOAD *CREDO* IN MISSA VOTIVA PRIVATA.

Quaer. Utrum habeatur etiam influxus duplicis Commemorati quoad *Credo* in Missa votiva privata, v. g. in Missa votiva de Immaculata Conceptione B. M. V. quae apud Franciscanos celebrari potest in Sabbatis etiam in duplici maiori et minori?

Resp. Certum est, quando Sacerdos celebrat die non impedita Missam votivam de die infra Octavam B. M. V. aut alicuius Sancti, de qua tantum commemorationem in Officio recitavit, in ea Missa *Credo* dicendum esse ad quamlibet Missam de die infra Octavam, sive sit privata, sive solemnis, sive privilegiata (S. R. C. 15 Mai. 1903 ad 2, n. 4115).

Verum in supradicta quaestione casus omnino diversus est; ibi enim agitur, non de Missa votiva (seu potius festiva) de die infra Octavam B. M. V., sed de Missa mere votiva de Immaculata Conceptione, ex indulto Apostolico Franciscanis concesso in duplicibus non classicis, quae in Sabbato celebratur in quo occurrit Officium alicuius duplicis, *Credo* in Missa gaudentis. Porro, quamvis dicta Missa votiva aliquo modo sit privilegiata (cum etiam in duplicibus celebrari possit), ea tamen est *mere privata* et uti talis di-

cenda est, et consequenter est contra naturam dictae Missae votivae *Credo* adiungere, eodem modo quo est contra naturam Missae *ferialis* in ea dicere *Credo,* quamvis officium recitatum fuerit de aliquo Sancto, *Credo* in Missa gaudente. Hinc S. R. C. d. 24 Maii 1912 ad 6, 2° (A. A. S., IV, 419) decrevit quoque, in Missis de Vigilia vel de Feria non esse dicendum *Credo* ratione Festi vel octavae Symbolum habentis.

P. V. ab A.

DE MODO RESPONDENDI IN MISSA LECTA.

Disputatur inter membra Commissionis de propaganda Liturgica, erectae in Dioecesi Buscoducensi (Holland), utrum liceat, necne (ubi c. q. ceterum decore fieri posset), fidelibus in ecclesiis vel oratoriis infra Missam lectam una cum ministro Missae inservienti respondere Celebranti ea omnia, quae minister respondet.

Attentis *a*) dictis in Ritu servando in celebratione: sub III, 6: *Ministro retro post eum ad sinistram genuflectens, — prosequitur cum ministro, etc.;* item sub X, 6: *Minister pro eis facit Confessionem;* et alibi. Item *b*) Decreto S. R. C., 27 Augusti 1836, n. 2745 ad 8, quod statuit *feminae* licere respondere, sed *nonnisi* urgente necessitate: visum est pluribus ex illis membris, id non licere.

Alii autem, freti auctoritate R.mi L. Janssens, O. S. B., atque dicentes, hac de re Rubricam in tantum tacere, quod illud non expresse prohibent, putant, id quidem licere.

Quo in dubio, liceat nobis de Vestra inquirere hac in re opinione. Et dein, quid est, putatis, i. e. militat pro responsione communi, quid e contra tali praxi adversatur?

Resp. Stat pro liceitate expositae praxis, consideratio, quod *a*) integrum manet actori substitutori ad se quandocumque revocandi exsecutionem rei, substituto commissae; hinc dicente Rubrica: *Minister pro eis facit...*, subintelligi potest, *si ipsi non faciunt; b*) Decretum agit de *una* femina, *loco mi-*

nistri respondente; in casu autem proposito, de fidelibus collective sumptis, *una cum* ministro: quod omnino diversum est, et diversa sunt consectaria, quae sequuntur et sequi possunt; *c*) Quod licet in Missa cum cantu, cur non licebit in plana?

Si his rationibus addatur interpretatio R.mi P. Janssens, nullimode spernenda, crescit vis favorabilis opinionis.

Contra esset: 1. Littera Rubricae — sed littera occidit; 2. Praxis communis, contraria — sed praxis peculiaris in casu videtur laudabilis, et nullimode Legislatoris vel Communitatis offensiva; 3. Occasio decoris s. functionis offendendi — sed datur modus id plane praecavendi, et adducere inconveniens non est solvere argumentum.

Attamen, si opinio nostra, theorice loquendo, est in favorem liceitatis, practice omnino subordinatur, saltem in praesenti, iudicio Ordinariae Auctoritatis, pro singulis casibus.

M.

ANIMADVERSIONES seu OBSERVATIONES

circa Dissertationem Liturgico-pastoralem, de quibusdam defectibus supplendis et reformandis.

(Vide *Ephem. Lit.* h. a., pagg. 548 ss., 664 ss.)

Ante omnia, generaliter animadvertimus, Auctorem esse summopere laudandum pro suo in provehenda S. Liturgia zelo, et theoretice loquendo, in plurimis esse probandum; sed ipse non videtur practice considerasse quod in maxima, putamus, catholici orbis parte contingit, laetus quod nonnulli optime voluntatis sacerdotes, praesertim Parochi, adiuvantibus bonis fidelibus, id reipsa obtineant, quod describit.

Quidquid sit, libenter eius elucubrationem vulgavimus, eo quod, saltem ex parte, aliqualis reformatio et novus vigor in sacris peragendis profecto obtentum iri teneamus.

Et ad singulas partes Dissertationis examinandas procedimus.

Ad I. *De utilitate et necessitate restituendae antiquae consuetudinis celebrandi Officia divina in ecclesiis parochialibus, diebus dominicis et festivis.*

De Vesperis, maxime pridie Dominicarum et festorum, in ecclesiis parochialibus, loquens Auctor, asserit, sine ulla difficultate absolvi posse. Si id verum est pluribus in locis, absolute fallit in permultis aliis, vel ob hominum, praesertim operariorum, consuetudinem, solvendi et accipiendi in Sabbatis hebdomadariam pecuniam; vel ob uxorum, filiarum, sororum occupationem in parando viris vespertino, et forsan unico, obsonio; vel ob utilem et alicubi necessariam consuetudinem cleri, de audiendis de sero, pridie festorum, confessionibus, secus imparis de mane id praestare, ut omnes audiantur; vel ob lassitudinem laborantium, qui si ecclesiam de sero peterent, forte potius obdormirent, quam ad sacra attenderent.

De Matutino quid dicemus? Petimus potius: quomodo fieri ei locus posset, ubi praesertim ruricolae populum efformant, ubi operarii, ubi pastores? Quid possent duo Sacerdotes (quos sufficientes declarat Auctor), et quidem singulis Dominicis et festis, etiam minoribus, praesertim in confessionibus audiendis occupati? Quomodo, dato etiam quod populus, vel pars sufficiens, cantus peritus inveniretur, possent fideles adstare tanto tempore, quanto est opus ad absolvendum Matutinum cum Laudibus et Missa, nec non et Horas minores, saltem, ut dicit Auctor in fine paragraphi, de S. Corde etc., cum sermone parochiali et Benedictione adhuc cum Sanctissimo Sacramento? id est forsan tres vel quatuor horas?!

Insinuatur reductio Officii ad solum Matutinum, ad unicum Nocturnum, ad Officium parvum.... En paulatim ipsum Auctorem fatentem impossibilitatem canendi Officium liturgicum!

Quid porro dicendum de expositione SS.mi Sacramenti

durante Matutino? Id nobis nullimode probatur, quia, uti pluries diximus in hisce Ephemeridibus, saltem quod Missas attinet, et a fortiori valet pro divino Officio, potius quam maiorem venerationem in almum Sacramentum, gignit irreverentiam; neque enim satis attenditur Sacramento, dum legitur, canitur, studetur sensui verborum etc., quae opinio ab ipso Caeremoniali Episcoporum condividitur.

Vellet Auctor, ut quod iam fit in aliquibus paroeciis, circa Vesperas in Sabbatis, *obligatione* induceretur ubique, hora tardiori, et cum expositione Sanctissimi in festis Salvatoris! Succrescunt inconvenientia, ut videmus, praesertim vero ob illam tardiorem horam.... Quomodo talia obligatione induci possunt?

Ad II. *De solemnitate externa Missae parochialis, diebus dominicis et festivis in ecclesiis minoribus promovenda.*

Vellet Auctor, ut ubi est solus Parochus, nullo alio clerico adiutore, Missa parochialis celebraretur ritu solemniori. Difficile solemnis ritus concipitur, nullo adhibito clerico; tota tunc solemnitas consistere posset in cantu, qui valde difficulter in populum inducitur, praesertim si decore, uti par est, sit adhibendus. Sed haec difficultas certo eliminari potest et debet, interposito zelo et labore Parochorum, et suppetias ferente populo in expensis et aliis mediis necessariis et opportunis.

Quoad usum incensi in Missis cum cantu sine Ministris, scimus facultatem dari a S. Rituum Congregatione singulis petentibus. In hoc nulla difficultas.

De Missa cantata cum expositione SS.mi Sacramenti, silemus, cum saepe, ut superius diximus, de hoc in his Ephemeridibus loquuti simus, et quidem minime favorabiliter, ob rationes opportune allatas.

Ad III. *De hora statuta inchoandi officia divina et Missam parochialem.*

Non videmus necessitatem neque utilitatem horae uniformis pro divinis officiis, et praesertim in paroeciis. Imo, in uno eodemque loco, pago vel civitate, plurimis noceret

haec uniformitas, quia, si horae sint diversae, qui prius nequeunt sese ad ecclesiam conferre, poterunt postea, et vice versa. Hora igitur esse debet varia, iuxta locorum diversos mores et necessitates.

Ad IV. *De honore festis suppressis debito in ecclesiis parochialibus restituendo.*

Maxime desiderandum est ut populus recordetur exhortationis Summi Pontificis, ecclesiam diebus festorum suppressorum adeundo, sed nescimus quomodo permulti operibus et officinis addicti, scholis incumbentes etc. exhortationi adhaerere poterunt. Res erit tantum de iis qui liberi manent ab occupationibus quae voluntatem arctant, sed quam pauci hi sint, nemo ignorat.

Media quaedam suggerit Auctor ad scopum assequendum, sed sufficientia non videntur. Ad haec in praxim deducenda, invocat ipse *obligationem strictiori modo in decretis et canonibus!* Hoc quid nimis est, et numquam supponi potest, Ecclesiam talem obligationem esse inducturam; non esset sanctio tam gravis adaequata rei momento.

En autem haec media: *a*) Accensio sex candelarum; transeat! *b*) Sonitus organi et cantus chori; rem difficilem postulas; sed ubi possibilis est, fiat: *c*) Festivus apparatus altaris et Celebrantis; transeat! Similiter *d*) sollemnis pulsus campanarum.

Quid sperat Auctor ex his mediis? Tantane haec sunt, ut pigros moveant, operibus detentos ab iis arceant, variis occupationibus addictos dimoveant? Dubitamus, imo maxima ex parte negamus.

De mediis addititiis, quae suggerit auctor, nullam movemus quaestionem, sed eorum efficaciam non videmus. Erunt conatus plus minusve effectu coronati. Sunt tentamina adhibenda, officio parochorum consentanea, illud praesertim de praemonitione in praecedenti Dominica, at nihil aliud.

Ad V. *De frequentia expositionum SS. Sacramenti moderanda et ordinanda.*

Valde probamus Auctoris parcimoniam in admittendis

expositionibus SS.mi Sacramenti, sed illam videmus oblitam, cum ipse illas regulariter admittit in Missis et Officiis Salvatoris, imo, ut dixerat ad num. I (pag. 552), etiam in festis Patroni et Tituli ecclesiae aliisque maioribus solemnitatibus.

Cetera desiderata optima sunt, illud praesertim quod prohibitionem respicit expositionum Sanctissimi in devotionibus non eucharisticis.

Ad VI. *De cultu S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph Sp. B. M. V. in populo amplificando.*

Expositionis Sanctissimi quaestio, iam supra posita est; et de ea satis dictum. Addimus tamen, rationem ab Auctore adductam ad confortandam opinionem opportunitatis huiusmodi expositionis in festis horum Sanctorum, posse cuicumque Sancto aptari, sive ob veritatem enunciati, quod Sancti omnes sunt servi, proximi et amici Domini, maximo cum vita eiusdem nexu iunctos; sive ob subiectivam maiorem existimationem populorum, v. gr. circa Patronos.

Cetera quae proponuntur valde sunt commendanda.

Ad VII. *De verbo divino tempore Adventus et Quadragesimae.*

Nil fere contra Auctoris proposita habemus dicendum; unum tantum nobis non probatur, quod Evangelii explanatio remittatur habenda finita Missa; dum congruum tempus est post lectum vel decantatum Evangelium in ipsa Missa. Possent tamen in aliquibus locis dari circumstantiae, quibus attentis, tempus congruum esset ante, post, et etiam omnino separatim a Missa: his in adiunctis exceptio admitti posset.

Ad VIII. *De restituenda antiqua consuetudine erigendi altare sepulcri Domini feria VI in Parasceve, in ecclesiis parochialibus.*

Quamquam Auctor invocat, ad confortandam suam thesim, de restituendo antiquo ritu, de quo in dicto titulo, ex Sacerdotali Romano desumendo, minime convenimus in aestimatione talis opportunitatis. Quum Ecclesia ritum huiusmodi abolevit, certe potissimis rationibus innixa id fecit. Ideo nihil innovandum putamus; sed si Apostolica Sedes

aliter iudicaverit, parati sumus illi obtemperare, quia, non dicimus esse erratum, omne quod praeteritis saeculis factum est, et quod pluribus in exteris regionibus etiamnum fit, sed, hic saltem et nunc, bonum esse, res ita ut sunt relinquere. Quilibet ceterum ad S. Sedem posset, debita cum submissione, sua optata proponere.

Dicit Auctor:

« Ratione huius defectus (repraesentationis sepulcri) erronee fideles non desinunt appellare sepulcrum expositionem diei praecedentis »; sed animadvertendum est, sacram Rituum Congregationem, anno 1896 (n. 3939), rescripsisse, expositionem feriae V in Coena Domini, usque ad feriam VI subsequentem, esse repraesentativam tum institutionis divini Sacramenti Eucharistiae, tum sepulturae Dominicae. Hinc cadit sententia Auctoris ipsius, qui erratam appellat dictam locutionem.

Huic ritui adnexus esset ritus resurrectionis Domini, de quo eadem dicenda sunt, quae supra, cum sit illi relativus.

Concludimus, dicentes, studium Auctoris perutile esse ad alios etiam atque etiam incitandos ad rerum conditionem considerandam, et ad practicas deductiones faciendas, debito cum obsequio Auctoritati. Verumtamen in mente esse tenendum, non omnia congruere omnibus, et nimiam uniformitatem, quae desideratur, posse potius nocere quam prodesse.

Interea accipiant Lectores quod bonum hisce in paginis videtur, qua mente in iis evulgandis directi sumus.

Notandum.

Censuram aliquam, per tres RR. nostros consociatos ad nos missam, circa nonnullas Responsiones in fasciculo praeteriti mensis datos, ob spatii defectum (Indice occupante), ad proximum vulgandam remittimus, cum animadversionibus opportunis. Cum res utilis evadat, tam nostris *Ephemeridibus*, quam RR.is Consociatis et Lectoribus, libentissime eidem locum damus.

Directio.

Praxis liturgica

DE REQUISITIS AD MISSAE CELEBRATIONE.

(Continuatio. Vide nn. 9-10, pagg. 552-570)

VIII. — De partibus mobilibus Missae.

Quoad partes quae in Missae Sacrificio variantur, sequentia notantur:

Psalmus «Iudica» numquam praetermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis *de Tempore (non in Missis festivis et votivis)* a Dominica Passionis inclusive, usque ad Sabbatum sanctum exclusive, in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo...*, sacerdos statim subiungit ℣. *Adiutorium nostrum* etc. (1).

1. *Introitus* semper dicitur, praeterquam in Missa Sabbati sancti, et in Missa *solemni* (seu *conventuali*) Vigiliae Pentecostes, cui praemittuntur Prophetiae (2). — Introitus semper eodem modo dicitur cum *Gloria Patri* (et *Sicut erat* etc.) (3), praeterquam tempore Passionis (4), et in Missis Defunctorum (5). — Tempore Paschali in omnibus Missis, quae non sunt *De Requie* adduntur duo *Alleluia* (ubi nempe desunt) ante Psalmum (6).

3. *Gloria in excelsis* dicitur in omni Missa conformi Officio, in quo ad Matutinum dictus est Hymnus *Te Deum*, praeterquam in Missa Feriae V in Coena Domini et Sab-

---

(1) Rit. celebrandi Mis. III, 6.

(2) Vide Rub. special. in dictis locis.

(3) Vide Dom. I Adventus.

(4) A Dom. Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive in Missis *de Tempore* non dicitur *Gloria Patri,* sed finito Psalmo repetitur Introitus *(Rub. spec. Dom. Passion.)*.

(5) V. Rubr. gener. Missal. VIII, 1.

(6) Rubr. spec. ante Comm. plur. Mart.

bati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in Officio non sit dictum *Te Deum* (1). — In quibusnam Missis votivis *Gloria* dicitur, infra exponetur ubi agitur de Missis votivis.

4. *Orationes* seu *Collectae* in Missa dici debent iuxta regulas liturgicas, nec umquam licitum est Celebranti ex propria aut fidelium devotione aliquam Orationem addere omittere aut mutare, nisi in casibus a Rubricis permissis (2). — Hoc idem valet de Orationibus *Secretis* ac *Postcommunionibus,* quae semper, sive quoad numerum, sive quoad ordinem, Orationibus ante Epistolam correspondere debent.

5. Praeter Orationem Missae propriam, tres species Orationum distinguuntur: 1. *Commemorationes speciales* quae plerumque correspondent illis in Officio factis; — 2. *Commemorationes communes,* quae in Missis 2° ac 3° loco certis diebus (ritus nempe semiduplicis vel simplicis) adduntur, si commemorationes speciales deficiant; et — 3. *Orationes votivae,* quae nullam cum Officio relationem habent, et adduntur post commemorationes (sive speciales sive communes), vel *ex praescripto Rubricarem*, e. g., Oratio SS. Sacramenti etc., vel *ex praecepto Superioris competentis* quae Oratio *imperata* vocatur, vel demum *ad arbitrium Celebrantis* in Missis votivis privatis, Festis simplicibus et diebus ferialibus; hae ultimae *stricte votivae* dicuntur.

6. *Commemorationes speciales* hoc modo ordinandae sunt in Missa pro diverso Officiorum ritu: 1. *in duplicibus I classis:* a) de Dominica quacumque; — b) de octava privilegiata (3); — c) de Feria maiori Adventus et Quadragesimae, ac insuper de Feria Quatuor Temporum et II Rogationum. — 2. *In duplicibus II classis:* a) pariter ut in duplicibus I classis, et insuper: — b) de quolibet duplici vel semiduplici

(1) Rubr. gener. Missal. VIII, 1.

(2) S. R. C. 28 Ian. 1606, n. 197; 13 Iunii 1671, n. 1422; 2 Dec. 1684, n. 1740 et 27 Mart. 1779 ad 6, n. 2515.

(3) Octavae privilegiatae sunt Octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi.

ad modum simplicis redacto; — c) de Vigilia, ac — d) de simplici (de quo tamen non in Missa solemni vel conventuali). — 3. In aliis duplicibus, in Dominicis et semiduplicibus, omnes fiunt commemorationes in die occurentes sine ulla exceptione (1).

7. *Orationes communes* in Festis duplicibus et in Dominicis infra Octavas non dicuntur (2); nec hodie quando in Dominica fit commemoratio de aliquo officio duplici, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, dicitur tertia Oratio il Missa (3). — In aliis vero Dominicis, Feriis et Festis semiduplicibus dicuntur 2° et 3° loco Orationes communes, nisi commemorationes speciales sint faciendae, et variantur pro diversitate temporum et festorum, quod semper indicatur in Calendario (4).

8. In Missis de Festis simplicibus, de Feriis per annum et de Vigiliis non privilegiatis, necnon im missis votivis privatis atque in Missis quotidianis lectis de Requie, dicuntur trus Orationes: possunt tamen dici quinque aut septem

(1) In Dominica tamen Palmarum et Vigilia Pentecostes nulla fit commemoratio in Missa, ne in Missa privata quidem, licet facta fuerit in Officio (Rubr. gener. Missal. VII, 1). — Insuper fit commemoratio in Missa, etiamsi in Officio facta non sit, de Feria III et IV Rogationum et de Vigiliis in Adventu, in Quadragesima et in Quatuor Temporibus, nisi eaedem occurant in duplicibus I classis, in quibus nihil fit de ista Feria vel Vigila occurrente (Rubr. gener. Missal. III, 2 et VII, 2; S. R. C. 16 April. 1853 ad 1, n. 3009, et 23 April. 1875 ad 5, n. 3352).

(2) Rubr. gener. Missal. I et IX, 1 et 10.

(3) Rubr. nov. Psalt. VII, 4 et X, 1; neque dicitur 3ª Oratio in Missa de Feria vel Vigilia, in qua fit com. Officii duplicis (S. R. C. 22 Mart. 1912 ad 5, et 19 April. 1912 ad 8).

(4) In diebus tamen infra Octavas Paschae et Pentecostes duae tantum Orationes dicantur. Item in Dom. Palmarum Orationes dicuntur ut in dupl. I classis; in Dom. in Albis, ut in duplicibus; tempore Passionis in Missa *de Tempore* et in Festis semiduplicibus dicuntur duae tantum Orationes (Cfr. Rubr. gener. Missal. tit. IX, et S. R. C. 10 Ian. 1693 ad 7, n. 1890).

ad libitum Celebrantis (1). Celebrans potest in dictis Missis, sed non tenetur, Orationibus, si pares sunt, aliam superaddere, ut numerus impar fiat; si autem Orationibus praescriptis Orationes votivas addit, adiungat eas post Orationes imperatas ab Ordinario loci, et curet ut omnes Orationes simul sumptae efficiant numerum imparem, quin tamen excedatur numerus septenarius (2). — In Missis de Feria maiori (3) vel de Vigilia, in qua hodie prohibentur Missae votivae aut privatae pro Defunctis (4), licet in huiusmodi Missa de Feria Orationem addere pro Defunctis, pro quibus Sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis (5).

9. In Oratione *A cunctis*, ad litteram N., in Ecclesiis et Oratoriis saltem solemniter benedictis (6) nominandus est Titularis Ecclesiae in qua celebratur. — Si Ecclesia vel Oratorium praefatum duos vel plures Titulares *aeque principales* habeat, omnes nominandi sumt; secus solius principalioris fit mentio. Si vero Titularis in ista vel alia Oratione iam exprimatur, omittenda est nova nominatio, vel mutanda

(1) Rubr. gener. Missal. IX, 12 et 14, et S. R. C. 22 Mart. 1912 ad X.

(2) Collectae imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omitti debent (S. R. C. 19 Ian. 1906 ad 1, n. 4177).

(3) Uti sunt Feriae Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum et Feria in qua anticipatur vel reponitur aliqua Dominica.

(4) Rubr. nov. Psalt. tit. X, n. 2. — In Quadragesima tamen Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae, libera in Kalendario Ecclesiae, in qua Missa celebratur (*Ibid.*).

(5) Rubr. nov. Psalt. tit. X, n. 5. — Cf. Rubr. gener. Missal. VII, 6, et infra n. 148.

(6) S. R. C. 28 Nov. 1891 ad 1 et 2, n. 3752. — Si tamen in domo seu conventu Regularium plura sint Oratoria solemniter benedicta, tunc nominandus est Titularis Oratorii principalis, deficiente Ecclesia (S. R. C. 10 Nov. 1906 ad 3, n. 4192).

Oratio *A cunctis* in antecedentem *Concede, quaesumus,* etc. (1) — In nominandis Sanctis in hac Oratione, servetur ordo Litaniarum (2). — Si Ecclesia vel Oratorium alicui Mysterio, v. g. ss. Trinitati, Cruci, etc. dedicata sit, vel si celebretur in Oratorio, v. g. privato, non habente Titularem, nominandus est Patronus civitatis vel loci (3), si vigeat consuetudo faciendi eius commemorationem in Officio (4); secus omittenda sunt verba *atque beato*. — Regulares in Oratione *A cunctis* nominare possunt proprium S. Fundatorem, dummodo Titularem (si nominari queat) non omittant (5), et in nominando illo servent ordinem dignitatis.

10. Oratio *ad libitum*, a Rubricis assignata, est praeceptiva; sed potest esse de aliquo Sancto (dummodo iam non sit nominatus (6), vel de SS. Sacramento, vel de Cruce, aliove Mysterio (7), de quibus dici potest Missa votiva, vel ex Missa in Anniversario seu Consecrationis Episcopi (8), vel ex Orationibus in fine Missalis assignatis. — Loco huius Collectae numquam substitui potest illa a Superiore praescripta, quae in casu dicenda est 4° loco (9). — Quando 2° loco dicenda est Oratio *A cunctis*, pro 3ª Oratione *ad libitum* poni potest Oratio *Ecclesiae tuae*, licet circa finem in

(1) S. R. C. 15 Maii 1819 ad 3, n. 2597.

(2) S. R. C. 2 Maii 1900, ap. Ephem. Liturg. 1900, p. 526.

(3) S. R. C. 12 Sept. 1840 ad 1, n. 2814.

(4) S. R. C. 23 Nov. 1906 ad 9, n. 4194. Deficiente vero Patrono civitatis vel loci nominandus est Patronus Dioecesis (S. R. C. 2 Dec. 1891 ad 1, n. 1754; Ephem. Liturg. 1899, p. 257).

(5) S. R. C. 2 Dec. 1891, n. 3758.

(6) Hinc, cum dicitur in Missa 2ª Or. *A cunctis*, eligi nequit 3ª Or. pro Congregatione et Familia, id est *Defende* (S. R. C. 13 Febr. 1892 ad 24, n. 3767), cum B. M. V. iam nominata sit in Or. *A cunctis*.

(7) S. R. C. 17 Aug. 1709 ad 2, n. 2198; 2 Sept. 1741 ad 2, n. 2365.

(8) S. R. C. 3 Iulii 1895 ad 1, n. 2924.

(9) Decr. cit. 17 Aug. 1709, et 3 Iulii 1896.

verbis cum prima pene concordet (1). — In Missa *conventuali* vel *cantata* electio huius Orationis non pertinet ad Celebrantem, sed ad Praefectum Capituli aut Superiorem Communitatis (2); ideoque eligi nequit Oratio *pro scipso sacerdote*: potius tunc sumatur ea quae Superiori vel Communitati convenit (3).

11. Quoad Orationem *Ecclesiae* vel *pro Papa*, quando alterutra assignatur a Rubricis, convenit eas alternare; quod si eodem tempore una ex praecepto Superioris *imperata* esset, utraque dici debet, sed imperata quarto loco (4).

12. *De Orationibus votivis late dictis*, quae vel a Rubricis seu Decretis, vel a Superiore competente praescribuntur:

I. *De oratione SS. Sacramenti:* 1. Ea non dicitur ob *privatam* expositionem, quando nempe SS. Sacramentum velatum relinquitur in Tabernaculo aperto (5). — 2. SS. Sacramento *publice* exposito (6), sive in Ostensorio sive in Pyxide (7): a) *Ad altare expositionis*, Oratio SS. Sacramenti dici *debet* in omni Missa *cantata* vel *conventuali* (8); item in

---

(1) S. R. C. 29 Mart. 1851 ad 2, n. 2986.

(2) S. R. C. 12 Maii 1905 ad 9, n. 4157.

(3) Cf. S. Liturg. ad Semin. Mechlin. t. II, q. 124, edit. 1911.

(4) S. R. C. 4 Mart. 1901 ad 1, n. 4070.

(5) S. R. C. 7 Mai 1746 ad 4, n. 2390; Comment. in Instr. Clement. § XVIII, n. 33.

(6) Expositio *publica* seu *pro causa publica* est illa, quando SS. Sacramentum e Tabernaculo extrahitur et palam in throno collocatur, ita ut ab omnibus videri possit (Cf. Bened. XIV. *Instit. Eccles*. XXX, n. 17; Comment. in Inst. Clement. § XXXVI, n. 2.

(7) Iuxta Decreta, expositio SS. Sacramenti publica seu solemnis, quae fit de licentia Ordinarii, fierit nequit cum Pyxide collocanda in throno tabernaculi (S. R. C. 28 April. 1902 ad 13, ap. Ephem. Liturg. 1903, p. 353). Ubi autem hic ritus a competente auctoritate toleratur, inter *publicas* recensenda est eiusmodi expositio, et 12 candelae cereae accendi debent (Comment. in Instr. Clement. § VI, n. 10).

(8) S. R. C. 23 Iunii 1736 ad 1, n. 2323; 16 Febr. 1737 ad 1, n. 2327, et 27 Aug. 1880, n. 3517.

Missa *solemni* vel *cantata*, in qua consecratur Hostia pro expositione seu processione immediate secutura post Missam (1). In Festis duplicibus 1 et 2 classis, in Dom. Palmarum, in Vigilis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon in Missis votivis solemnibus fit com. SS. Sacramenti sub *unica* conclusione cum Oratione Missae (2), nisi sit facienda alia commemoratio, cui tunc adiungitur sub sua conclusione (3). — b) In Missa *cantata* seu *conventuali* ad *altare expositionis* et in Missa *privata ad quodcumque altare*, Oratio SS. Sacramenti dici *potest*, exceptis duplicibus 1 et 2 classis, Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et si celebretur Missa votiva solemnis *pro re gravi* seu *ad instar* (4); — praeter quos casus dici *debet* in Adoratione perpetua et in oratione XL Horarum (5).

Oratio SS. Sacramenti, ob identitatem Mysterii, solum-

(1) S. R. C. 10 Sept. 1796 ad 4, n. 2552 et 15 Maii 1819 ad 2, n. 2598.

(2) Decreta mox. cit., n. 2323, et 2327.

(3) S. R. C. 3 Mart. 1764 ad 3, n. 2461; 13 Dec., 1779 ad 1, n. 2515, et Instr. Clement § XVII, n. 23. — Casu quo aliqua Collecta *pro re gravi imperata* simul facienda esset, Or. SS. Sacramenti fit post omnes com. speciales et communes de praecepto, sed ante omnes alias Collectas *imperatas*, et tunc in dupl. I classis, si non adsit alia com. specialis, coniungenda est Orationi Festi sub una conclusione, et *imperata* sub distincta conclusione. S. R. C. 22 April. 1871 ad 1, n. 3245; 18 Mart. 1874 ad 2, n. 3328, et 18 Sept. 1877 ad 3, n. 3436. — Item in Missa solemni expositionis et repositionis XL Horarum et in Missa solemni tempore Adorationis perpetuae, quando Festum aliquod I vel II classis occurrat in Dominica, tunc unitur Oratio SS. Sacramenti Orationi Festi sub una conclusione, et fit com. Dominicae 2° loco cum distincta conclusione (S. R. C. 18 Maii 1883 ad 5, n. 3574).

(4) S. R. C. 2 Sept. 1741 ad 1, n. 2365; 7 Maii 1746 ad 6, n. 2390 et 7 Aug. 1880, n. 3517.

(5) Comment. in Instr. Clement. § XVII.

modo omittenda est in Festis Passionis, Crucis, SS. Redemptoris, SS. Cordis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis (1).

13. II. *De Oratione « Deus, omnium fidelium »*, — Haec Oratio fieri debet in anniversario tum Creationis, tum Coronationis Summi Pontificis regnantis ab omnibus Sacerdotibus totius Orbis catholici in omnibus Missis *cantatis* et *lectis* (2), exceptis casibus infra notatis; item in anniversario tum Electionis (aut Translationis si contigerit), tum Consecrationis Episcopi Dioeceseos ab omnibus Sacerdotibus, etiam Regularibus, ipsa die intra eiusdem Dioeceseos limites Missam celebrantibus (3), addendo ad litteram N. nomen Episcopi et post verbum *Ecclesiae* nomen Dioeceseos. — 2. Haec Oratio in Festis duplicibus 2 classis unitur sub *una* conclusione Orationi Missae, nisi alia Commemoratio sit facienda, cui tunc adiungitur. Omittitur vero in Festis duplicibus 1 classis (non excepto Triduo ante Pascha), in Dom. Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon in Missis Votivis solemnibus, quae ad instar duplicium 1 classis celebrantur (4). — 3. Si anniversarium quotannis impediatur Festo dupl. 1 cl. quod diei mensis affixum est, illud transferendum est in alium sequentem diem non impeditum (5). — Si anniversarium Electionis vel Consecrationis Episcopi et illud Creationis vel Coronationis Summi Pontificis eadem die occurrant, tunc Oratio pro Episcopo dicatur in sequenti die (6); casu vero quo Oratio

(1) S. R. C. 3 Iulii 1896 ad 4, n. 3924.

(2) S. R. C. 12 Mart. 1836 ad 10, n. 2740; 22 Maii 1841 ad 8, n. 2837; 14 Aug. 1858 ad 7, n. 3078; 30 Ian. 1878 n. 3440, et 18 Maii 1883 ad 8, n. 3575.

(3) S. R. C. 17 Sept. 1785 ad 3, n. 2528; 14 Aug. 1858 ad 3-5, n. 3078; 30 Ian. 1878 ad 1, n. 3440 et 17 April. 1894 ad 5, n. 3824.

(4) S. R. C. 12 Sept. 1840 ad 3, n 2823; 11 Maii 1841 ad 8, n. 2837; 14 Aug. 1858 ad 3-5, n. 3078 et 18 Maii 1883 ad 7 et 8, n. 3575.

(5) S. R. C. 30 Aug. 1892 ad 2, n. 3792.

(6) S. R. C. 20 Dec. 1864, dub., n. 3132.

Deus, omnium sit *imperata* et anniversarium praefatum Summi Pontificis vel Episcopi occurrat, ea die omittitur Oratio *imperata* (1). — 4. Dies anniversaria Electionis aut Translationis, quoad Episcopos in Consistorio electos seu translatos, computanda est a die publicationis consistorialis; quoad ceteros vero antea electos seu translatos, in posterum non a die enuntiationis in Consistorio, sed a die expeditionis decretorum seu Litterarum Apostolicarum, ad electionem seu translationem pertinentium (2). Idem dicendum est de Episcopis ad Archiepiscopatum evectis (3). — Si vero agatur de aliquo Episcopo Coadiutore *cum iure successionis*, dies electionis censetur ille quo datae sunt Litterae Apostolicae pro Coadiutoria cum futura successione (4).

---

(1) S. R. C. 5 Mart. 1870 ad 1, n. 3213.

(2) S. R. C. 8 Iunii 1910, n. 4254.

(3) S. R. C. 8 Iulii 1910, n. 4258, et 2 Dec. 1912, n. 4258.

(4) S. R. C. 30 Ian. 1878 ad 2, n. 3440, et 8 Iunii 1910, n. 4254.

Appendix

ad Caeremoniale Parochorum

cum parochus, speciali occasione, copiam sacrorum ministrorum habens, functiones praecipuas solemnes (hic in compendium redactas) aliquando peragere cupit.

(Continuatio. V. num. 11 currentis anni. pagg. 698-702).

CAPUT III.

De officio presbyteri assistentis in missa solemni.

1. In missa solemni presbyter assistens ordine sacerdotii esse debet (D. 284). Non permittitur nisi neopresbyteris in primitiis solemnibus (D. 3564[2]) et praelatis maioribus: aliis sacerdotibus autem, canonicis et dignitatibus, non obstante consuetudine contraria, non permittitur (DD. 805[1], 1711[4], 1771[2], 1943, 2079[14], 2794[1], 2867[2], 2933, 3031[5], 3057[1.2], 3408[2], 3442[2], 3477, 3584[1.2]). Ex speciali autem privilegio, vel consuetudine immemorabili permittitur canonicis et dignitatibus (DD. 165, 3564, 8680), nec non praelatis maioribus ordinum religiosorum, generali nempe et provinciali, seu commissario generali et custodi provinciali, ex antiquissima consuetudine.
2. Presbyter assistens, hora statuta, lavat manus, amictum super cotta (vel rochetto si sit canonicus) et super eo pluviale coloris missae conveniens induit, absque stola (DD. 3564[2], 3580).
3. Dato signo discedendi a caeremoniario, caput discooperit, facit debitam reverentiam cruci et celebranti, caput cooperit et procedit ad sinistram celebrantis (D. 4018 ad II).
4. Ad altare ante gradus diaconus et subdiaconus ad sinistram celebrantis, ad dexteram vero presbyter assistens, qui detegit caput, accipit biretum a celebrante cum osculis, et utrumque tradit caeremoniario.
5. Facta confessione, assistens ascendit altare cum celebrante, manu sinistra aliquantulum elevans eius fimbriam, et mox diacono cedit locum, se retrahens versus librum. Dum incensum impo-

nitur, faciem tantisper ad celebrantem vertit; et incenso imposito, cum ministris genuflectit, missale cum legili amovet, illudque sustinens stat in plano a latere epistolae. Cornu epistolae incensato, cum celebrans ad medium progreditur, missale loco suo reponit, iterum redit in planum, et dum celebrans incensatur, ipse stat a dexteris diaconi.

6. Incensato celebrante, accedit ad secundum gradum inter celebrantem et diaconum, ibique indicat initium introitus.

7. Se signat et inclinat cum celebrante, quod observat per totam missam, dum celebrans se signat vel inclinat aliquid proferens voce non secreta. Item respondet cum ministris ad *Kyrie*, recitat cum celebrante *Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei*.

8. Ad *Gloria* assistens suppedaneum ascendit, et se sistit ad dexteram diaconi. Post recitationem hymni, si fiat sessio, facta genuflexione (vel inclinatione si canonicus in sua ecclesia) cum aliis ad sedes descendit, observans ut in mutatione loci cum celebrante et ante diaconum et subdiaconum transeat; tradit cum osculis biretum celebranti, ad cuius dexteram cooperto capite sedet; diaconus sinistram celebrantis, subdiaconus vero dexteram diaconi tenent (1).

9. Sub cantus assitum existens caput detegit, surgit, biretum celebrantis accipit, et per viam longiorem ad medium altaris accedit; ubi peracta in infimo gradu ad dexteram celebrantis genuflexione, altare conscendit, ac se ad missale consistit uti prius, ostendens celebranti orationes, epistolam (postquam respondit *Deo gratias*) graduale etc.

10. Suo tempore assistens defert missale ad cornu évangelii, transiens ante diaconum, quocum simul genuflectit subdiaconus eum sequentem, et similiter ad cornu evangelii gradiens et in medio genuflectens.

11. Dum celebrans legit evangelium assistit ad eius sinistris; subdiaconus autem ibidem consistit, quasi medius inter celebrantem et assistentem paululum retro; diaconus vero iuxta morem defert evangeliarium ad altare.

12. Post evangelium presbyter aptat missale prope corporale, et manet in cornu evangelii, se vertens ad diaconum cantantem evangelium. Celebranti, a diacono incensato, ostendit *Credo*

(1) Si consuetudo immemorabilis habetur, vi cuius presbyter assistens infra cantum hymni angelici et *Credo* sedeat ad sinistram subdiaconi, servari potest, sed in scabello separato (D. 4018, dub. III).

(si dicendum sit), deinde se parum retrahens ad cornu evangelii locum cedit subdiacono (idem praestat ad *Sanctus* et *Agnus Dei* recitandum). Postea sedit ut supra; et dum diaconus bursam defert ad altare. assistens non assurgit (D. 4018 ad V), sed convenienter caput ad salutationem eius detegit, ut cl. De Herdt docet.

13. Cantato symbolo, et facta genuflexione super infimum gradum, ad librum sistit; et celebranti, cantato *Dominus vobiscum* ostendit offertorium legendum.

14. In impositione thuris se consistit ut ante introitum, et dum celebrans incensato cornu epistolae ad medium altaris pervenit, cum eo reverentiam facit, et accepto missali descendit in planum donec celebrans, incensato cornu evangelii, ad medium altaris rediit, quo tempore suppedaneum ascendit, missale deponit, et reverentiam cum celebrante facit, neque amplius a libro recedit usque ad *Agnus Dei*.

15. Postquam celebrans a diacono incensatus fuerit, assistens per latus suum dexterum paululum se convertit ad diaconum a quo bis duplici ductu incensatur, ante et post inclinati sibi invicem facta. Si chorus adest, assistens incensandus est post alios in choro ante subdiaconum (D. 2328[5]).

16. Ad *Sanctus* aliquantulum recedit, ut subdiacono locum praebeat; deinde iterum ad librum accedit ibique sistit usque ad *Quam oblationem*; tum ad secundum gradum a sinistris celebrantis descendit, uti suo tempore geflectit utroque genu, neque assurgit donec celebrans post alteram elevationem calicem super corporale deposuerit. Tunc statim ad eius sinistram iterum accedit, assistens ei, ut supra, et genuflectens quoties celebrans genuflectit.

17. Ad *Pax Domini* cedit locum subdiacono et una cum ceteris *Agnus Dei* recitat: deinde facta genuflexione cum ministris sacris, qui recedunt retro post celebrantem, accedit ad dexteram celebrantis, ubi iterum genuflectit et statim surgit; et manibus iunctis osculatus cum celebrante altare extra corporale, pacem accipit more solito. Repetita genuflexione, per sinistram suam se vertit ad diaconum eique in secundo gradu dat pacem; hunc reversus ad altare iterum genuflectit, immediate accedit ad missale ibique ita se sistit, ut aliquem locum diacono relinquat.

18. Si habeatur chorus, post pacem diacono datam, genuflectit super infimum gradum altaris. et comitante caeremoniario, pacem ad chorum distribuit, ut de subdiacono dictum est; reversus ad altare genuflectit et dat pacem caeremoniario, cum quo iterum genuflectit, et ascendens suppedaneum accedit ad sinistram celebrantis, ubi ad librum sistit.

19. Si communio sit distribuenda, retrahit se versus cornu evangelii, descendit in secundum gradum, ubi manibus iunctis, et facie ad Sacramentum conversa, stat usque in finem distributionis. Si assistens ipse communicet, communionem accipit ante diaconum et subdiaconum, primo loco genuflexus.

20. Suo tempore transfert missale ad cornu epistolae, incedens per secundum gradum et genuflectens in medio, ibique ministrat celebranti.

21. Cantatis orationibus, claudit missale, et ibi manet facie ad altare conversa, donec *Ite, missa est* a diacono cantatum sit. Tunc transit per secundum gradum ad cornu evangelii, genuflectens in medio, ibique utroque genu flexus in ora suppedanei, benedictionem accipit.

22. Si aliud evangelium in fine legendum sit, cantato a diacono *Ite, missa est,* transfert missale, facta in medio genuflexione, ad cornu avangelii.

23. Accepta benedictione, surgit et ad sinistram celebrantis accedit, eidem sustinet tabellam etc. Deinde ad dexteram celebrantis accedit, diaconus vero ad sinistram, et facta cruci iuxta consuetudinem inclinatione, vertens se per suam sinistram, descendit simul cum celebrante et aliis ministris in planum ante infimum gradum altaris, tradit biretum cum osculis celebranti, genuflectit in plano, caput cooperit et revertitur eodem ordine quo venerat, ad sacristiam, ubi facta inclinatione cruci et celebranti, paramenta deponit.

Index

Capitum et Articulorum cuiusque materiae

huius XXVII Tomi

Decreta

SS. Romanarum Congregationum

E S. Rituum Congregatione.

Decretum adprobationis Antiphonalis diurni romani 65
Dubia 66
Declaratio circa novas Rubricas tit. X, num. 2 et 5 de Missis votivis et de Requie 129
De caeremoniis quibusdam servandis coram augustissimo Sacramento, adsistente vel celebrante Episcopo 195
Instructio super Calendariis propriis reformandis . . 198
Rubricae inserendae Rituali et Breviario romano in officio defunctorum . 201
Romana. De Calendario pro Clero almae Urbis . . . 202
Delegationis Apostolicae Canadensis. Dubia de diebus in quibus institui potest consecratio Episcoporum 321
Bituricen. Assignatur modus, quo legitime Officium ac Missa in Festo SS. Sepulcri D. N. I. C. extra Tempus Paschale agendo celebrentur 323
Decretum adprobationis novae editionis Martyrologii Romani 449
De Mutationibus in Breviario Romano faciendis ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu » . . . . *ibi*
De Precibus in fine Missae recitandis 451
De vigiliis ad Reliquias martyrum persolvendis in nocte ante dedicationem ecclesiae 634
Decretum adprobationis novae editionis typicae Ritualis romani 641
Decretum generale super Motu proprio « Abhinc duos annos » 709
Commentarium 718

E S. Congregatione Concilii.

De Communione in ecclesiis non parochialibus etiam regularibus die Paschatis fidelibus administranda 82

E S. Congregatione S. Officii.

Decretum circa Missas tricenarias Gregorianas et Altaria item Gregoriana 142
De qualitate Missae ad indulgentiam altaris privilegiati lucrandam . . . 257
Conceduntur indulgentiae pro piis exercitiis mense Augusto in honorem Im-

maculati Cordis B. M. V. peragendis 318
Declaratio circa formulam orationis *Obsecro te*, post Missam recitandae . . . 319
Christiana salutatio sub invocatione Divini Iesu Nominis ampliori indulgentia ditatur 383
Augentur et extenduntur indulgentiae pro quadam laude SS. Sacramenti . 384
Solvuntur dubia circa SS. Numismata scapularibus sufficienda 452
S. Vincentii Ferreri preces ad sanctum vitae mortalis exitum a Deo implorandum indulgentia trecentum dierum ditantur . . 453
Solvitur dubium circa Preces Tertiariorum Franciscalium aliis insuper sodalitiis adscriptorum . . 455
Declaratio circa indulgentias piorum obiectorum a a Summo Pontifice benedictorum 456
Uniformes decernuntur indulgentiae Crucibus quae « a Missionibus » nuncupantur 703

E S. Congregatione Consistoriali.

Decretum circa actiones scenicas in ecclesiis . . . 75

E S. Congregatione

de Disciplina Sacramentorum.

Romana et Aliarum. Iurium 77
Romana et Aliarum. Dubiorum super Missae celebratione in Oratoriis privatis 322

Archaeologia Liturgica.

Textilia Sacra. Continuatio 115
Continuatio 157
De Statione ad S. Petrum in secunda Dominica post Pascha 213
§ 1. De certa huius Stationis per S. Gregorium M. institutione 214
§ 2. De huius stationis continuatione usque ad praesentem diem 266
§ 3. De huius stationis solemnitate 331
§ 4. De huius solemnitatis cessatione 385
§ 5. De huius stationis obiecto 642

Appendix ad Caeremoniale Parochorum.

De functionibus praecipuis solemnibus in Paroeciis. Ritus aspersionis aquae benedictae 445
Continuatio 506
Continuatio 625
Adnotanda 698
Continuatio 746

Consultationes.

E Conventu N. De officiis in festis secundariis . . 41
E Galicia. De occurrentia Titularis cum Anniv. Dedic. eccl., in ecclesia Regularium 44
De Missa privata de requie in die obitus, cum celebratur officium de aliqua Dominica anticipata . . 105
De Sanctis Sociis a Titulari separandis 106
E Tilburgo in Hollandia. De Octavis privilegiatis B. Mariae et S. Francisci

Salesii in ecclesiis Sororum a Visitatione . . . 165
E Galicia. De duabus Missis votivis SS. Cordis in eadem ecclesia 167
Ex N. N. De Sanctis Sociis separandis necne. . 168
Ex Hollandia. De Missa in aliquibus oratoriis monialium celebranda 169
E Galicia. De quibusdam casibus occurrentiae . . 221
E dioecesi Metensi. De evangelio Feriae vel Vigiliae in Missa de alterutra . . 223
E Gallia. De celebratione Missae ad libitum, de festo vel de feria 224
Ex Urbe. De anticipatione Dominicae V post Epiphaniam. 226
E Panormo. De Sanctis Patronis 231
E Belgio. De aliquibus occurrentiis festorum . . 234
Ex eodem loco. De occurrentia festi Septem Dolorum B. M. V. cum peculiari festo locali die 3 Aprilis 1914 236
Ex eodem loco. De octava festi SS. Trinitatis Titularis in Dominica infra Oct. SS. Corporis Chr. 238
Ex eodem loco. De influxu duplicis in Officio et Missa 271
Ex eodem loco. De antiphonis dicendis ad Horas minores Tempore Quadragesimae 275
Ex eodem loco. In occurrentia duarum Vigiliarum S. Ioannis Bapt. et SS. App. Petri et Pauli, die 27 Iunii 1914, quaenam Missa dicenda 276
Ex eodem loco. An Regulares dioecesium Mechliniensis et Tornacensis sese conformare Clero saeculari debeant in recolendis commemorationibus omnium SS. Apostolorum et omnium SS. Martyrum . 277
Ex eodem loco. De Festo B. M. V. Divini Pastoris Matris recolendo . . . *ibi*
Ex eodem loco. De stolae colore pro Sacerdote processionaliter SS. Crucis reliquias deferente post publicum Viae Crucis exercitium 278
Ex Urbe. De primo Psalmo ad Primam in Dominica in Albis 347
E Lahore (*In Indiis Orient.*) De Anniversario Dedicationis et Titulari Ecclesiae Cathedralis 350
Ex America. De ablutione manuum post Missam . 355
Ex eodem loco. De acolytho vel clerico tonsurato subdiaconi munere in Missa solemni fungente . . . 356
Ex eodem loco. De consuetudine in Vesperis circa cantum antiphonarum . 359
Ex eodem loco. De usu aquae benedictae egredientibus ab ecclesia 360
E dioecesi Calaritana. De Missis de Requie Missam exequialem concomitantibus, et pro alio defuncto applicatis 362
De argumento et regulis circa usum hymni « Gloria in excelsis Deo » in Missis 571
De Praefationibus dicendis pro diversitate Missae et Temporis 577
De primo psalmo ad Primam in Dominica in Albis 582
De Missis in honorem B. M. V. quae tanquam vo-

tivae celebrari possint . 673
De precibus post Missam privatam recitandis . . 725
De influxu duplicis commemorati, quoad *Credo* in Missa votiva privata . . 728

Breviora Responsa.

Pro Eggenburg in Austria 46
Pro Conventu « Racconigi » O. M. Cappuccinorum . *ibi*
Pro Gallia 47
Pro dioecesi Savonensi . . 48
Pro Odvorco in Hungaria 49
Pro Tornepia in Belgio . 51
Pro Galicia 52
Pro loco N. 107
Pro Verona 110
Pro Squillaco 111
Pro Ragusa in Sicilia . . 112
Pro Iameda in Belgio . . 113
Pro Monte Vico 170
Pro Utino . . . . *ibi*
Pro dioecesi Caiacen. . . *ibi*
Pro Oudorp in Hollandia . *ibi*
Pro Dertusa in Hispania . 171
Pro dioecesi Bredana . . 172
Pro Hasseleto in Belgio . *ibi*
Pro Messana 173
Pro Avila . . . . *ibi*
Pro loco N. 174
Pro Annecio aliisque locis *ibi*
Pro Galicia 238
Pro dioecesi Strigoniensi . 240
Pro Rijeka in Croatia . . 241
Pro Branki in Moravia . . 243
Pro Tarvisio 244
Pro Eggenburg in Austria 280
Pro Imola 283
Pro Lambach in Austria . 285
Pro Ibague in Columbia . 286
Pro dioecesi Cauriensi in Hispania 289
Pro Onelia 290
Pro Abula in Hispania . . 291
Pro Lucana dioecesi . . . 292
Pro Gallia 293
Pro B. C. in Canada . . 364
Pro dioecesi Bononiensi . *ibi*
Pro eodem loco 365
Pro dioecesi Calaritana . . *ibi*
Pro Tornepia in Belgio . . 366
Pro loco N. 370
Pro Mylapore in Indiis . . *ibi*
Pro Archidioecesi Varsaviensi 371
Pro Abula in Hispania . . *ibi*
Pro Eggenburg in Austria . 372
Pro dioecesi N. in Austria 373
Pro Columbia 420
Pro Rota in dioecesi Veronensi 427
Pro dioecesi Lucana . . 428
Pro dioecesi Anagnina . . 429
Pro dioecesi Elnen. . . . 433
Pro dioecesi X 434
Pro Urbe Washington . . 435
Pro Moravia . . . . *ibi*
Pro dioecesi N. in Austria 436
Pro Odvorco in Hungaria . 584
Pro Anglia 585
Pro Galicia . . . . *ibi*
Pro Eggenburg in Austria *ibi*
Pro archidioecesi Olomucensi 586
Pro abbatia S. Bernardi in Bornhem 588
Pro dioecesi Bambergen. in Bavaria 589
Pro Salutiis 590
Pro dioecesi N. . . . . . *ibi*
Pro regione Canadensi . . *ibi*
Pro Alma Urbe 591
Pro Placentia . . . . . . *ibi*
Pro Bavaria 593
Pro Liguria 676
Pro Gallia 677
Pro Galicia 682
Pro Hollandia 683
Pro N. N. in Moravia . . 684
Pro Congregatione Missionis in ditione Austriaca 688
Pro dioecesi Civitatensi . 689
Pro Savonensi dioecesi . 690
Pro Alba in dioecesi Cuneen. 696
Pro dioecesi N. . . . . *ibi*

Acta Academiae Liturgicae Romanae.

I. De Cruce Altaris in quo Missa celebratur . . . 84
II. De anticipatione seu repositione Missae Dominicae 145
III. De Benedictione cum SS. Sacramento . . . 149
IV. De Missis votivis et defunctorum in *Quadragesima* aliisque feriis Missam propriam habentibus 207

Dissertationes ac Quaestiones liturgicae.

De cantu liturgico et de organi sonitu 23
De consuetudine contra legem in Iure Liturgico Romano, iuxta praesentem disciplinam 33
De Missa in aliena ecclesia 99
De Absolutione Generali et Benedictione cum indulgentia plenaria 176
De consuetudine *contra legem* in iure Liturgico Romano iuxta praesentem disciplinam 186
De erroribus in secundo Septem Dolorum festo . . 248
De reformatione Kalendarii Gregoriani 295
I. De Correctione Kalendarii a Gregorio Papa XIII facta . . . . *ibi*
II. De nova reformatione Kalendarii Gregoriani . 297
III. Animadversiones super propositam Kalendarii Gregoriani reformatione . 339
De requisitis ad Missae celebrationem 393
I. De loco et tempore Missam celebrandi . . . . *ibi*
II. De Altari eiusque ornamentis 398
III. De Tabernaculo SS. Sacramenti 405
IV. De Vasis sacris . . . 496
V. De Paramentis sacris . 499
Continuatio 557
VI. De Materia Sacrificii . 560
VII. De aliquibus defectibus in celebratione Missae occurrentibus . . . 562
De officio SS. Cordis Iesu adhibendo 414
Mutationes in Breviario ad normam Constitutionis *Divino afflatu* 461
Tit. I. De ratione divini officii recitandi 463
Tit. II. De Festorum praestantia 469
Continuatio 515
Tit. III. De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione . . 524
Tit. IV. De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione 527
Tit. V. De concurrentia Festorum 531
De iis quae permittuntur et prohibentur in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum et canonizatorum 475
Caput I. De iis, quae in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum prohibentur 478
§ 1. Quid veniat nomine *cultus publici* qui Servis Dei nondum beatificatis vel canonizatis exhiberi prohibetur . . . . *ibi*
§ 2. Quid prohibeatur circa eorumdem Servorum Dei imagines 480
§ 3. Quidquid de Servorum Dei Actis publici iuris est faciendum, revisioni Promotoris Fidei vel Adsessoris S. R. C. est subii-

ciendum, si Causae Apostolica Sedes manus apposuit 482
§ 4. Servi Dei nondum beatificati vel canonizati *Sancti* vel *Beati* vocari vetantur 484
§ 5. Ad sepulcrum Servorum Dei prohibetur lampadum ac luminum accensio 486
§ 6. Ad sepulcrum Servorum Dei prohibetur quoque tabellarum votivarum suspensio 488
§ 7. Etiam Servorum Dei Reliquiis publicus cultus exhiberi prohibetur . . 490
Caput II. De iis, quae in cultu Servorum Dei nondum beatificatorum vel canonizatorum permittuntur 535
§ 1. Dei Famulis nondum beatificatis vel canonizatis tribui potest cultus privatus . . . . *ibi*
§ 2. Quae generatim permittantur in Servorum Dei funeribus ducendis . . 537
§ 3. Servorum Dei cadavera pretiosis vestibus indui possunt, ac oratio funebris in eorum funeribus, debitis servatis conditionibus, haberi licet . . . 539
§ 4. Quo loco liceat Servorum Dei corpora sepelire 541
§ 5. Quid liceat in ornandis Servorum Dei sepulcris 545
§ 6. Quid liceat in privato cultu Reliquiarum Servorum Dei 653
§ 7. Quid liceat in cultu privato imaginum Servorum Dei 656
§ 8. Quid liceat in celebrandis anniversariis obitus Servorum Dei 658
§ 9. Quid de orationibus ad Dei Famulos directis, quidque de orationibus pro eorum Beatificatione et Canonizatione factis . 662
Dissertatio Liturgico Pastoralis. De quibusdam in praxi liturgico-pastorali defectibus, supplendis et reformandis, cui sequuntur aliquae observationes Directionis 548
I. De utilitate et necessitate restituendae antiquae consuetudinis celebrandi officia divina in ecclesiis parochialibus, diebus dominicis et festivis . . . . *ibi*
II. De solemnitate externa Missae parochialis diebus Dominicis et festivis in ecclesiis minoribus promovenda 555
III. De hora statuta inchoandi officia divina et Missam parochialem in ecclesiis parochialibus . . 556
IV. De honore festis suppressis debito ecclesiis in parochialibus restituendo 664
V. De frequentia expositionum SS. Sacramenti moderanda et ordinanda . 666
VI. De cultu S. Ioannis Baptistae et S. Ioseph Sponsi B. M. V. in populo amplificando 669
VII. De verbo divino tempore Adventus et Quadragesimae fidelibus praedicando 670
VIII. De restituenda antiqua consuetudine erigendi altare Sepulcri Domini Feria VI in Parasceve ecclesiis in parochialibus . 671
Animadversiones circa supra dictam Dissertationem 730

Adnotationes

nonnullae in Mutationibus et Tabellis occurrentiae ac concurrentiae in Breviario inducendis iuxta S. R. C. Decretum 23 Ianuarii 1912 14
Continuatio 123
Continuatio 310
Notanda in tribus Tabellis occurrentiae et concurrentiae 314
Continuatio 379
Continuatio 438
Continuatio 502
Continuatio 596

Praxis liturgica.

De requisitis ad Missae celebrationem 393
I. De loco et tempore . . 393
II. De altari eiusque ornamentis 398
III. De Tabernaculo SS. Sacramenti 405
IV. De vasis sacris . . . 496
V. De paramentis sacris . 499
VI. De materia Sacrificii . 560
VII. De defectibus in celebratione Missae 562
VIII. De partibus mobilibus Missae 736

Specimen Kalendarii Ecclesiæ universalis pro anno Domini 1914.

Praemittenda 3
Adnotationes maxime necessariae ad Kalendarii intelligentiam 4
Ianuarius . . . . *ibi*
Februarius 7
Martius 10
Aprilis 88
Maius 91
Iunius 94
Iulius 154
Augustus 157
September 161
October 251
November 302
December 305

Argumenta varia.

Commentarium ad S. R. C. Decretum d. d. 24 Februarii 1912, quod in Ephemerid. Liturg. editum fuit anno 1912, pag. 230 . . 139
Decretum S. R. C. iam editum circa novas Rubricas, commentariis illustratum, 9 Februarii 1912 . . . 621
Motu Proprio, de Officiis divinis novo aliqua ex parte modo ordinandis . . . 705

Index alphabeticus

rerum notabilium quae in hoc XXVII Tomo continentur

(N. B. Numerus lectorem ad paginam remittit).

A.

Ablutio manuum, de manuum ablutione *post Missam,* 355.

Absolutio generalis, de generali Absolutione et Benedictione cum indulgentia plenaria, 176.

Acolythus, V. *Clericus.*

Actiones scenicae, circa *scenicas actiones* in ecclesiis, *decr. S. C. Consistorialis,* 75.

Adventus, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Altare, V. *Celebratio Missae.*

Altare Gregorianum, de Gregoriano altari, *decr. S. R. C.*, 142.

Altare Privilegiatum, de *Missae qualitate* ad indulgentiam Altaris privilegiati lucrandam, *S. C. S. Off. decretum,* 257.

Altare Sepulcri Domini, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Anna (S.), *cultus* SS. Parentum B. M. V. in latina Ecclesia *recens est,* 15.

Anniversarium Dedicationis ecclesiae, V. *Dedicatio ecclesiae.*

Anticipatio Dominicae, V. *Dominica.*

Antiphona, de antiphonis dicendis *ad Horas minores tempore Quadragesimae,* 275. — V. *Cantus antiphonarum, S. Franciscus Assisiensis.*

Antiphonale Diurni romani, de eius *approbatione,* decr. S.R.C. 65.

Aqua benedicta, de aquae benedictae usu *pro ab ecclesia egredientibus,* 360 — V. *Aspersio aquae benedictae.*

Aspersio aquae benedictae, *ritus aspersionis aquae benedictae in Dominicis* a Parochis faciendae, *si copia sacrorum ministrorum adsit,* 445.

B.

Baptismus, Ordinarii *ex iusta et rationabili causa* permittere possunt *ut parvulis domi baptismi sacramentum administretur,* decr. S. C. de Discipl. Sacram., ad II, 78.

Benedictio cum indulgentia, V. *Absolutio generalis.*

Benedictio cum SS. Sacramento, de benedictione cum SS. Sacramento, *quaestio Acad. Lit. Rom.,* 149 — quid rubricae decernant *circa simplicem benedictionem cum SS. Sacramento,* 150 — *quid pro expositione proprie dicta,* 151 — utrum liceat thronum *semper in altari retinere,* 153.

Benedictio piorum obiectorum, V. *Obiecta pia.*

C.

Caeremoniae, de caeremoniis quibusdam servandis coram augustissimo Sacramento, *adsistente vel celebrante Episcopo, decr. S. R. C.,* 195.

Calendarium, *calendarii specimen* pro anno 1914, 3 — continuatio, 88, 154, 250, 302 — instructio seu declaratio *super Calendariis propriis reformandis, decr. S. R. C.,* 198, *decr. gen. S. R. C.,* 716 — de Calendario *pro Clero almae Urbis decr. S. R. C.,* 202 — V. *Regulares.*

Calendarium Gregorianum, de *reformatione* Calendarii Gregoriani, 295 — *de correctione* a Gregorio Pp. XIII facta, *ibid.* — *de nova reformatione,* 297 — *animadversiones* in praefatam reformationem, 339.

Cantus antiphonarum, de consuetudine in Vesperis *circa antiphonarum cantum,* 359.

Celebratio Missae, de *requisitis* ad Missae celebrationem, 393 — *de loco et tempore* Missam celebrandi, *ibid.* — de *altari eiusque ornamentis,* 398 — de *Tabernaculo* SS. Sacramenti, 405 — de *Vasis sacris,* 496 — de *Paramentis sacris,* 499 — continuatio, 557 — de *materia* Sacrificii, 560 — de *aliquibus defectibus* in celebratione occurrentibus, 562 — de defectibus *ex parte Ministri,* 565 — *quoad hostiarum fragmenta,* quoad *guttulas vini,* 567 — quoad *parvas hostias* conservandas, 568 — defectus *ex dispositione animae,* 569 — de *partibus mobilibus* Missae, 736.

Cinematographa, V. *Actiones scenicae.*

Clericus, de clerico tonsurato vel acolytho *Subdiaconi munere in Missa solemni fungente,* 356 — stolae color pro Sacerdote processionaliter deferente Reliquias SS. Crucis ruber esse debet, 278.

Coemeterium, de distinctione inter coemeterium *Ostrianum* ac coemeterium *Fontis seu ad Nymphas S. Petri,* continuatio, 115 — continuatio, 457.

Color, *rubeo colore utendum est* in festo Commem. Omn. SS. Pontificum S. R. C., *decr. S. R. C.,* ad IX, 67.

Commemoratio, V. *Dies octava.*

Commemoratio omnium SS. Apostolorum, V. *Regulares.*

Commemoratio omnium SS. Martyrum, V. *Regulares.*

Commemoratio omnium SS. Pontificum S. R. E., V. *Color.*

Communio sacra, Ordinarii ex iuxta et rationabili causa permittere possunt, servato saltem ritu a Benedicto XIV in decr. *Inter omnigenas, ut S. Eucharistia privatim domum deferatur, decr. S. C. de Discipl. Sacram.,* ad III, 78 — *de communione sacra* in ecclesiis non parochialibus etiam a regularibus *die Paschatis fidelibus administranda, S. C. Conc. decr.,* 82.

Concurrentia, de Concurrentia festorum, *decr. gen. S. R. C.,* 714 — V. *Defectus, Mutationes, Tabellae, Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Consecratio Episcoporum, de diebus *in quibus institui potest Episcoporum consecratio, decr. S. R. C.,* 321.

Consuetudo contra legem, de consuetudine contra legem *in Iure Liturgico Romano* iuxta praesentem disciplinam, 33 — continuatio, 186.

Cor Immaculatum B. M. V., conceduntur indulgentiae *pro piis exercitiis mense Augusto in hon. Immac. Cordis B. M. V. peragendis, decr. S. C. S. Off.,* 318.

Cor Iesu SS., de officio *SS. Iesu Cordis* adhibendo, 414 — V. *Missa votiva SS. Cordis Iesu.*

Cruces Missionum, uniformes decernuntur indulgentiae pro Crucibus, quae *a Missionibus* nuncupantur, *decr. S. C. S. Off.,* 703.

Crux, de *Cruce in altari* in quo Missa celebratur, *quaestio,* Acad. Liturg. Rom. 84 — *cur* in altari, pro celebranda Missa, *Crux collecetur,* et *quando hoc coeptum fuerit, ibid.* — *quid hac super re praescripserit* Apostolica Sedes, 85

— *cuiusnam mensurae esse debeat* Crux in altaribus, quidque hac de re Romae tenendum, *inspectis praesertim praescriptionibus Visitationis Apostolicae,* 86.

Crux Sancta, V. *Inventio S. Crucis.*

Cultus Servorum Dei, V. *Servi Dei.*

D.

Dedicatio ecclesiae, si Dedicationis ecclesiae anniversarium cum festo Titularis occurrat, an *officium de ipso Titulari fieri debet,* 44 — Num Dedicationis festum etiam in concurrentia festo Titularis propriae ecclesiae *cedere debeat in ipsa ecclesia,* ita ut hoc integras Vesperas sibi vindicet, 45 — de anniversario Dedicationis et Titulari ecclesiae cathedralis, 350.

Defectus in praxi liturgico-pastorali, de quibusdam *in praxi liturgico-pastorali defectibus supplendis et reformandis,* cui sequuntur *aliquae observationes Directionis,* 548 — de utilitate et necessitate *restituendae antiquae consuetudinis celebrandi officia divina in ecclesiis parochialibus,* diebus dominicis et festivis, *ibid.*, de *solemnitate externa Missae parochialis* diebus Dominicis et festivis *in ecclesiis minoribus promovenda,* 555 — de *hora statuta inchoandi officia divina,* et Missam parochialem in parochialibus ecclesiis, 556 — de *honore* festis suppressis debito *ecclesiis in parochialibus* restituendo, 664 — de *frequentia expositionum* SS. Sacramenti *moderanda et ordinanda,* 666 — de cultu *S. Ioannis Bapt. et S. Ioseph Sponsi B. M. V.* in populo *amplificando,* 669 — de *verbo divino* tempore Adventus et Quadragesimae *fidelibus praedicando,* 670 — de *restituenda* antiqua consuetudine *erigendi altare Sepulcri Domini Feria VI in Parasceve* ecclesiis in parochialibus, 671.

Dies libera, V. *Missa.*

Dies octavae duplicium I cl. ritu dupl. mai. *recte nunc celebrandae sunt,* 22 — in dupl. I cl. commemorari non debet dies octava, *nisi agatur de octava privilegiata,* ad II, 123 — V. *Tabellae.*

Dolores B. M. V., V. *Maria perdolens.*

Dominica, de *anticipatione* Dominicae V post Epiphaniam, 226 — de Dominicis et festis Dominicis affixis, *decr. gen. S. R. C.*, 709 — V. *Occurrentia.*

Dominica in Albis, V. *Prima.*

Duplex, de influxu duplicis in Officio et Missa, 271.
Duplex I classis, V. *Dies octava.*
Duplicia I et II classis, de *duplicibus I et II cl. sua die impeditis transferendis,* commentarium *in decr. S. R. C. d. d. 24 Febr. 1912,* 139 — de iisdem duplicibus *certis Dominicis vel Feriis affixis,* iuxta novas rubricas, Tit. IV, n. 2, *reponendis,* 140.

E.

Ecclesia, quid agendum quando ecclesia aliqua *ad usum profanum sit convertenda vel destruenda,* 676.
Elisabeth (S.), in officio S. Elisabeth Reg. Vid. *expunguntur aliquot partes propriae, decr. gen. S. R. C.,* 714.
Episcopi, V. *Consecratio Episcoporum, Ordinarius.*
Eucharistia, V. *Communio sacra.*
Evangelium, de *feriae vel vigiliae evangelio* in Missa de alterutra, 223.
Expositio SS. Sacramenti, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

F.

Feria, V. *Evangelium, Missa ad libitum, Missa, Missae votivae et defunctorum.*
Festa secundaria, V. *S. Franciscus Assisiensis.*
Festa suppressa, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*
Festum, V. *Concurrentia, Missa ad libitum, Mutationes, Occurrentia, Octava privilegiata.*
Formula Absolutionis generalis, V. *Absolutio generalis.*
Fragmenta hostiarum, V. *Celebratio Missae.*
Franciscales Tertiarii, V. *Preces.*
Franciscus (S.) Assisiensis, festa Inventionis et Translationis S. Francisci ritus dupl. mai., quae antiphonas in Hora maiori ex eius festo depromptas habent, *eas cum suis psalmis in eadem retinent Hora,* 41.
Franciscus (S.) Salesius, V. *Octava pivilegiata.*

G.

« Gloria in excelsis », quid de argumento hymni *Gloria in excelsis Deo,* 571 — regulae usus, 575.
Guttulae vini, V. *Celebratio Missae.*

H.

Hora maior, V. *S. Franciscus Assisiensis.*
Horae minores, V. *Antiphona.*
Hostia, V. *Celebratio Missae.*
Hymnus angelicus, V. *Gloria in excelsis.*

I.

Iesus, V. *Salutatio christiana.*
Imagines Servorum Dei, V. *Servi Dei.*
Indulgentia Altaris privilegiati, V. *Altare privilegiatum.*
Indulgentiae *augentur et extenduntur* pro quadam laude in honorem SS. Sacramenti, *decr. S. C. S. Off.*, 384 — V. *Cor Immac. B. M. V., Cruces missionum, Obiecta pia, « Obsecro te », Preces, Salutatio christiana.*
Inventio S. Crucis, festum *huius inventionis* IV saeculo celebrari coepit, 16 — *inter primaria* esset recensendum, 17.
Ioachim (S.), V. *S. Anna.*
Ioannes (S.) Baptista, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali, Missa.*
Ioseph (S.) Sp. B. M. V., Eius festum *si sit Titularis ecclesiae vel loci Protector,* ubi antea die 19 Martii celebrabatur, *in Dominicam III post Pascha reponendum est, S. R. C. decr.*, ad III, 66 — V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

K.

Kalendarium, V. *Calendarium, Calendarium Gregorianum.*

L.

Lectiones, de *octava et nona lectione unienda necne* in quibusdam festis, si nona lectio feriae aut Dominicae sit legenda, *S. R. C. decr.*, ad VIII, 67 — de Lectionibus Scripturae, *decr. gen. S. R. C.*, 1713.

M.

Manus, V. *Ablutio manuum.*
Maria (B.) Virgo, festum B. M. V. Perdolentis, quod celebratur III Dominica Septembris, *recentissimae institutionis est,* 18

— de festo B. M. V. recolendos *ub titulo « Divini Pastoris Matris »*, ubi concessum est, 277 — V. *Occurrentia, Octava privilegiata, Officium S. Mariae in Sabbato.*

Martyrologium Romanum, decr. S. R. C. adprobationis *novae editionis Martyrologii Romani,* 449.

Materia Sacrificii, V. *Celebratio Missae.*

Minister Sacrificii, V. *Celebratio Missae.*

Missa, si prima dies libera mensis *sit Sabbatum* et de S. Maria in Sabbato fiat officium, *quaenam debeat esse Missa principalis, decr. S. R. C.,* ad II, 66 — quaenam Missa celebranda *in vigiliis occurrentibus in Quadragesima* vel *in feriis Quatuor Temporum, decr. S. R. C.*, ad V, 67 — die 27 Iunii occurrentibus vigiliis S. Ioannis Bapt. et SS. App. Petri et Pauli *Missae privatae possunt esse de occurrente festo, vel de alterutra vigilia, decr. S. R. C.,* ad VI, *ibid.* — an et quibus de causis Ordinarii permittere possint per modum actus, *ut sacrosanta Missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur, decr. S. C. de Discripl. Sacrament.*, ad I, 77 — de Missa *in aliena ecclesia,* 99 — loca in quibus Missa *debet esse conformis officio ecclesiae vel Oratorii,* 100 — *Sacerdotes, se conformare debent officio loci,* in quo celebrant, 102 — *quousque* obligatio conformitatis Missae cum officio *se extendit,* 103 — de Missae conformitate *cum Monialium officio in earum oratoriis quadragesimali tempore,* 169 — V. *Celebratio Missae, Duplex, Oratorium privatum.*

Missa ad libitum, de celebratione Missae *ad libitum* de festo vel de feria, 224.

Missa de Requie, de *Missa privata seu lecta de requie* in die obitus, cum celebratur officium *de aliqua Dominica anticipata,* 105 — privilegium Missae lectae pro defunctis, aliquibus locis vel Ordinibus concessum, *in posterum intelligatur concessum tantummodo pro diebus in quibus non occurrat aliqua feria vel vigilia,* prout in Tit. X novarum rubricarum, decr. S. R. C., ad IV, 130 — de Missis de requie *exequialem Missam concomitantibus,* et *pro alio defuncto* applicatis, 362.

Missa Dominicae, de *anticipatione vel repositione* Missae Dominicae, *quaestio Acad. Lit. Rom.,* 145 — quomodo interpretandus locus in casu citatus rubricarum novarum; et

utrum quis possit recitare officium *Dominicae impeditae a festo classico in aliqua feria hebdomadae sequentis* 146 — *quanam lege* anticipari debeat *Dominica II post Epiphaniam*, et *qua lege reliquae Dominicae, ibid.* — utrum quis possit, quando aliqua Dominica anticipatur, *integrum eius officium recitare,* 148 — *Missa de Requie.*

Missa Feria vel Vigiliae, V. *Evangelium.*

Missa parochialis, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Missa solemnis, de Missa solemni *in paroeciis,* quae praeparanda, 447 — praeparatio celebrantis et ministrorum et ingressus ad altare, 448 — continuatio, 506, 625 — adnotanda, 698.

Missae tricenariae gregorianae, de Missis tricenariis gregorianis, *decr. S. C. S. Off.,* 142.

Missa votiva B. M. V., quaenam Missae in hon. B. M. V. *celebrari possunt tanquam votivae,* 673.

Missa votiva SS. Cordis Iesu, de *duabus Missis votivis* SS. Cordis in eadem ecclesia *prima feria VI mensis,* 167.

Missa votiva privata seu lecta, declaratio *circa novas rubricas,* Tit. X, n. 2 et 5, *de Missis votivis privatis ex privilegio nonnullis Sanctuariis concessis, decr. S. R. C.,* ad I et II, 129.

Missae votivae et Defunctorum, de Missis votivis et defunctorum *in Quadragesima aliisque feriis Missam propriam habentibus, quaestio Acad. Lit. Rom.,* 207 — *qua de causa* novae rubricae *Missas votivas prohibeant* in feriis *Missam propriam habentibus,* 208 — utrum in Missa feriali, in qua commemoratur duplex occurrens, *addi possit oratio pro defunctis,* 209 — utrum Missae votivae, de quibus in casu mentio fit, *adhuc celebrari possint in Quadragesima et Vigiliis,* 211.

Moniales, V. *Missa.*

Mutationes, de mutationibus *in Breviario Romano faciendis* ad normam Constitutionis Apostolicae « Divino afflatu », *S. R. C.,* 449 — *commentarium* in dictis mutationibus, 461 — proloquium, *ibid.* — *de ratione divini officii recitandi,* 463 — de festorum *praestantia,* 469 — continuatio, 515 — de festorum *occurrentia perpetua eorumque repositione,* 527 — V. *Tabellae.*

N.

Nomen Iesu, V. *Iesus, Salutatio angelica, Salutatio christiana.*

Numismata, solvuntur dnbia circa sacra numismata *scapularibus sufficienda, decr. S. C. S. Off.*, 452.

O.

Obiecta pia, declaratio S. C. S. Off. circa indulgentias obiectorum piorum *a S. Pontifice benedictorum*, 456.

« **Obsecro te** », declaratio circa formulam orationis *Obsecro te*, post Missam recitandae, *decr. S. C. S. Off.*, 319.

Occurrentia, de quibusdam occurrentiae casibus, 221 — de aliquibus festorum occurrentiis, 234 — in occurrentia duarum vigiliarum S. Ioannis Bapt. et SS. App. Petri et Pauli, die 27ª Iunii 1914, *quaenam Missa dicenda*, 276 — in occurrentia B. M. V. ad Nives cum Dominica, *officium de Dominica fieri debet*, 492 — de occurrentia festorum, *decr. gen. S. R. C.*, 714 — V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali, Mutationes, Tabellae.*

Octava, de octavis, *decr. gen. S. R. C.*, 712 — V. *Dies octava, privilegiata.*

Octava privilegiata, de octavis privilegiatis B. M. V. et S. Francisci Salesii *in ecclesiis Sororum a Visitatione*, 165 — quid intelligendum *pro octava privilegiata* in casu, *ibid.* — *quaenam festa excluduntur* diebus infra octavam, et die octava, 166.

Officium, de officio recitando *in quibusdam festis particularibus et non stricte propriis* in calendariis dioecesanis reformatis *suppressis, decr. S. R. C.* ad IV, 67 — de officiis divinis *novo* aliqua ex parte *modo ordinandis, Motu proprio Pii Pp. X*, 705 — V. *Concurrentia, Cor Iesu SS., Defectus in praxi liturgico-pastorali, Duplex, Occurrentia, Translatio.*

Officium defunctorum, *in Comm. Oo. Fid. def.*, ad Horas min. Psalmi noviter disponuntur, *decr. gen. S. R. C.*, 714 — V. Elisabeth (S.), *Rubricae.*

Officium S. Mariae in Sabbato, V. *Missa.*

Oratorium privatum, super Missae celebratione *in oratoriis privatis* in quibusdam diebus festis, *decr. S. C. de Discipl. Sacram., Romana et aliarum*, 322.

Ordinarius, V. *Baptismus, Communio sacra, Missa.*
Organum, de *tempore quo organum pulsari potest* in sacris functionibus, 23 — *normae servandae* quando organa pulsantur inter sacras functiones, 26 — de *musicis instrumentis* inter Sacra, 29 — *media praecipua ad studium sacrae musicae promovendum,* et *ad abusus praeveniendos,* 31.

P.

Paramenta sacra, V. *Celebratio Missae.*
Patronus, de *festis Patroni principalis* tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, *attenta rubrica Tit. IX, n. 4, decr. S. R. C.,* ad VII, 67 — de SS. Patronis, 231.
Petrus (S.) Apostolus, V. *Statio apud S. Petrum.*
Petrus (SS.) et Paulus, V. *Missa, occurrentia.*
Praefatio, quaenam dicenda sit *pro diversitate Missae et Temporis,* 577.
Preces, de precibus *in fine Missae recitandis, decr. S. R. C.,* 451 — *S. Vincentii Ferreri preces* ad sanctum vitae mortalis exitum a Deo implorandum *trecentorum dierum indulgentia ditantur, decr. S. C. S. Off.,* 453 — solvitur dubium *circa preces Tertiariorum Franciscalium* aliis insuper sodalitiis adscriptorum, *decr. S. C. S. Off.* 455.
Prima, de *primo psalmo* ad Primam *in Dominica in Albis,* 347 — iterum, 582.
Prolectiones, V. *Actiones scenicae.*
Proprietas festorum, V. *Mutationes.*
Psalmi, V. *S. Franciscus Assisiensis, Prima.*

Q.

Quadragesima, V. *Antiphona, Defectus in praxi liturgico-pastorali, Missa, Missae votivae et defunctorum.*
Quatuor Tempora, V. *Missa.*

R.

Regulares, de *festis particularibus regionum aut dioecesium* pro Regularibus *iuxta instructionem* pro reformatione ipsorum calendariorum, 677 — an Regulares dioecesium

Mechliniensis et Tornacensis sese conformare debeant Clero saeculari *in recolendis commemorationibus omnium SS. Apostolorum, et omnium SS. Martyrum*, 277 — V. *Communio sacra.*

Reliquiae Servorum Dei, V. *Servi Dei.*

Repositio festorum, quomodo intelligendum verbum « reponenda » in n. 2, Tit. X, novarum rubricarum, *decr. S. R. C.*, ad I, 66 — V. *Mutationes.*

Responsoria, de Responsoriis de tempore, *decr. gen. S. R. C.*, 713.

Rituale Romanum, *decr. S. R. C.* adprobationis *novae editionis typicae* Ritualis Romani, 641.

Rosarium B. M. V., de *eius festo et officio*, 20 — iam ante S. Dominicum *usus vigebat numerandi preces aliquas breves vocales, per quosdam globulos mobiles filo insertos*, in nota 21 — Salutationi angelicae *adiectum est nomen Iesus S. Bernardini Senensis tempore*, 21 — *quando* dictae Salutationi *adiecta est secunda pars, ibid.*

Rubricae inserendae Rituali et Breviario Romano *in off. defunctorum, decr. S. R. C.*, 201.

S.

Sabbatum, V. *Missa, Officium S. Maria in Sabbato.*

Sacramentum SS., V. *Benedictio cum SS. Sacramento, Caeremonia, Indulgentiae.*

Sacrificium, V. *Celebratio Missae.*

Salutatio angelica, V. *Rosarium B. M. V.*

Salutatio christiana, sub invocatione divini Iesu Nominis *ampliori indulgentia ditatur, decr. S. C. S. Off.* 383.

Sanguis pretiosissimus, festum pretiosissimi Sanguinis *sub Pio IX institutum est*, et inter festa *secundaria* recensetur, 18.

Scapularia, V. *Numismata.*

Scenicae actiones, V. *Actiones scenicae.*

Septem Dolores, de *erroribus* in secundo Septem Dolorum festo, 248 — V. *B. Matthia V.*

Sepulcrum D. N. I. C., modus quo legitime officium ac Missa *in festo S. Sepulcri D. N. I. C. extra tempus paschale* agendo celebrantur, *decr. S. R. C., Bituricen.*, 323 — V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Servi Dei, de iis *quae permittuntur et prohibentur* in cultu Servorum Dei *nondum beatificatorum vel canonizatorum,* 475 praenotanda, 476 — de iis *quae in dicto cultu prohibentur,* 478 — quid prohibeatur *circa eorumdem imagines,* 480 — quidquid de Servorum Dei Actis publici iuris est faciendum, *revisioni Promotoris Fidei vel Adscssoris S. R. C.* est subiiciendum, si Causae Apostolica Sedes manus apposuit, 482 — Servi Dei nondum beatificati vel canonizati *Sancti* vel *Beati* vocari vetantur, 484 — ad sepulcrum ipsorum *prohibetur lampadum ac luminum accensio,* 486 — prohibetur quoque *votivarum tabellarum appensio,* 488 — etiam *ipsorum reliquiis* publicus cultus *exhiberi vetatur,* 490 — Dei famulis nondum beatificatis vel canonizatis *tribui potest cultus privatus,* 535 — *quae generatim permittantur* in Servorum Dei *funeribus ducendis,* 537 — Servorum Dei cadavera *pretiosis vestibus indui possunt, ac oratio funebris* in eorum funeribus, debitis servatis conditionibus, *haberi licet,* 539 — *quo loco* Servorum Dei corpora *sepelire liceat,* 541 — quid liceat *in ornandis ipsorum sepulcris,* 545 — quid liceat *in privato cultu Reliquiarum* Servorum Dei, 653 — quid liceat *in cultu privato imaginum ipsorum,* 656 — quid liceat *in celebrandis anniversariis* ipsorum obitus, 658 — quid *de orationibus* ad Dei Famulos directis, quidque de orationibus *pro eorum Beatificatione et Canonizatione,* 662.

Socii (SS.), de Sanctis Sociis *a Titulari* separandis, 106 — de Sanctis Sociis *separandis necne,* 168.

Sorores a Visitatione, V. *Octava privilegiata.*

Specimen Calendarii, V. *Calendarium.*

Statio ad S. Petrum, de statione ad S. Petrum *in II Dominica post Pascha,* 213 — de *certa* huius stationis per S. Gregorium Magnum *institutione,* 214 — *de huius stationis continuatione* usque ad praesentem diem, 266 — de huius stationis *solemnitate,* 331 — de huius *solemnitatis cessatione,* 385 — de huius stationis *obiecto,* 642.

Stola, V. *Color.*

Subdiaconus, V. *Clericus.*

T.

Tabellae occurrentiae ac concurrentiae, adnotationes nonnullae *in mutationibus et tabellis* occurrentiae ac concurrentiae *in Breviario inducendis,* iuxta decr. S. R. C. diei 23 Ian. 1912, 123 — de occurrentia *Vigiliae Nativitatis et festi Circumcisionis,* cum aliqua die octava vel infra octavam, ad III, 124 — leges *occurrentiae perpetuae* diei octavae, cum festo dupl. mai. vel min., et semid., *non sunt mutatae,* ad IV, 124 — de officio *Vigiliae Epiphaniae in Dominica occurrente,* ad V, 125 — animadversio circa concursum quemdam *dupl. mai. cum dupl. mai.,* 141 — adnotatio in tabella *occurrentiae accidentalis,* 310 — de occurrentia *diei octavae Corporis Christi, ibid.* — adnotatio circa officia *in serie horizontali tabellae concurrentiae posita,* 313 — Vesperae Dominicae *non cedunt in concurrentia* nisi duplicibus I et II classis, *ibid.* — adnotatio alia *in antiqua concurrentiae tabella,* 314 — notanda *in tribus tabellis* occurrentiae et concurrentiae, *ibid.* — continuatio, 379, 438, 502, 596.

Tabernaculum, V. *Celebratio Missae.*

Tertiarii Franciscales, V. *Preces.*

Titularis, festum Titularis Lateranensis Ecclesiae, saltem post annum 1831, *Transfigurationis die celebrandum est,* 14 — V. *Dedicatio Ecclesiae, SS. Socii.*

Translatio festorum, de Translatione festorum *decr. gen. S. R. C.* 714 — V. *Mutationes.*

V.

Vasa sacra, V. *Celebratio Missae.*

Verbum divinum, V. *Defectus in praxi liturgico-pastorali.*

Vesperae, V. *Cantus antiphonarum.*

Vigilia, V. *Evangelium, Missa, Missae votivae et defunctorum, Occurrentia.*

Vincentius (S.) Ferrerius, V. *Preces.*

PROPRIETAS LITERARIA

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

FRANCISCUS FABERJ, Vicariatus Urbis *Adsessor.*

AUGUSTUS ZUCCONI, Director Domus editricis Desclée et Soc., Romae, *Sponsor.*

Ex Officina Polygraphica Latiali, Fratrum Tempesta, Via Boccaccio, 7 - Roma